Reuerendi Admodum Patris

PLACIDI NIGIDI SICVLI.

IN CANTICA CANTICORVM

Expositio duplex, Verbalis siue Grammaticalis, & Litteralis de Beata Virgine Domina.

CVM SERMONIBVS EIVSDEM AVCTORIS in diebus exspectationis partus eiusdem Virginis.

ROMÆ,

Apud Bartholomæum Zannettum. M. DC. XVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.

DOMINO

D. FRANCISCO A CASTRO

COMITI CASTRENSI,

DVCI THAVRISANO, &c.

In Siciliæ Regno Proregi, Principi Optimo, & integerrimo.

Placidus Nigidus humillimus in Domino seruus.

S. P. D.

LVDOVICVM Torres Cardinalem Amplissimum, & Montis Regalis Archiepiscopum fœlicis recordationis, Excellentissime Domine, dicere solitum memini, Canticorum drama expositionem adhuc, cum tamen expo-

ſitores ad ducentos habeat, deſiderare. Id vbi ego accepi, vt erat eruditiſsimi viri dictum, & in omni genere diſciplinarum verſatiſsimi; ſenſi me non mediocriter incitatum ad illud exponendum. Placuit affulgens procul ſpecies Principatus, & auſuum Optimorum, ſi non exitus fœlicis, laus, & commendatio. Iam commotus Prouinciam ſuſcepi, Elaboraui, confeci. Supereſt de re iudicium, & deſideratur. Et id vt habeatur optimum, ad te accurere, Optime Princeps, exiſtimaui; Noui enim ego in te quantum ſit ſapientiæ, & ſtudij, Diuinorum inſertum præter morem, diuinitus, haud dubium. Benigna igitur Tu ſume manu, obſecro te, ſi donum, per antiquiſsima nobilitatis tuæ Stemmata, & Sanguinis Præclariſsima ornamenta; Si ſcripta in examen prolata, per ſingularem ingenij tui ſubtilitatem, & iudicij acumen incomparabile; ſic enim (abſit adulatio) omnes Romæ, & vbiq. locorum ex omni natione pleniore ore loquuntur. Quòd ſi aliorum ante tuum aliquando adhibere volueris ludens iudicium; vnum velim tantum præmonitos omnes, nè

ſuccen-

ſuccenſeant, quòd Poetarum ſimilibus prophanorum fermè omnium ſcateat prior expoſitio. Ex induſtria factum, & viſum ab ipſa re requiſitum. Certè Amatoria arte compoſitum placuit eàdem exponere. Et poeticum Poetis. Plura verò in expoſitionem congerere dicta Poetarum, vt pluribus certum fieret, de cuius incertitudine laboratum tamdiu. At dicent. Amatoria ſunt. Quid dicam? Amatorem egit Deus, eoque ſtylo conſcripſit è noſtris ſumens, quæ in noſtram vtilitatem transfunderet. Quòd ſi Iob Tragico ſtylo datus ab eodem Deo, qui fieri omnia hominibus voluit, non diſplicet ita expoſitus, Tragico ſcilicet ſtylo, & ſententijs è tragicis poëtis adductis; ac ſi non liber Regum hiſtoricus, hiſtoricis; quid eſt, quòd vnius libri huius diſplicere debeat expoſitio, propterea quòd mentem auctoris vt feriat inde ſumit tela, quò natura, atque ars congeſſere? Sed & nos Litterali de Beatiſsima Parente expoſitioni conſulentes, à qua ſcœnæ ſeruientes abegimus prophanos, id fecimus, vt fundamenta, qui grammaticalis eſt ſenſus,

tam

tàm multis, ac varijs omni arte; atquè industria ſtabiliremus. Vale, Excellentiſsime Princeps, viue in Domino fœlix, & omnibus bonis cumulatiſsimus. Dat. Romæ. Non. Auguſt. M. DC. XVI.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sac. Pal. Apost.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Ego Fr. Basilius Mazza Chiensis sac. Theolog. Magister Ordinis Prędicatorum, ex commissione Reuerendissimi P. Magistri Fr. Hiacynthi Petronij sacri Palatij Apostolici Magistri, opus cui titulus, In Cantica Canticorum expositio duplex, Verbalis, siue Grammaticalis, & Litteralis de Beata Virgine Domina, cum Sermonibus ab Admodum Reuerendo Patre Placido Nigido Siculo editum vidi, ac diligenter consideraui; nihilque contra Fidem, vel bonos mores in eo reperi, immò refertum suauitate spiritus, ac deuotionis in Beatam Virginem Deiparam aduerti; qua propter dignum quod typis mandetur existimaui, & in fidem manu propria subscripsi.

Fr. Basilius qui supra manu propria.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Donatus Magister, & Socius Reuerendissimi P. F. Hiacynthi Petronij Sacri Palatij Apostolici Magistri.

Errata sic corrige.

pag.3. lin.15. tamen. lege tandem. ibid. 33. cur. ;c. ibid.37. dicendis. dicendi. 4. 7. aut. at. 5. 16. Aeternitatem. æternitatem? 6.8. illorum. iustorum. ibid. vlt. de gentibus degentibus. 7. 22, oculis osculis. 9.6. lucis lucis, ibid.16. Prætium Pretium. 10. 14. in marg. vnitur. vritur. 12.5. orationem rationem. 14. 6. quod quæ. 19. 30. lactaturos lætaturos. 20. 15. quam quod. 21. 20. Ex Soct. Ex Sacr. 22. vlt. ynicum vnicum. 30. 3. se cum Cum. 31. 13. vt lege vt cum lege. ibid.vlt. Suæ. Tuæ. 37.14. Christus Chorus. 40.in marg. vbidientia quarta, obedientia quanta. 43. 21. Debitum Debitum, 44.22.in marg. lucem. luce. 51.15. Alioque alioqui 51.32. in marg. Fouebatur. Perfruebatur. 53.37. ad ab 55. 22. Proteret Protegeret 81.33. adiurat adiurari 87. 25. Proprius Protinus 82.25. virginitatis cupiditatis. 88.41. animam, in animum, 92.5. requiri. nequiri. 94.14. Formem in Foramen. 94.24. Habetur. Habet. 95. 2. meminerit meminit. 96. 38. addes ades. 102. antepenult. eodem eadem. 103. 27. meum. meo. 104.27. Faciat, Facit. 105.vlt. attento attentos 106.10. orat erat. 106. 11. subit subijt. 113.25. cubiculum in cubiculum. 114.8.sic sit. 115.5. Hac Hæ. 118.36. cum miraculum sit Cum id miraculum sit. 119. 22. assensum. ascensum. 121.39. nos nox 125.30. Feceret Faceret. 128. 13. continente concinente 129.40. magi Magi 131.19. mercedens mercedes. ibid. æternas æternam. 131.43. Prosperos Posteros 132.33. illæ illi 132. vt vt vt 135.24. intuentur intuebuntur. 135.27. Prosperitatis Posteritati 138. 12. significandus significans 139.27. laudat lactet, 139.29. appulsu repulsa. 139.38. pupillulam papillulam 141. 5. aut quis? at quis? 141. 41. in sacri sacris. 141. vlt. sua tua. 142.16. nam. Iam. 143. 14. Heredem Herodem. 143. 16. arcersit. accersit. 146.38. volandos, laudandos 148. 7. id est. virum, id est 149.37. Inducti inducto 149. penult. Manum manuum 150.20. amare amore. ibid. 20. ardere ardore 154.vlt. affuit absfuit 155.7. Quod. propter quod. 155.36. quam quem 157. 9. expensa expansa 157. 38. esse esset 159.5. modo &c. modo huic, modo alteri 167. 26. nobilitates nobilitatis 167. 40. Isaia Isaias. curpore corpore. 169. 28. sis sit. 170. 9. Pro passiones Pro ipso passiones 170.23. illo ille 170. 41. molestiam modestiam. 171. 14. Ipsa, ipse, 182.3. manibus manuum. 182. 28. videntur. videtur 184. 2. dominabitur, demorabitur. 184. 21. ante à te. 184. 32. Passionum Passionem. 184. 33. agere re ágere. 186.11.ductulis ductilis. ibid. 20. custostes custodes. 188. 40. faciant faciunt, 190. 21. sedeo sedes 190. 41. Fores Foris. 191. 8. in orbe in orbem 195. 37. Patres Patris 196. 11. Isaia Isaias 196.31. Ceteri per partem(ceteri per partem) 201.11. canitur.dicitur. 205.40. subordidatæ subordinatæ 206.40. sis sit. 208.7. se me 208. 31. vnde vt 211.25. mensibus mentibus. 212. 3. Ab Ab ipsa de est ipsa. 212. 12. ipse met ipsa met. 213.27. Dicunt Dicant. 214.11. Ipsam. Ipsa. 216. 39. videns vides 217. 13. cum sponsa cum sponsa sit. 221. 7. videntus videntur. 225.30. canitatem caritatem. 233.2. patirentur paterentur. 234. gestas gestus 235.8.vsum, consuetudinemque. vsu, consuetudineque 236. 11. Frangor Fragor. 237. 24. quæque quamquam.

Reuerendi Admodum Patris

PLACIDI NIGIDI SICVLI.

IN CANTICA CANTICORVM Explanationis duo sensus, Verbalis, Litteralis, de Beata Virgine Domina.

SENSVS VERBALIS

Prologus.

DE hoc diuino Cantico, cuius explicationem sumpsimus, hæc omnia, quæ in eius cedant laudem, partim de fide, partim de auctoritate sententiaque sanctissimorum virorum, comperta sunt. Auctor eius, siue poeta Deus: Scriba velociter scribens, dum alio dictante, Salomon ille Regum princeps, ille paci, & otio natus, ille sapientiæ prudens amator, & sapiens; idque siue ante amores, siue post maturiore ætate, & diuinis aptiore. Iam finis multiplex, is præcipuus, vt exstet diuini amoris Theatrum; habeamusque homines ad cœlestia dulce excitamentum. Amatorio verò cantico amatorius est stylus. Quod autem admirationem habet maximam, & Auctoris artes maxime commendat; nobis accommodatissimus. Poëtico Dramate continentur omnia, quorum in vtroque Iucunditas. Tanto vero Artifitio composita fabula, vt videatur vna in Legem, & Idæam posita; siue in eiusmodi fabularum solem, aut Deum: nisi [1] Phidiam rudem artificem putare liceat. Videntur ab hac ceteræ, neque breuitas quicquam detrahit, quæ potius addit plurimum pulchritudinis. Singula quantum dici potest ex

Liber Cantic. à Deo per Salomonem.

Cantica cur à Deo?

Libri Canticorum laudes, & artificia.

[1] *Ex Platone in Hipp. ma.*

 arte

Meridies apta hora dramati.

arte. Actio vnius diei. A Meridie, vt illa indicant. Vbi pascas, vbi cubes in Meridie, ad primum vsque solem, vt fiet progressu apertum. Aptæ exercendis amoribus horæ. Meridies; vnde meridiari, & meridiandi cupido apud prophanos: & rursum sole sub ardenti amans plus a quo inducitur [1] adolescens, quod decorum vel [2] Plato seruauit, qui Socratem de amore in meridie loquentē inducit. & rursum nox à Comico inter ea, quæ amori faueant commemorata. propter quod etiam pleraque amatoria comicis noctu peracta. Itaque aptus dies. Quid quod & tempus, nimirum Ver? (nam aduentante vere hæc gesta, vt ex ijs. Iam hyems transijt &c.) Ver autem adolescentia anni, & tepori, & amori aptum tempus, propter quod ab Ecclesia sub hoc tempus, qua essent fræna libidinis instituta ieiunia, sub idem à prophanis nullo spiritu, quæ laxarent, datæ eiusdem argumenti, nimirum prophani amoris fabulæ. nam eò illa: [3] Vere concordant amores, vere nubunt alites.

[1] *Virgil. Aeel.* [2] *Plato in Phædr.*

Nox apta hora amori in dramate.

Ver tempus aptū amori in dramate.

[3] *Auctor peruigilij.*

Pastoribus cur tributi amores?

Iam tributa Pastoribus omnia ex eadem arte. Singulares in amoribus sunt Pastores, siue id ipsis loci ratio, siue otium, à quo cantillationes, & ad sonos psaltationes, siue ciborum conditio, siue aliquid aliud faciat. nisi eò fiat, quòd qui ad hoc vitæ genus à natura prodeunt instructi, leni ingenio esse oporteat. Sed quot nam Pastoribus tributa? Duobus Actoribus. Sponso, sponsæ. Choris item duobus, & altero quidem puellarum, altero adolescentum. Pastorum omnium miro decoro dum pastores omnes. Admiratione autem summa, dum varia scœnis fabula, actionibus, dignitatibus, pulchritudinibus refertissima duobus perficitur actoribus. Id singulare, quòd non alij sint imitati, fortè nec valeant imitari, Auctoris diuinitatis argumento. Chorus puellarum in nuptijs maxime è fabula. Hinc in Sparta.

[4] *Theocr.*

Flauicomum apud Menelaum

> Virgines, florentem Hyacinthi ornatum habentes
> Ante nuper pictum thalamum chorum statuunt, &c.
> Lucentes nouæ nuptæ facem, & Hymenæum resonantes.

Virgines in sponsalibus cur inductæ in Euang.

E fabula autem, quia & ex re, vnde virgines in parabola inducuntur in nuptijs sponsi à Domino in Euangelio. Vbi nam autem scœna? in agro, in vinea, ad Hierusalem, in suburbio. ita illa: quæ ascendit de deserto, & inuenerunt me custodes. Aptissimus autem locus, & Pastoribus, & amoribus. Degebant tunc in villis, cum familijs Pastores. Amoribus autem campus, siue ager, optimum Gymnasium, siue scœna, siue id amœnitas faciat exhilarans animum, vt non immerito dicat is, [5] Pergo deambulendi causa extra Vrbem: siue otium ipsum, siue ipsa solitudo. Vnde Deo amatori in solitudinem ducitur, quam amare ipse, & à qua contra amari cupit. Et ad amandum [6] elongant fugientes diuini onagri diuinè lasciuientes. Sed & Heroes etiam in campis, atque in antro illi [7] poetæ indulgent amoribus. Sed actionis, vt leges obtinuerunt, quinque actus designabiles. Et primus quidem vsque ad caput secundi. Vox dilecti mei. Alter vsque ad quartum caput. Tertius à quarto vsque ad sextum. Inde vsque ad

[5] *Platonis verba.*

Solitudo apta Diuino amori & cur?

[6] *Psal. ecce elongaui fugiens.*

[7] *Virg. Aeneid.*

octaui

octaui ea. Quæ est ista, Quartus. Quintus deinde ad finem vsque. Horum multæ decentes scœnæ, vt progressu apertum fiet. Quò multa adhuc alia fabulæ decora aperientur. Id argumentum. Puella orbata parentibus, florentis ætatis, & decoris, sub malo obdormiens à pulcherrimo pastore, illuc consilio progressô vehementer ad coniugium adamatur. Excitata capitur & ipsa pastoris amore, eadem honestate. Fiunt interea sponsalia. secedunt vterque ad sua, quamdiu coniungi per tempus liceat. Interim per internuntios, amores colunt. Aduenit thalami tempus. Sponsus, qui eo fingitur esse ingenio, vt ad irritandos magis sponsæ amores, & acuendos, mora, & amica fuga gaudeat, diu quæsitus, exspectatus non statim venit; vt inter manus adstantium puellarum, quæ remedijs præstò sint, quamdiu ad vitam euocent, deficiat cupiditate sponsa. Tandem adest ille, sed nihil ad thorum, Ad iocos magis, ad cantilenas, ad lusus per totam noctem, quæ sint amorum irritamenta. Donec tamen diu, multumque delusam, & defatigatam cùm itineribus, tùm vigilijs prima luce voti compotem facit. Pulcherrimum sane argumentum, at cuius, vt imaginis, & translationis, non antea omni ex parte appareat pulchritudo; quàm mysticus sensus aperiatur; innotescantque eorum mores, quorum sustinent hi pastores personas. nam cum omne decorum postulat pastoralis amorum fabula, tum illud in primis, vt eorum quibus canitur, mores, amoresque exprimantur. Nec miretur quispiam si id ita fiat in nostra hac diuina actione, quoniam & in humanis idem fit. Nam & Virgilij illius Ecloga, quæ ordine prima est, in qua Mœlibeus, & Tytirus loquuntur, & alterius, quę Daphnis, in qua extinctus Daphnis defletur; atque Horatij Ode illius. O nauis referent, ceteraque non antea gratias, leporesque, degustare possumus quam informemur eorum agnitione, propter quos illa composita, videamusque quam quadrent. Quare & de hoc amoris cantico idem dicendum; nisi enim Christi sponsi mores, & Ecclesiæ sponsæ, siue animæ cuiusque maxime vero sanctissimæ parentis viderimus, quibus hæc cantata; ipsius vtique pulchritudinem, dignitatemque non agnouerimus. Quo fit vt nil mirum si miremur hoc initio. Cur singulari ferme exemplo, sponsa amans, ac querens, & impatiens inducatur ipsa, non sponsus. Sic magis ad veritatem. anima in Dei amore [1] concupiscit, & deficit. Deus, si vere amet, diuinis artibus experitur. Sed omisimus de dicendis modis dicere, & phrasibus, & translationibus, quæ sunt omnia & fabulę, & nobis accommodata, nimirum è medio pastorum honestè, at ardenter ad coniugium se amantium. [2] Et vt ille ait, consueta, & publica forma. Summo artificio; & vt per hęc nos, quibus assueti sumus, spiritualia, tanquam per visibilia erigeremur ad intelligenda, & de terreno ad cœlestem amorem iucundius progrederemur; intelligeremusque interea nostro cum rubore amorem quidem à Deo esse sacrosanctum & venerabilem, quo non sit homini quicquam pręstantius datum; nostrum abusum. Ad hęc, vt auctor se Deum ostenderet, qui posset fornacem Babylonis rore temperare;

Libri Cantic. argumentum.

Pastoralis fabulæ quod nam præcipuum decorum.

In Cantic. cur inducatur sponsa, quæ quærat, nouo exemplo?

[1] *Ex psalm.*

Liber Cantic. quo stylo conscriptus, & cur?

[2] *Ouidio 3. de arte.*

nimirum terrenorum verborum vim ad lasciuiam, efficacitatemque, ad cœlestium amorem conuertere. Non minore, quàm illud, miraculo. Vnde non in obiecta conijceremus lasciuientes culpam; sed in nos ipsi, qui gratiam Dei à nobis procul abijceremus; Potens enim ille, ad quid valeat ostendendum, & è tenebris facere, vt splendeat lux; & è lapide vt emanent fluenta; Amarities vt sale dulcescat; Cæcitatique sit à luto, aut felle medicamentum. Quò celerius, aut reuerentius progrediundum ad videndam visionem, dum ignis ardet, nil tamen comburit. Nihil tamen ætati, aut moribus quo minus legamus, timeamus. Gratiæ tempora sunt: Etsi timendum naturæ, gratiæ plurimum despondendum. Sed iam aulæa subducta, iam in scœnam proditum. Silentium faciunt multa. Noua omnia. Puellæ è vicinis villis multæ. Vnguentariæ omnes. Vniuscuiusque ferè in manu vas. Vna in omnium manibus, oculisque pulcherrima inter omnes, è deliquio ab amore alijs luci, sibi amori restituta beneficio odorum (optimum actioni principium, & ad præteritorum scientiam, & ad futurorum exspectationem) respirat. Iàm alte petito suspirio verba meditatur. Attendamus.

Liber Cantic. qua præparatione legendus his gratiæ temporibus.

SENSVS LITTERALIS de B. Virgine Domina.

PROLOGVS.

HACTENVS Prologus in Verbalem sensum, nunc ad Litteralem de Beata Virgine Domina deueniamus, cui seruimus, & studemus in primis, ad hunc omnia illa ordine transferentes. A meridie in fabula principium actionis per totam noctem, ad primam vsque, nouamq. lucem; nam mysticorum principium narrationis à tempore illo, quo videndi, & tenendi Messiam Virgo cupiditate publicæ vtilitati, commodisque communibus vehementer exarsit; quod recte per meridiem adumbratur, quando vigent magis solis ardores, & res clarissima luce cernuntur. Quæ quidem narratio rerum gestarum, & in exemplar positarum, per totum Mariæ vitæ tempus producta, per tribulationes, quæ vespera est secundum illud. Ad [1] vesperam demorabitur fletus, per otium contemplationis, quæ nox est, in æternitatem, quæ prima lux est, felicissimis successibus tandem erumpit. Et sane quòd merito per meridiem magna quædam cupiditas designetur, declarant illa ipsa, quæ nos huic cupiditati adaptamus significandæ. Ardere, æstuare desiderijs, feruor, atque æstus desiderij, ac similia latinis frequentia. Declarant & illa, quod [2] Ioseph in meridie ingreditur ad Fratrum parata munera acci-

Desiderium adumbratur rectè per meridiem.

[1] *Psalm.*

[2] *Gen. 43.*

accipienda. In meridie Christus Dominus verus vir desideriorum, & sitis animarum, [1] Samaritanam, quam capiat, exspectat, & in meridie tandem calicem bibiturus, cuius [2] arctabatur desiderio, crucem [3] ascendit. Iam vero totum hoc vitæ nostræ tempus, & dies dicitur; vnde alia vita dies Domini, quasi quod hæc nostra sit dies, & rectè per diem exprimitur; siquidem vt diei, varia & horæ, & momenta sunt; vnde Dominus, Nonne duodecim sunt horæ diei? ita & vitæ variæ sunt ætates, & actiones, propter quod rectè dictum de viuente homine. [4] Nunquam in eodem statu permanet. Nam quid de nocte dicam, quæ vt est quieti tempus dedicatum, rectè otium contemplationis adumbrat, quam Græci propterea rectè *εὐφρόνην* dixerunt, & de qua illud est. [5] Si quid scitu dignum quæras, nocte meditandum. Vnde [6] Iacob noctu scalam videt, [7] noctu populus ad sacrificandum fugit, [8] noctu etiam Saluator cœlesti luce refulget. Quid de matutino tempore, & primo Solis ortu, qui æternitatem. Vnde [9] Paulus. Nox præcessit, nimirum vitæ huius tempus, dies autem, futurum scilicet tempus appropinquauit. propter quod [10] Iacob in aurora victor promulgatur ab Angelo, quia nimirum Christianus in æternitate de victoria fit certus; & [11] Hebræis mane apparet manna, quia in æternitatis lucæ gloriæ dulcedo percipitur? Itaq. gesta ab optima amatrice per totum vitæ tempus, per tribulationes, per otium contemplationis vsque ad æternitatem, omnia hæc actione vnius diei à meridie ad ortum solis artifitiosè continentur. Agite verò. Geruntur omnia à sponso, & sponsa, quia à Maria, & Christo Domino in deuotionis dulcedine omnia, lætitiaque peracta sunt, vt videbimus. Dulcedinis autem lætitiæque præclarum symbolum ver viridans tempus, & solis vicinitate tepescens. Hæc autem omnia aptissima amori sunt; nam desideria pariunt amorem, tribulationes alunt, contemplatio roborat, dulcedo deuotionis, lætitiaque auget; vnde [12] concupiscens deficit præ amore, tanquam in partus doloribus anima prophetæ, & [13] in tribulatione, tanquam cibo sumpto dilatatam se sentit. [14] in meditatione exardescit magis, magisque, & [15] dilatato per lætitiam corde, viam mandatorum excurrit. Iam vero pastores gestum agunt, amoribus apti exercendis, quia & Christus D. Pastor, qui de seipse ait illud. [16] Ego sum pastor bonus, & vt Græcum habet. Ille bonus, ille nimirum prophetis prædictus, & gentibus, tanquam ouibus desideratus; & Maria adhuc pastor vniuersitatis vtilitati nata, doctrinæ gentium, illustrationi Apostolorum, sapientiæ Euangelistarum, omnium commodis, opportunitatibusque concessa, vt [17] agnoscit, & illi canit ecclesia. Vterque autem diuinis amoribus aptissimus, expers nimirum peccati, & omnis gratiæ, omni plenitudine, latè, fuseque redundans. Nam quid dicam, quod vterque pulcherrimus præ filijs, & filiabus, vterque optimus, vterque intus, forisque exornatus ad conglutinationem mutui amoris, & singularem, quæ in exemplar esset, connexionem? Quid quòd simillimi inter se quantum lux luci, aut lacti lac, natura, gratia, corpore, animæ dotibus, studijs, vt singulares

[1] *Euang.*
[2] *Euang. & quomodo coarctor.*
[3] *Euang.*
Vita nostra dies.
[4] *Iob.*
Contemplationis studium rectè significatum per noctem.
[5] *Epicharmi dictum.*
Aeternitas significata per matutinum tempus.
[6] *Gen.*
[7] *Exod.*
[8] *Euang.*
[9] *Paul.*
[10] *Gen.*
[11] *Exod.*
Ver Symbolum lætitiæ, & dulcedinis.
[12] *Psal. concupiscit, & deficit.*
[13] *Psal.*
[14] *Psal.*
[15] *Psal.*
[16] *Euang.*
Maria pastor, nata omnium vtilitatibus.
[17] *Ecclesia.*
Mariæ, & Christi Domini laudes.
Similitudo.

extiterint. Vnde eadem propterea de vtroque vsurpata. Et de illo quidem. [1] Speciosus præ filijs. De hac. Tu [2] supergressa es vniuersas. De illo, quòd [3] filius altissimi sit. De hac, quod filia. Vnde eadem sibi ipsi dicunt. Ecce tu pulcher es, ecce tu pulcra es, vt dicemus. Ad hæc duo tantum actores agunt gestum, quia duo tantum, Christus, & Maria in amore singulares, & cæteris leges. Duo interea chori. Et alter quidem è sponsæ parte, puellarum: alter cum sponso, adolescentum: quia cum Maria Ecclesia, siue istorum animæ, siue adhuc sacræ Scripturæ, siue etiam creaturæ omnes, ipsam consolantes, & benè sperare precantes: cum Christo verò Domino Angeli, beatissimi spiritus. Et rectè Ecclesia, iustorum animæ, Scripturæ, siue Prophetiæ, creaturæ, in adolescentulis expressæ, quia & ipsæ nubiles, exspectantes coniugij sui diem, nimirum suum sponsum, suum figuratum, suum finem, aduentum Christi Domini. Rectè Angeli in adolescentulis, qui robusti, ac fortes, & ipsi de [4] cœlo cœlestes. Rursum rectè illæ cum Maria, quia cum illis lenire aliqua ex parte poterat de aduentu Domini, quod conceperat desiderium, illis ad contemplationem vti, ex illis diem aduentus sciscitari, ab illis denique consolationem admittere. Rectè autem cum Christo Domino hi, nimirum Angeli, quia ipsi Angeli pacis, ipsi in ministerium missi, ipsi sodales, & comites. Ex quibus quam rectè quadret fabula, possumus rectè intueri. Vt autem illi chori maxime è nuptijs, ita maximè è mysterio Incarnationis hæc omnia fuerunt, & Ecclesia cum Maria, quæ & ipsa sponsum, vt dixi, præstolabatur, & iustorum animæ, quibus redemptio parabatur, & Scripturæ, siue Prophetiæ, quæ illuminabantur: quæ propterea lucere nouæ nuptæ facem poterant; & denique creaturæ, quæ principio, ac fini ornabantur, & [5] A, & Ω concludebantur. Angeli vero à Christo, quorum ille ministerio est vsus ad omnia, quibusque è gratia, & beneficentia hominibus facta, gloria, & gaudium redundabat. Agitur in agro scœna, in vinea, quia hic amor in hoc mundo exercitus, & in hac vita, quæ nobis [6] campus syluæ est, & communis cum bestijs locus. Hæc vero vita aptissima diuini amoris exercitio, nam hæc studium, hæc curriculum, hæc circus, & theatrum est. Altera, quæ portus est, quæ domus, quæ cubiculum, non exercitationi, sed fruitioni apta est. Hic negotiationi, & mercaturæ operam dare possumus, hic rei familiari augendæ: vnde meritò dicitur hic de gentibus: [7] Negotiamini dum venio. Hic fidei locus, hic spei, hic exspectationi diuinarum consolationum, hic pressurarum pro dilecto, & tribulationum; hic denique querimoniarum earum, quæ amori stillæ quadam sunt, quibus ille magis incenditur. Vel possumus dicere quòd ager, aut vinea Ecclesia est, fidelium congregatio, vt ipse Saluator vineam dicit, in qua qui sunt omnes diuinos possunt amores experiri, extra quam nemo. Actionis ad hæc totius, quinque actus, quia huius diuini inter diuinos amatores amoris quinque præcipua incrementa, siue significationes, de quibus in progressu. Iam & argumentum quod sit, ex progressu adhuc fiet ipso. Vnde nihil est, quod hic recenseamus.

CA-

1 *Psalm.* 2 *Prou.* 3 *Euang.*

Maria Domina, & Christus Dominus tantum singulares in amando.

Chorus puellarum quid significet.

Angeli rectè per Chorum Pastorum.

4 *Ex Paul.*

5 *Apocal.*

6 *Psalm.*

Hæc vita cur apta diuini amoris exercitio.

Altera vita apta fruitioni.

7 *Euang.*

CAPVT PRIMVM.

Osculetur me osculo oris sui.

Act. I. Scoen. I. Spôsa, Chorus.

ABERAT sponsus, siue protrahebat aduentum. Ex arte, & ad rem spiritualem magis. Absentia, & mora amorem experitur, incitat. Quò absentes per literas omnes illæ, quæ tempora numerant, de reditu admonent suos. Interim ab absente, qui spe lactent ingeminati nuntij de aduentu. Ingeniose, nam quem absentia acuit, obtundit amorem obliuio, & securitas quædam non redamantis inditium. Lentescunt enim, vt ille, tempore curæ. Sed nuntijs dum [1] dulcis spes nutritur, spe affligitur nimium dilata animus: Durissima enim res [2] optare, nec potiri: incidit in deliquium inops animi, accurrentium puellarum vocibus, remedijsque euocatur. Euocata, & amicas offitiose assistentes videt, & odorem medicamentorum sentit. Fortè & osculis carioris alicuius prouocatur ad oscula. At his nihil sibi restituta, magis autem ei, in quo viuit absente, quem præ omnibus habet vnum; ait, non sine suspirio prologo; Nec sine doctrina. In [3] meridie non dormitandum, præsertim amanti. Osculetur me osculo oris sui. Quid isthæc vestra, aut ad spem lactandam nuntia, aut ad spiritum reuocandum oscula, vinumque, vnguentaque nihil proficientia? è medio omnia. Facite adsit vnus; confecistis. Sciebat frontem, quod in veteri est adagio, occipitio meliorem, nimirum præsentiam omni alia re. Osculetur me (nominarant ad consolationem puellę, cuius ipsa nihil meminit) osculo oris sui. LXX. ab oculis. Hebræi de. Idem omnibus. & poetice omnia. [3] Natalis terræ fumum, nimirum sponsi præsentiam, his optabat, & amorem. Mirum vno initio quot amoris mores, dramatis alta decora. Ab amore, & ex fabula deliquium. Præ amore [5] Ammon ægrotat. Linquitur illa apud poetam, & ancillis excipienda cadit præ amore. Sed vt ab amore erga sponsum deliquium, ita & ab amore erga sponsam puellarum offitia liquescenti, & ex commiseratione. Id ipsum autem è scœna. Daphni veniunt bubulci, pastores, caprarij, eiusdem scilicet ingenij omnes, interrogant. Quod passus sit malum. [6] Daphni mi-

Absentia, & mora amorem experiuntur.

Amorem quē absentia acuit, obtūdit obliuio.

[1] *Pyndar. spem dulcem dicit.*

Durissima res optare, nec potiri.

[2] *Anacreon.*

In meridie non dormitādū, Adag.

[3] *Plat. verba in Phœdro.*

Frons occipitio melior quid? Adagium.

Natalis terræ fumum optare quid? Adagium.

Deliquiū ab amore, & e fabula, & vnde?

[4] *Adag. ex Hom. Odyss. A.*

[5] *2. Regum 13.*

[6] *2 Theocr. Idyll. 1.*

ser,

ſer, quid tu liqueſcis? Iam oſcula, muliebres ſalutationes, vinum verò, & vnguenta in primis opportuna malo remedia.

7 Anacreon in ſeipſum.

7 Date mi, date,
Cyathum, vt bibam Lyæi.
Quia me bibit quoque ipſum
Calor aridus:
Et ſuo iure ille.

8 Idem.

Amoris mores plurimi deſcripti initio Cantic. & quo pacto.

8 Bibendo enim omnis ærumna dormiebat ipſi. ſed de hoc ſuo loco. Sed animaduertis primò expergefactam, primò de ſponſo ſtatim fixè cogitantem, & in illum tanquam in ſuum ſolem erigentem amoris oculos? Rurſus ſibi præſentiam illius exoptantem? Contemnentem, aut negligentem præ vno cetera? Omnium Architectus, atque artifex amor, quicumque, non leuis tamen, aut non indoctus. Et alia primò nec plenè expergefacta apud quemdam poetam.

9 Ouid. Ariad.

9 Incertum vigilans, an ſomno languida, mouit
Theſea penſuras ſemiſopita manus.

10 Anacreontis verba.

plurimos cum fugiſſet ſcilicet amores, 10 hærebat in hoc ſed vno, vt ille de ſe. Melius omnes huius notæ fugiſſet. Sed huius rei ſacri amatores locupletiores teſtes, puriora ſpecula; vt purius, vt candidius, vt ardentius amant. Qui media nocte ſurgebat ad confitendum Domino 11 Rex, an non media nocte ſtatim excitatus è ſomno, de eo, cui erat laudes dicturus, reiectis ceteris cogitabat? 12 Ad hæc è ſacris prophanus Ammon, vel cibum ipſum neglexit amans. è prophanis omnia Dido, vt eſt obliuioſus amor, vni inhærens quem fouet. Amanti omnia cecidere. ſacra non ſacra, vtilia, iucunda.

11 Pſalm.

12 1. Reg.

13 4 Aeneid.

13 Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet. Pendent opera interrupta. aliaque.
Hærent nimirum pectore vultus, verbaque.

14 Seneca Hypp. act. 1.

15 1. Reg.

16 Ter. in Eun.

Quid 14 Phœdra mulier in inceſto amore? Quid in inceſto 15 Ammon vir?

Nulla voluptas amore potentior.

17 Plat. in conuiu. Or. Agathonis.

18 Pſalm.

19 Sen. in Hypp. act. 2. ſc. 1. verba.

20 Ex Plaut. in ciſtell. *Sic Ariſtit. n. ep. 21. l. 2.* Vnus mihi finis amare, & amari.

Sed nihil illo ſignificantius. 16 Deleo omnes (quod eſt apud Comicum) ex hinc præ vna ſcilicet. Tædet harum quotidianarum formarum. multum hæc ad ſpiritualia Deo dante. Interim veriſſime dictum apparet 17 nullam voluptatem eſſe amore potentiorem; in quibus ſcilicet dominatur. Sed quod de præſentiæ cupiditate, ardoreque dicebamus, in re amoris eſt, vt eſt vnitiuus amor. Vnde illa. Attamen ipſe veni, Noſter. 18 Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam. Quod autem innui hac oſculi cupiditate, & redamationis diximus ardorem, 19 ſiue mutuorum ignium, id in amore primum, atque ea prima lex, vt hinc intelligamus amati, non redamantes auctorem Deum quid peccemus. 20 Ita quiſque ardet, vt & velit incendere. Summumque in amicitia habet, ſi vſurpare illa poſſit. 15 Cæpi ego amare, contra ego illum, & ille me. Modeſta autem per oſculum poſtulatio redamationis, & coniugij ſacti hic.

Abeſt

SENSVS LITTERALIS DE B.V.D.

Abest autem iam sponsus, quia aberat olim Verbum æternum, seque suis regnis, atque ædibus, promisso quidem, quòd aliquando futurum esset, vt veniret, nondum completo, continebat; Protrahitque ille ex industria aduentum, vt acuantur interea amores, quia Deus consultò in vltima tempora Incarnationis benefitia retardabat, vt per hoc crescerent non solum iacentium in tenebris, lucis verum & amantium boni, desideria; fierentque interea amores & ad meritum, & ad voluptates maiores. Atque hoc est, quòd [1] Deus tunc absconditus dicebatur, cum nunc canatur, [2] Deus manifestè venit, quodque vt [3] cœlos disrumperet, quibus nimirum ipse se incluserat, & volens tanquam centum clauibus obfirmarat, rogabatur, & vt descenderet, cum nunc [4] nobiscum Deus vulgo proclametur. Id, quod ille summo consilio faciebat, vt per [5] hoc inualescente in dies morbo, medici qua teneretur necessitate apertius agnosceret genus humanum, grauiusque propterea conclamaret; Neue facilitas contemptum pareret. Magis autem vt pratium difficultas. Summo etiam ipsius sponsæ, nimirum Virginis, quæ omnium vna personas sustineret, clamaretque vna pro omnibus, benefitio, vt interea virtutes magis, magisque exercens constantiam, fortitudinem, spem; id sibi ipsa promereretur quacumque ratione, vt fieret tandem; apertioreque sinu in aduentu summi boni locupletius cumularetur donis. [6] Quod est in conspectu Assueri puellam reginam Esther diligentius exornatam, gratius apparuisse; maioresque ab eo fauores, & pollicitationes retulisse. Iam vt & omnes in Virgine sperare in eo, ac confidere disceremus, vt si moram fecerit, exspectemus tamen, quia veniens, veniet, & non tardabit, qui cum fœnore veniet, & iustus, atque æquus remunerator, [7] secundum multitudinem dolorum consolationibus, & lætitijs affecturus, & vt admirabilitatum iucundus effector est, pro sterilitatis temporibus effecturus vt sterilis [8] plurimorum filiorum mater effecta lætetur. His igitur rationibus abest in scœna sponsus, vt quàm deceat, videas. Iam verò ibidem sponsa interea nuntijs ingeminatis lactata, quia nimirum Virgo, quamdiu in cupiditate, & siti esset æterni Verbi, à quàm plurimis & Angelis, & sacerdotibus, maximè vero prophetijs, & argumentis consolationem accipiens. Hùc illa quotidiana [9] Angelorum frequentia, & conuentus domum ipsius, ipsi meritò vel puellæ in templo degenti attributus à patribus. Hùc illa sacerdotum, & piorum admiratio, & cum ipsa colloquendi insatiabilis diuina sitis. Hùc illa sacrarum litterarum, & perpetua meditatio, & diuinum sapiens intelligentia. Hùc denique illa vis ingenij, & acumen, quod ipsasmet beatas intelligentias in admirationem adducebat, propter quæ [10] procul, & de vltimis finibus pretium eius, nimirum cœlestis, ac diuina conuersatio videbatur. Vt autem de Angelis tantummodò hìc dicamus, quorum proprium est mitti, & ministros esse, & nuntios afferre; quotidie ab Angelis, inquiunt Patres, frequentabatur. Id, quod cum illa summæ

Deus cur distulerit Incarnationis tempora.

[1] *Isa.* [2] *Psalm.* [3] *Isa.* [4] *Euang.* [5] *leg. 3. p. de Incarn.* [6] *Esther.* [7] *Psal.* [8] *Psalm.* [9] *Ex Sanct. Patr. Quotidie ab Angelis frequentabatur.* [10] *Prou.*

gratiæ

gratiæ mulieie, eximijque meriti, vniuersitatis principi, & immortalitatis duci, meritò fiebat. Quotidie igitur cum illis colloquens à diuino Verbo nuntios accipiebat, [11] & per consolationem Angelorum spem habens, se sibi, atque hominum vniuerso generi sustentabat. Sic vt sponsus sponsam nuntijs, Deus Mariam Angelis decenter lactabat; nam, neque à Deo non esse debuerunt hac in re nuntij, qui spem alerent, ac consolarentur, cum in humanis deceat vt sint, fuerintque. [12] ab Abraham Rebeccæ, neque non ij esse, qui à Deo esse putari possent. Quamquam & per nuntios à sponso, possumus internas quasdam, & a Deo diuinas mentis collustrationes, quæ & ipsæ ad spem alendam immittuntur, intelligere. Sed nuntijs etsi spem capit sponsa, non desinit tamen affligi, quia sanctissima Virgo, etsi consolationem Angelorum admittit, verbisque illorum despondet, tamen desiderijs magis inardescere tanquam igni lignis super impositis, & æstuare non desistit. Clamat, exclamatque. Et vt omnium personam sustinens, omnium lingua effecta, atque os, omnium clamores in se fundit, effunditque cum fœnore. Vulgaria ipsi erant illa. [13] Vtinam disrumperes cœlos. Veni Domine, Rorate cœli, aliaque. Alias illa preces, quibus [14] Assuerus ad inclinandam virgam auream, nimirum Pater ad mittendum Filium flecteretur, fundebat, atque alias emittebat voces, quibus ille Vnicornis ad beneficia mortalitatis se traderet capiendum. Donec tandem non dicam inops animi, at amoris patientissimè impatiens in deliquium incidit, non quidem corporis, at amoris; nimirum eo deuenit cupiens, atque optans, vt miraculo factum sit, nè destituto corpore anima euolarit. quod per deliquium rectè, cum aliter nequeat, expressum est. Nisi dicere velimus, quod cum deliquium destitutio quędam sit, eò Virgo deliquium passa dicatur, quòd nimirum eò per desiderium venerit, vt omnem aliam curam, cogitationemque destituens, tota Deo inhæreret anima eius, totaque desiderijs detineretur, vt per hoc ille amoris effectus vnio significetur. Quod quidem non ita est intelligendum, quasi quod alijs curis, cogitationibusque detenta quicquam antea à Deo distraheretur, sed ita vt maioris amoris, & perfectionis ex comparatione vis sic nobis ad intelligentiam significetur; enim verò non solum magna, parua, verum unita, minus unita, comparatione exstant, ut unio maior, ac strictior, minorem, ac laxiorem demonstret. Huiusmodi igitur deliquio affectæ dum in fabula præstò adolescentulæ cum remedijs sponsæ sunt, præstò ipsi Dominę prophetiæ, ac creaturæ sunt cum argumentis, tanquam fomentis, quibus desiderium leniat, & tanquam sibi restituatur. Enim uero altissimè defixæ rerum species, tum infusæ, tum acquisitæ se se offerebant, ut fit, amanti, ex quibus posset, si uellet de Messiæ aduentu imminente, probè argumentari, & aliquantulum interea è desiderio respirare. Et rectè hæc per fomenta, per unguenta, per uinum significata; habent enim uim, atque efficaciam leniendi, ac consolandi maximam. Vnde & [15] antiquis Iuppiter dictus, In cerebro uiridarium habere; & quos [16] nos consolari ex afflictionibus

[11] Paul per consolationem Scripturarum.

[12] Gen.

Mentis collustrationes Angeli.

B.V. Dei Incarnationem ardens, cõsolatione magis vritur.

B.V. omnium persona.

[13] Isa.

[14] Esther.

Deliquium in Virgine Dom. quid, ac quod?

Comparatione nõ solum magna, & parua. verum vnita, minus vnita, dicuntur.

[15] Vide apud Pier.

[16] Ex Tull in Tuscul. ex Boet.

ctionibus voluerimus, vt ex se ipsi petant consolationem dicimus; nimirum vt intus in animo à virtute, à scientia postulent. Sed sponsa horum consolationem non admittit; quia Mariæ desiderium in his ad Messiæ aduentum optandum, & efflagitandum magis intenditur. Vnde non sine suspirio, non sine maximo affectu purissimo corde tacita exclamans, ait. Osculetur me osculo oris sui. & ipsa, in vnum solem defixa. Et ipsa præ illo alias consolationes contemnens. Osculetur me, inquit, osculo oris sui. Veniat, & carnem assumat. Si sequi sententiam voluerimus dicentium optimam parentem id sibi maximè optasse, atque etiam: offitiosè tamen, & vt par erat, petijsse, quadrabunt magis hæc. Osculetur me, sumat carnem ex me. Quæ quidem sententia, neque improbabilis est, neque omnino non habet ea, quibus in illam merito iri possit, vt alibi. Rectè autem Verbi Dei aduentus in carne, & assumptio ipsa carnis per osculum exprimitur; sicut enim osculum coniunctio est oris ad os, ita Incarnatio coniunctio est naturarum diuinæ, & humanæ. Ac sicut osculum lectio quædam animę, ac spiritus in osculantem est, ita Incarnatio [17] assumptio est humanitatis in Deum. Vnde non immeritò non ait. Osculer ego, sed osculetur ipse me. Rursum sicut per osculum ita legit, qui osculatur, vt quodam modo legatur, ita attrahit, vt & attrahatur, nimirum ita legit Animam eius, quam osculatur, vt & sui adhuc animum, spiritusque ipse communicet; ita & per Incarnationem Verbum Dei ita humanitatem assumpsit, vt & suam diuinitatem, sua bona, beneficiaque communicarit. Denique sicut ex osculo, vt diximus, res, quæ maxima coniunctio est, & finis, à qua proles similis progenitoribus, vt ex fumo flamma, ita ex Incarnatione Verbi Dei beatitudo illa æterna in humanitatem ipsam, & in Mariam, ex qua caro sumpta est, quæ quidem omnium coniunctionum, & maxima, & finis est: vnde dicitur quòd erimus ei similes, & erimus per beatitudinem in Deo, & Deus in nobis, & quòd tanquam fine adepti gaudebimus in seculum, à qua proles similis, nimirum Christiani, ac fideles partim hic in spe, tum ibi in re tandem, vt Christus, vt Maria ipsa beati. Ex quibus licet inferre, natura quidem Incarnationem Verbi antecessisse beatitudinem illam completam, atque perfectam, qua in ipso Incarnationis instanti, volumus Christi Domini animam iuxta illud [18] (Beatus quem elegisti, & assumpsisti) fuisse beatam. Rursum Mariæ, quam etiam osculatum dicimus sponsum, tunc arram quamdam certam, ac debitam beatitudinis æternæ datam in Incarnatione, & quodammodo ius ad immortalitatem, & diuinum illud æternæ vitæ coniugium. Vnde non sine diuino consilio cœpit ex tunc, cum Verbum Caro factum est, [19] beata (quæ nimirum quòd certo futura esset, certò præsentiretur) prædicari, ac dici. Beatus venter, & vbera. Beata, quę credidisti. Et ipsamet. [20] Ecce enim ex hoc beatam me dicent. Denique & nobis spes, futurum aliquando, vt nisi degeneres probaremur, similes illis essemus. Quæ cum ita habeant, cumque ita habere probè intelligeret ipsa Virgo, quę sapientissima esset, & omni dono ab initio cumula-

Consolatio vera inde petenda.

B.V. optauit carnem ex se sumi à Verbo. Probabilis sententia.

Incarnatio Verbi cur osculum?

17 *Ex Symb. Athan.*

Ex Incarnatione beatitudo in Christo Domino homine, & in Maria.

Incarnatio prior natura, quã beatitudo animæ Christi Domini, & vnde infertur.

Mariæ Dominæ in Incarnatione data arra beatitudinis.

18 *Psalm. vide D. Thom. 3. p. de hac re.*

19 *Lucæ.*

20 *Lucæ.*

mulatissima; rectè & nos intelligere poterimus, quàm merito illa huius Incarnationis mysterij fuerit appetentissima. Intelligebat nimirum ex hoc coniugio, quæ ipsam dos, quę familiam lętitię, quę Patrem familias gloria, quę denique filios nascituros maneret hęreditas. Nè autem virgo temere optàsse videretur, desiderij subiungit orationem.

Maria Domina, cur appetétissima mysterij Incarnationis.

Quia meliora sunt vbera tua vino.

Vix hæc de osculo, tanquam ad externum absentem; cum statim [1] absentem illum, quem sibi præsentem facit amor, altè in mente defixum, conuertit sermonem, ipsumque ac si adesset amans alloquitur. Artificiosè ad amorem indicandum. Inuenias sæpe apud [2] Dauid Artificij decus. Sumpta vero ex vino, vnguentisque in remedium destitutionis ab amicis allatis occasione, ad ea in sponso laudanda, quæ his essent symbola, quorumque exstare possent comparatione conscendit. Meliora, inquiens, sunt vbera tua vino, hoc scilicet; quocumque, vndecumque ab amicissimis ad summa selecto. Et vbera, vel amores, amorumque delitiæ, quorum sedes cor, quod est inter vbera (Hebręa phrasi, secundum quod inebriari vberibus frequens in sacris, idest amoribus) vel vbera ipsa:

[1] *Virg. 4. Æneid.* illum absentem absens, &c.

[2] *Psal. vt illud. Cum inuocarē exaudiuit: & statim in tribulatione dilatasti*

Vbera quid sint in sacris, & apud Hebræos.

* Diximus vbera amores esse, esse ipsum tactum corporis, vinum esse consolationem quamcumque, quantumuis maximam ex alijs rebus, etiam ex prophetis, ex contemplatione creaturarum. Ait igitur Virgo; quia meliora sunt vbera tua vino, nimirum quia iucundiores amores ex præsentia, siue tactus humanitatis, prophetijs, alijsque consolationibus. Id, quod illa suo iure, non solum ex amantium conditione dicebat, qui longè pluris amari quodcumque, vel minimum amoris signum, quàm simul cetera faciunt, si simul omnia in lætitiam coaceruentur; verum ex re ipsa, siquidem quod [1] ille de cognitione ait, quamcumque, vel leuem superiorum meliorem ea esse, quæ perfectissima sit inferiorum, idem & nos de amore eadem ratione dicere possumus; immo, & maiore, cum per amorem fiat, vt qui amat id fiat, quod amat, & terra, si terram, cœlum, si cœlum, Deus adhuc, si Deum; vt meritò melius sit modicum diuini amoris iusto, [2] super diuitias peccatorum multas, & iucundior in atrijs Domini per affectum dies transacta, super millia. Ad hęc ex altissima Theologia dicta videntur hęc, si ad tactum ipsum diuinæ carnis referre velimus omnia, & per tactum intelligere. Melius Christum Dominum in carne, vel leuiter tangere, de [3] quo virtus exibat, quàm omnes prophetas & audire, & legere; ad omnem se conuertere sapientiam, omnium creaturarum altissima in Deum contemplatione mentem exercere; quin & iucundius, & vtilius adhuc Virgini, in quam, vt alibi diximus, ex tactu quocumque illius plus gratiæ ex opere, quod hi aiunt, operato infundebatur, semel, quam ex opere operantis sępius ex lectione sacrorum, siue ex contemplatione diuinorum; ac plus consequenter lætitię; sicut & [4] Esther plus ex tactu aureę virgę accepit ab Assuero, quàm ab ęstimatione, & reuerentia Hebręorum. Vnde non imme-

[1] *Arist. Met.*

[2] *Psalm.*

[3] *Euang.*

Tangere Christū Dominum quanti momenti.

[4] *Esther.*

immeritò ab Ecclesia earum fit sæpe partium mentio, quæ illum tetigerunt, ventris, vberum, manuumque consequenter, quæ propterea tam multis, ac crebrò beatificantur. nam si Apostoli gloriantur aliquando tetigisse. 5 Manus nostrę contrectauerunt, qui aliquando leuiter tetigerint; quanta fas est sit vni Marię gloriatio, quę ad lactandum, ad stringendum inter vbera, ad vestiendum, ad omnia dulcissima mater, sanctissima nutrix publico, diuino senatus consulto, iam inde sit ab æternitate deputata. Rectè autem per vbera humanitatis, siue per tactum vberum, tactus humanitatis significatur; vt enim tactus vberum prior est amantibus, vt diximus, & propterea sensibilior ex tubere: Vnde Adagium, Vbi vber, ibi tuber; ita & amor erga humanitatem quodam modo prior est, per quam ad amorem diuinitatis deinde progredimur, & est prętetea tenerior, & ex consideratione beneficentię quodam modo delectabilior. Neque hic Virgo sistit, sed vt est vber amor, & fœcundus, subdit.

5 Io. epi. 1. Cap. 1

Humanitas Christi Domini, rectè significata per tactum vberum.

Fragrantia vnguentis optimis.

Alij cum vberibus hęc coniungunt. Meliora vbera fragrantia, dum scilicet fragrant. Alij sic seiungunt. Et fragrantia tua melior est vngeentis optimis. Atque his 1 LXX. fauent. Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Sed vnde hęc sponso fragrantia? Ex vnctione. Antiquissimus is amorem exercentibus mos vngendi; primò quidem, vt cetera necessitatis filius, tum adoptatus voluptati. Quare & illud antiquissimum. 2 Vngor illi. Communis autem mos, quem ipsa Theocriti idyllia omnia oleant, vel ea, quę pastoribus tributa. Hebręi Pastores presertim, qui male olentibus ouinis pellibus induerentur, vnguentis artificibus malo obuiabant. Atque hic filij Iacob 3 odor agro pleno, & spiranti comparatus. Sed etsi non vngantur, optimè olent amantibus amati, ipsi, ipsorumque omnia vel pessime olentia. Nam

Turpia decipiunt cęcum vitia, aut etiam ipsa hęc
Delectant, veluti Balbinum Polypus agnæ.

Vnde rectè de se Poëta. 4 Delectant mea me, vel denique fallant. Optima autem, & artifitiosa contrapositio, dum vberum tactus vel leuis, aut è medio vberum odor quicumque, vino conuiuiorum delitio, elargitori lętitię, vim menti, nè dum corpori afferenti, amorisque lictori, antefertur prę amore. Et quidem cuicumque vino, cuiuscumque, & ętatis, & nobilitatis; fragrantiaque quęcumque optimorum aromatum, siue vnguentorum odori. Ab amore Oratore. 5 Mallem equidem id mihi, quam multum auri adesse. à quo & illa Diuina amantis. 6 Super aurum, & topazion. Super diuitias peccatorum multas: Huc enim pertinent: Et 7 melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Quod amant, singulatiter amant, & carum habent, qui amant, nec pręter amati præsentiam 8 quidquam remedij agnoscit amoris grauissimus morbus, vini, vnguentorumque. Itaque odores

1 LXX.

Amatoribus antiquissimus mos vngendi.

2 Plaut. in Casin.

3 Gen.

4 Horat. in Ep

5 Phæd. apud Plat.

6 Psalm.

7 Psalm.

8 Plat. verba in Phædro.

odores à sponsa, non vt genus voluptatum 9 minus diuinum re- spuuntur, sed vt quibus sit ipse sponsus iucundior.

Amori nihil remedij præter præsentiam rei amatæ.

9 *Plat verba in Philebo.*

* Quod vt diximus, duobus adhuc modis possumus explicare, vel vt ad vbera referamus, vel vt nouam esse collationem dicamus. Et sanè si cum vberibus coniunxerimus, fragrantia erant sponsi vbera vnguentis optimis, quia nimirum Christi Domini humanitas, quod alibi 1 oleum letitię dictum prę consortibus, & participibus; nimirum prę alijs hominibus; virtutibus ad saluandum, donisque, ac gratijs delibuta. Nimirum 2 vidimus eum plenum gratia, & veritate, 3 requieuitque super eum Spiritus sanctus. Id, quod & quia ita ipsum decebat, factum est; vt nimirum sic incederet delibutus Deus homo, itàque omnes afficeret, quia sponsus ad nuptias veniebat. Nam si gratię, & dona Spiritus sancti hominibus ad diuitias, & ornamentum ipsorum dantur, aliorumque ad vtilitatem; certè abundare, & redundare illis debuit is, qui vt Dei diuitias ostenderet, & quid posset Deus dando, veniebat; & vt non solum quoscumque homines sibi, ac Deo ad immortalitatem, verum & eos homines, qui vniuersum mundum lucraturi essent; lucrari veniebat. Rectè autem per vnguenta gratię, ac dona, nam ipsę nitidiorem faciunt, & fortiorem, ipsę etiam, & cariorem, ac iucundiorem. Vnde non immerito in sacris, tot tantęque vnctionum, & olei mentiones. Dicuntur verò vnguenta optima, & quia ipsa per se optima, ab optimo largitore, cui propterea canitur. 4 Veni creator optime; ad optimum finem; si quidem 5 omnium diuinorum diuinissimum cooperari Deo in animarum salutem; & optimum est gratia stabilire cor, optimę qualitates, & virtutes; & quia in optimo subiecto, optime collocata, optimo 6 negotiatori data. Ceterum si separemus, faciamusque vt sonant verba. Fragrantia tua melior est vnguentis optimis; erit sensus idem, qui supra. Tua à te, & de te leuis consolatio quęcumque, optimis ex alijs, quę percipiantur, consolationibus pręstat. Possumus & per fragrantiam, quę nasum delectat, quęque è, tota re spirat, compositionem quamdam, siue modestiam, quę iudicium nutrit, & recreat; quod quidem latinis nasus est. Vnde naso suspendere, & nasuti homines intelligere. Quæ quidem vnguentis optimis pręfertur, quia plus Virgini sola sapiebat ex aspectu filij, cum in illum erigebat oculos, quod quidem frequentissimè faciebat, quàm ceterę spirituales exercitationes quęcumque. Sed vnde tibi hęc nota Virgo, ac quando, vt isthęc tam liberè predices? aut quos facis auctores? Relatum inquit, accepi publico, at certo.

1 *Psalm.*

2 *Io.*

Christus Dominus homo cur debuit esse vim gratia delibutis.

3 *Isa.*

4 *Hymn Eccles.*

5 *Dion. Areop*

6 *Ex Euang.*

Modestia Saluatoris Domini, quã grata Virgini Dominæ.

Oleum effusum nomen tuum.

Oleum, vel oleum ipsum, vel vnguentum, quod oleum, vt fit, oleat, vel non oleat etiam. Sic enim Hebręi, quę nos vnguenta, oleum dicunt. Nomen fama, existimatio. Mirari poterant adstantes, quòd quasi oculata testis sponsa fuisset de sponso locuta; suspicarique congressos; rursum quòd in suo tantum sibi ipsa placeret. Prudenter igitur

tur illa bono nomini honestatis, & prudentię consulens, qua hec accepisset ratione explicat; quòd scilicet relatu. [1] 2. Corinthiorum 2. dicitur. Odorem notitię supermanifestat per nos, idest vnde agnoscatur. Nimirum de more multę nuptias sponsę congratulatum venientes, de sponso, vt gratę essent, iniecerant sermonem, dignaque de illo se; aut vidisse, aut accepisse. Ipsas sibi in sponsum optasse, illius amorę detentas maximo. Nunc vni gratari bonum, & vt suum diligere. Quare, ait, Nomen tuum, ac de te fama, siue existimatio, tanquam oleum, aut odoratum quid, siue odor ipse vndequaque quoquis sparsa, atque diffusa, vt is, quem te ego habeo, omnibus facile prędiceris. Me nec falli, nec fallere. Videtur dicere. [2] Prima fuit vultus nuntia fama tui. Et. Ante tuos animo vidi, quam lumine vultus. vel melius. Magna quidem de te rumor pręconia fecit. nisi melius, quod de se ille. [3] Hinc vsque ad sidera notus. Confirmatque ab effectis Orationem.

[1] 2. Cor. 2.

[2] Ouid. in Par.

[3] Virg. in Daphni.

*Sponsum ipsum sponsa alloquitur, aitque bono nomini prouidens se à nuntijs ipsis accepisse relatu, quia nimirum consulens virgo veritati, se de illo ab Angelis, à prophetis accepisse fatetur. Oleum, inquit, effusum nomen tuum. Quod propheta ait. Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? nimirum quod alibi diximus, sparsa fama, atque diffusa. Et sanè, vt id omittamus, quod Angelorum relatu accepisset, legerat ipsa de illo multa apud prophetas, quorum erant pleni libri, oculisque penè ipsis descriptum viderat. Et quòd speciosus prę omnibus vnus futurus esset, & quòd in labijs eius singulari gratia, quòd myrrha, & gutta, & casia delibutus, aliaque sexcenta. Equidem crediderim: vt sapientes loquuntur: ad hęc ipsa illius psalmi, quę alluderet, sapienter à sapientissimo Salomone introductam. Ibi enim expressè de odoribus habetur, nisi quòd humanitatem, quam ipsa Virgo vbera, ille vestimenta dicit, (myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis) quæ adhuc ibi dicitur de Virgine assumenda. (A domibus eburneis.) Et nè aliquid desideretur, dicitur & ibi. Filię regum in honore tuo, id, quod hic subditur.

Ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Virgines abscondite, nubiles, hoc famę, & nominis odore allectę; te sibi sponsum quęlibet optans. Optima sponsi laus. Sensus. Amant te omnes, neque iniuria, qui sis tam pulcher. Optimum, & ex ingenio artificium, se tot, nec casu prelatam insinuantis, sibique vni. victoriam tot certantibus, gratulantis. Legitimum autem gaudium, dum vna multarum votum sola tenere potest. Id autem, Dilexerunt te nimis, plusquam oculum dicerent alij, alij plusquam [1] osculum, alij aliter. nil melius, quam indefinita locutio. Sed non est omittendum, quòd honesti amoris imago à Salomone hic expressa, ac casti, hinc maxime cernitur; dum inducitur sponsa, quę non aliarum sponso amorem [2] inuideat, vt vulgaris est amoris, aut corpora amantium,

[1] Theoc. Idyll. 19 Cypri diligit te, & multo plusquam osculum.

[2] Plat. verba in Phædro. qui autē amore tuī capti non sunt, sed propter virtutē, quæ oportet efficiunt, aliorum tibi familiaritatē minime inuidebunt, sed potius oderint eos, qui tibi inhærere noluerint.

Præferri summa laus.

Honestus amor, vnde potissimum agnoscitur.

non animos; cupiens potius omnium inhæsionem.

* Si propheticè de preterito, animas Prophetarum, & Patriarcharum intelligit, vel ipsas adhuc Hebreas adolescentulas, presertim à Dauide descendentes, que audito de Messia, quòd esset ex Hebreis, & stirpe Dauid, ipsum concipere, & parere iure optimò cupiuere. Si de futuro, Ecclesias, que ad predicationem Euangelij allecte, tanquam odore vnguentorum in honorem ipsius, nimirum ad famulatum venerunt. Et rectè anime Prophetarum, & Patriarcharum adolescentule, quia in conspectu Dei pulchre nubiles, exspectantes Messiam in lege, adolescentes ad gratiam. Rectè adhuc filie regum, quia nobilissime, & moratissime. Rursum rectè, & Ecclesie adolescentule, ac filie regum; quia gratiose, ac cœlestibus donis pre diuites. Atque hec dum memorat, & ipsa si quicquam, quòd in Dei matrem esset predestinata, aut argumenti, aut signi habebat, se prelatam alijs interea gaudet. Quod si non habebat, gaudet in ea, quam certo scit futuram, & sibi animo fingit. Quin, & vt in fabula sponsa, amoris pulcrè impatiens, & ipsa videndi cupiditate incensa estuat, aitque.

Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.

Alij. Trahe me post te. Alij post te curremus. hoc melius. Est autem trahe alijs, trahis. Alijs. O si trahas. & hoc melius. Trahe precantis. Commemorato enim de sponso, atque ex nomine de re sumpto argumento, quòd esset minor fama vero; videndi incenditur ardore, remque presens sentiendi. Impatiens igitur nouitij, vt ita dicam, amoris. Trahe me inquit. Quid est, quòd nuntijs, & nomine viuimus, tamdiu optata protrahuntur? Ingenium valdè amantium, quos sic memoria carorum, vel leuis ad obtinendum incendat. Legas apud nostros potissimum id artificij, vt est rerum summa, eterna obtinere. [1] Tobias vix incidit, vt Hierusalem meminerit, cum statim. Beatus ero, inquit, si fuerint reliquie seminis mei ad videndam claritatem Hierusalem. Mirus affectus, & sibi, & suis insuper felicitatem optantis. [2] Dauid. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam. Et notandum, quòd trahe, inquit, sponsa; respondet enim tacitè obijcienti morarum caussas, & veniendi impedimenta. Se, si venire ipse nequeat, paratam; modo significet; preter morem ire, ac deinde quocumque sequi; eunti nihil impedimento futuram; induturam alas, puellamque egram adolescenti robusto, vel cursu nihil cessuram. Et curremus, inquit. Velut [3] numinis cuiusdam tua sequentes, vestigia. Hoc vno contente, quòd te praeuntem sequemur. Similia illa miserè amantium, atque dictione vincantur, & breuitate; vt exstare magis faciant nostra. [4] Nisi me amor vincat, Decretum est mihi quasi vmbra, quoquo ibis, te persequi. Et.

Amãtes memoria Carorum, vel leuis incendit.

[1] *Tob.c.13.*

[2] *Psal.*

[3] *Plat.in Phæd.* eius velut numinis cuiusdam sequor vestigia.

[4] *Plau.in Casin.*

Me 4 modò siue paras impellere remige Classem,
Siue manes, Domini more venire Iube.

Et expressius.

Iam 5 quoque (vix credes) ignotas mittar in artes.

Facile credendum, vbi se ignota misisset in vitia.

Est mihi per sęuas impetus ire feras.

Et quoniam venatione maximè delectari intelligebat Hypolitum, quem fœdè amabat Phœdra, seu malis, fœda.

In nemus (addit) ire libet, pressisque in retia ceruis,
Hortari celeres, per iuga summa canes.

Et in quo sunt ad rem nostram omnia.

Ipsa comes veniam, nec me latebrosa mouebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper.

4 *Ouid. in Briseide.*

5 *Ouid. in Phæd.*

* Ac si & ipsa diceret illud. Vel tu fac venias, vel ego fac veniam: nimirum Ecclesiam inducens, & pro se caussam dicens ait. Vel tu vt pollicitus es, & statuisti te facturum, carnem assume; vel hoc relicto medio, quando potes omnia, me in ęternitatem beatitatis admitte. Sciebat sapientissima, & quid Deus optimus per sapientiam statuisset, & quid per omnipotentiam posset; neque ideo hęc dicit, vt quod ille statuerit mutet, sed vt ipsa quantum amet, ostendat. Rectè autem beatitudinem per tractum, per cursum delineat; Est enim quoddam trahere Dei beatum facere, & rursum quoddam currere animę esse beatum; sicut enim qui trahit, facit, vt qui trahitur, necessario trahentem sequatur, nec possit non sequi; ita se ipse manifestans, lumenq. suum pater luminum in cœlo cum beatis facit, & ad se vocans pulcherrimus, facit enim vt necessariò sequantur, neque possint, liberè tamen non sequi. Vnde merito ire in ęternam vitam beati dicuntur, vt significetur, quòd non sint illam vnquam deserturi. Nimirum semper est, quod ęternum est, id quod illi, ideo non deserent, quia ostendetur ipsis omne bonum, & omnia bona cum bono, dabiturque, & sine tędio conuictus, & sine 1 amaritudine conuersatio. Rursum sicut qui currit, ita libens, volensque currit, vt ad currendum nulla ratione possit, vel cogi, vel quòd cogatur predicari, ita in cœlo cum beatis fit; Ita enim libentes, volentesque beati sunt, vt non possint nolentes esse beati. Vnde sequi agnum dicuntur, quod est vnum volentium, & lętari, quod vtique non accidit repugnantibus, & aduersus lętitię lucem penetralia cordis obserantibus. Quę duo trahi, & currere, vt in beatitudine à Deo per summum artificium coniuncta in beatis sunt, simulque ita colligata, vt neque tractus cursui, neque cursus tractui, nimirum neque voluntarium necessitati, neque necessitas quicquam voluntario detrahat, vt par erat, ibi splenderet summum artificium, vbi quidam aceruus esset, & cumulus admirabilitatum. Ita sanè à Virgine per summum affectum simul optata sunt, & cupita. Et in odore ait vnguentorum, per vnguenta beatitates designans, quia nimirum quod hic gratia est, ibi est beatitudo, nisi quòd illa perfecta, hęc imperfecta, hęc cœpta, illa consummata. Sicut autem sponsa his

Beatitudo per tractum, & cursum designatur, & cur?

1 *Ex Sap.* non habet amaritudinem conuersatio eius.

Beatitudo vngueta, & cur?

dictis redit ad spem, sibique futurum autumat, vt aliquando in cellaria introducatur; ita & Virgo, vt introducatur simul cum Ecclesia in cœlum. Vnde & ipsa ait.

Introduxit me Rex in cellaria sua.

Introduxit nobis. Hebręis est. O si introducat, pro optatiuo, pręterito vtuntur. Vatablo est. Introducet. Preteritum pro futuro, pro rei certitudine. Familiaris prophetis locutio. Regis vero nomen ab honore ad amorem translatum amore nomenclatore. Legas & Reges, [1] & Imperatores amantibus amatos, & duces, & alia multa. Iam pro cellarijs suis LXX. habent in cubiculum suum. εἰς τὸ ταμεῖον. significat non cellam tantum Gręcis, seu promptuarium pœnu, vbi annona reconditur, sed etiam thesaurorum, & quarumlibet rerum pretiosarum repositorium. Hebręis Hadar, cum Heth. significat omnia penetralia domus, adyta secretiora, remota à turbis, & apta amantium secessui. Noster vertit. Cellaria, fortè ad vinariam cellam aspiciens, Pastorum adytum, penetrale, atque aulam, de qua modò dicetur. Quicquid horum sit, idem ex omnibus fit, estque congruus, coherensque sensus. Ab amoris nimio ęstu, & intolerantia, paululum sibi restituta sponsa, redit ad spem vnicum baculum, & dolentium ad omnia clauum; tollensque sese ait, [2] nutrito corde scientia sponsi, non tam vbi esset, quàm [3] qui scilicet esset. Introducet me Rex sponsus, vel introduxit iam. quid loquor desperans, aut quid tractus, & cursus meditor? [4] Fidere oportet, erit procul dubio melius. Erit, erit aliquando illa dies, cùm optatis potiar, sponsumque obtinebo, quæque nunc in votis sunt, erunt in re, & in fruges [5] flores erumpent. Iam videre videor præsentem, iam colloqui, iam tenere. Noui amati mores, ac fidem. Sapienter, amanter, dum ad spem [6] rectricem redit. Fidere enim oportet, vt ille ait, sapientem. Spes in [7] viuis. quì & addit. Et Iuppiter quidem aliquando pluit, aliquando est serenus. Officiose autem, dum tantum casta, casto sponso despondet.

> Amantes amatos sibi, & Reges, & Duces, & omnia dicunt.
>
> [1] *Tegmessa apud Sophoclem.* Aiacem virum regé dicit: Misereatis filij rex tui.
>
> Cellaria quid?
>
> Spes clauus amantium.
>
> [2] *Ex Pindaro.* dulcis spes cor nutrit.
>
> [3] *Apud Liu. dec. 1. lib. 1. cap. 4.* non tam vbi esset, quam qui scilicet esset.
>
> [4] *Verba sumpta ex Theocr. Idyll. 1.*
>
> Spes rectrix à Pindaro.
>
> [5] *Ex Themist. qui per florem spem signari voluit.*
>
> [6] *Pindarus:* spes maximè hominem volubilem gubernat.
>
> [7] *Theocr. ibid.*

* Nimirum erit aliquando, vt dante Deo, quod nunc optamus, obtineamus. Introducet, & certo introducet, vel. O si introducat. Si optantis sunt hæc, illa ipsa sunt, quę Dauidis. [1] Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam. Sin spei, & prophetiæ, Illa. [2] In Domum Domini ibimus. Est id piarum animarum, sicut sponsarum, sponsi cubile, æternitatis bonum ardenter optare, quam expertem omnis mali intelligant, vberem omnis boni, actionum, & contemplationum finem. Rursum in tempestate spei clauum arripere, & in dilatione boni, spe animum confirmare. Et quadrat in beatitudinem, vt cubilia dicantur, dicente propheta. [3] Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Idque propter quietem, & otij dulcedinem. Quadrat vt promptuaria pœnus, siue rerum ad annonam pertinentium, siue thesaurorum, dicatur, dicente Domino, [4] Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Et. [5] vt edatis & bibatis super mensam meam. idque propter copiam cum iucunditate permixtam. Quadrat

> Beatitudo cubile, & cur?
>
> [1] *Psalm.*
>
> [2] *Psalm.*
>
> [3] *Psalm.*
>
> [4] *Euang.*
>
> [5] *Euang.*

drat adhuc, vt penetralia domus, apta secessui dicantur, [6] transfigurante se Domino in montem seorsum, & dicente [7] propheta, in cubilibus suis, idque propter securitatem, & sine timore gaudium. Quæ omnia diximus in cellariorum nomine contineri. Quid autem, si introducatur, factura sit, quidque consolationis acceptura, & ipsa adhuc delineat, & ipsa ad ipsum sponsum tamquam præsentem alloquendum conuersa ex amore, & ipsa sibi ex hinc multa designans. Vnde subdit.

Beatitudo cellaria, & cur?
[6] *Euang.*
[7] *Psalm.*

Exsultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum.

Rursum eadem amoris lege, aut melius priuilegio, sponsum ipsum altè menti defixum, tanquam præsentem ad alloquendum elabitur. Eodem & poësis decoro. Familiare id, vt ex affectu loquentibus, ita & ex poësi pingentibus. E medio igitur sumptum. Vberius igitur excrescente spe, quę nunc sibi architectetur, tunc, cum voti erit compos, facienda, quibusque sit animus commodis compensandi tarditatem, eloquitur. Exsultabimus, tunc scilicet in illa penetralia admissę, & lætabimur (se vnam intelligit) in te. Quod alijs est, De te. Aut propter te. Mihi significantius. In te. Eo sensu, quo, &c. [1] Letatus sum in his, quod est animo, menteque in te defixa. & immersa in gaudium tui. A spe hęc & architectatio: & hæc commodorum, ac voluptatum ad animum pascendum pictura. Declarat hæc omnia (quando id nobis meritò sumpsimus, auctoris imitatione, exterorum nostra exemplis, & amorem amore in theatrum producere) quod est à Laodamia dictum. Quando ego te reducem &c.

[1] *Psalm.*

* Si (de te) interpretationem sequemur, obiectum designat, aut fontem. si (propter te) finem lætitiæ. si (in te) plenitudinem, & vt ita dicam Oceanum; nam sicut qui in mari aliquid facit, vndequaque mari cinctus, mare vndique, & vndique mare habet, ita in illa summi boni fruitione quis, vndique habebit, cuius manifestatione fruatur. Et vide quàm appositè dicat. Exsultabimus, & lætabimur, cum dicat propheta, [1] Gaudium, & exultationem obtinebunt. Nè autem beatos putes, aut rerum hìc in hac vita aliquando gestarum oblitos, nihil tamen meminisse, aut de humanitate Christi nihil lactaturos aliqua ratione, subdit.

Beatis quid sit lætari de Deo, Propter Deũ, in Deo.

[1] *Psalm.*

Memores vberum tuorum.

Memores, vel commemorantes verba de vberibus tuis tecum, vt verbis amor augetur. Vel (Memores Vberum) tractantes vbera. Neque enim quę nunc ardemus, tunc excident. commune verbum (Memini) ad multa, vnde nos nostri meminisse aliquos volumus, modo ad mercedem, modò ad honorem, modò ad munera. Et id igitur per summum artificium è medio amatorum sumptum ad spiritualia, & ex humanis miserijs ad diuina translatum.

* Quod est, ~vt diximus, ~vel in memoriam reuocantes amores tuos, quibus nos, in hac vita scilicet, exercueris, ~vel verba facientes de illis, ~vel tractantes vbera tua, nimirum corpus ipsum tuum. Quæ omnia beatorum, & è beatitudine sunt. Enim vero beati vbi ærumnas vitæ huius euaserint, & ad conuiuium æternitatis deuenerint, meminerunt, quæ in hac vita secum gesta sint, omnia, & quantum, & ama uerint, & contrà amati sint. Vt autem meminerunt, ita & [1] loquuntur de excessu, quẽ fecerit in Hierusalem Dominus moriens: Hoc est Hebræos in figura [2] dierum antiquorum, cum liberati sint, recordari. Hoc [3] seniores in Apocalypsi agno laudes decantare. & à memoria, siue recordatione illa sunt: [4] Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Rursum humanitatem illã sanctißimam, ad diuinitatẽ ostium, & nunc, qui etiã corpore beati sunt, & à die iudicij, omnes, quorum [5] vindicabitur sanguis, quique resument spolia, nimirum qui ad eamdem vitæ æternitatem cum corporibus resurgent, familiarissimè tractabunt; quodq; hic gloriantes fecerunt Apostoli, qui dicebant: [6] Manus nostræ contrectauerunt, id ibi beati facient in gloria. Vnde non immeritò post resurrectionem corpus suum Dominus gloriosum, corporibus præbet tractandum. [7] Palpate, & videte. Quæ cum ita habeant, ~videtur his Virgo de corporum resurrectione innuere, dum se tractaturam ait vbera sponsi, nimirum corpus. Et de resurrectione quidem corporis ipsius sponsi manifestissimum est. De resurrectione autem aliorum, saltem sui, quòd se dicit tractaturam; Siquidem corpora non nisi corporibus tractabuntur. Crediderim autem ex hoc loco, nihil quidem ex meo sensu, à veritate ipsa, illa deduci, quòd sicut ad amantium aspectum, primum illud est in pectus, atque in vbera manuum illatio, vt ex Theocrito diximus; ita & in cœlo futurum, cum Beati corpus resument. Primum quod cum corporibus facient, siue ad quod corpora mouebunt, illud erit, ~vt auctricem boni humanitatem Christi Domini euolent ad contrectandam. Ad contrectandam, inquam, quod ibi maximè amicitia, qua & seruitus, & obseruantia, & pietas, & cetera omnia continentur, maximè vt vigeat futurum est. Contingere manu gaudebunt decus, & adorare, seque continere nequibunt, quin ad Ioseph osculandum non proruant. Atque id ipsam Beatissimam parentem primum, atque in primis fecisse credendum, cùm è mortuis exstitit diuina virtute, quæ propterea dicitur super dilectum innixa ad nuptias processisse. His autem dictis animaduertit & ipsa Virgo; neque ad prophetias tantummodò, ac creaturas, tanquam ad adolescentularum iudicium, restringendam sponsi laudem, quæ pateret latius, haberetque adhuc alios præcones; neque reticendos, à quibus ipsa accepisset, qui adhuc laudandi silent, vt à laudatis appareret esse sponsi laus; Denique & ipsos prophetas eos esse, quibus fides maxima habenda esset, ideoque & ipsa subdit:

Beati meminerint beneficia à Deo in hac vita accepta.

[1] *Euang.*
[2] *Psalm.*
[3] *Apocal.*
[4] *Psalm.*

Beati cum corporibus tractabunt Christi Domini humanitatem. id, quam facient simul, ac corpora habebunt.

[5] *Ex Apoc.*
[6] *Io. Epist.*
[7] *Euang.*

Recti diligunt te.

Hebræi, Rectitudines. LXX. Rectitudo. Significantius. Recti, æqui

æqui æstimatores rerum, æquitas ipsa, ipsum æquum in abstracto: quod aiunt, iudicium. Sic autem hæc superioribus connexa. Animaduertit sponsa dicendo, quę de sponso prędicaret; Ea fortasse non omnibus probata; posse ex affectu, cui sua essent pulchra, videri dicta (ex ingenio mulierum, qua inuideri sibi semper putant, rerumque suarum propterea iudicium rectis, siue bonis, vt ipsę vsurpant, personis, commissum semper volunt, nihil ceteras se curare vsurpantes) ideoque subdit. Recti diligunt te, etsi alij succensent tibi, idque mihi vnum satis, nè falli nimio amore videar vna. De se id ille, quòd sit ab æquè æstimantibus in pretio habitus, prędicat, & facit ad nostrorum explicationem.

Mulieres sibi semper putant inuideri. Iudicium Rectorum maximum.

Nec tantum regum natæ petiere, ducumque,
Sed Nymphis etiam curaque, amorque fui.

Nympharum autem graue, propter multa iudicium. Vel Tam optima cum prędicasset de sponso tam liberè, aurita, non dum quicquam plenè oculata; [1] nè leuis animo crederetur, Oratoriè: amore Rhetorice: ætarum, à quibus accepisset, laudem innuit, non sine sponsi adhuc laudum incremento magno, cuius dicat laudem à laudatis profectam. Communi ex ingenio, atque arte. Vel forte, quod in idem ex parte recidit, Cùm prędicasset modò adolescentularum nimium amorem erga sponsum, nè videretur sponsi laudem in leue iudicium sexus, ætatisque reuocasse, se corrigit, remque ad omnes æquos rerum iudicio, affectuque æstimatores extendit. Recti, vel rectitudines diligunt te: quo & ipsarum adolescentularum laudes insinuat. Prudenter illa quidem semper, dum consulit æstimationi, [2] nè propter cupiditatis ardorem in iudicando, vt accidit, falsa videatur, itaque præter modum dictorum, factorum sponsi laudatrix.

[1] *Ex Socr.* Qui citò credit, leuis est corde.

[2] *Socr. verba in Phæd.* Amantes propter cupiditatis ardorem in iudicãdo fallun tur; nde præter modum dicta, & facta laudant.

* Significans & ipsos prophetas, à quibus ipsa accepisset rectos, imò & rectitudines ipsas. Vel ab Angelis adhuc, à quibus frequentatam habuisse diximus; quos adhuc & rectos, & rectitudines dicit. Et rectè prophetæ recti appellati, & rectitudines; præterquam quòd enim ad prophetiam mirabili quadam vitæ innocentia, & sanctitate se disposuerunt, cum prophetia deinde ipsa coniungentes, diem obierunt: quæque prophetarunt, ea vt viderunt ipsi & si procul, protulerunt. Vnde merito [1] Scribæ dicti sunt. Et rectè de his dicitur. quod dilexerunt eum, quando diem eius videre optauerunt, & vt viderent [2] exsultauerunt. Sed & rectè adhuc Beatæ illę mentes, ac cœlestes spiritus recti, qui sine corpore in gratia procreati, & ad gloriam semel progredientes, ab ea quicquam per peccatum in miseriam vllam, neque defecerunt, neque semel electo bono deficere potuerunt: quin & rectitudines, primæ rectitudini proximè accedentes: vnde ab illo Dij [3] appellati. Ab his dilectus est Messias, iam inde cùm à Patre, vt adoraretur, primò propositus est. Et meritò dilectus, siquidem boni fons agnitus, & conuiuij Rex declaratus. Quòd autem Angelis diligatur, rectè Virgo argumentatur, dignum illum esse, qui diligatur, est enim maximum Angelorum amoris iudicium, nulla carnis,

Prophetæ vnde rectitudines dicti.

[1] *Psalm.*

[2] *Euang.*

Angeli rectitudines.

[3] *Psal. Deus stetit in Synagoga Deorum.*

ac sanguinis affectione turbatum, sola rei veritate ductum. Moraliter his ipsi nos, atque alios consolari poterimus, cùm videamus totum fere mundum ire post sathanam, paucos Christi Domini crucem amplecti; veritatem adhuc fidei paucos, multos falsitatem sequi, nè vacillemus.

Laus Dei, & veritatis, quod à sapiétioribus, & si paucis diligatur.

Recti diligunt Dominum, à quibus ipsi tanquam à primoribus, & primatibus paucis seruitur. Quam doctrinam, non vt hæreses à scelestissimis, & improbissimis viris, contrà, vt decebat sanctissimam veritatem, à sanctissimis, & religiosissimis viris propinatam imbibimus. Recti diligunt, & si pauci, vt præstet paucos rectos sequi, quàm multos insipientes. Sed vnde tibi hæc, Virgo (pace tua) tanta sponsum obtinendi cupiditas, qui pulcherrimus ipse, sponsam necesse est sibi optet pulcherrimam? nimirum vnde hic ardor, aut filium Dei concipiendi in carne, aut in spiritu facie ad faciem videndi? Nigra tu, nimirum sub lege, vt nullo modo id audere debeas sub lege, quod gratiarum tempori per summum priuilegium seruatum est, præsentem vt tibi optes reuelata facie diuinitatis aspectum? Pro summo habuit [4] Abraham, vt Messiæ diem in carne optaret, quo in spiritu viso exsultaret; cunctaque patrum tuorum desideria hùc tandem collimarunt, atque illorum hæc fuit meta omnium, vt disruptis cœlestibus orbibus contectaque diuinitatis luce visibilis appareret. Vnde [5] Abraham tacto fœmore abiurat per Deum, nimirum per Verbum, quod ex ipsius semine fuerat carnem suscepturum. Iacob [6] cupit in terra sua sepulturam, nimirum in loco, vbi [7] Messiæ pedes futuri essent. Et [8] Dauid de cisterna optat aquam, quæ sit loco illi vicina, in quo Dominus sit nasciturus? Vnde igitur tibi vni hic tantus æstus, tantaque vis? Et tantum audendi tanta, vt ita dicam, fiducia? Rursum si non id optas, optas tamen filium Dei carne vestire; adhuc & ad hoc nigra tu, vnde tanto mysterio minus digna. An non nuper Ioseph desponsata, & coniugio, si non in conspectu Hebræorum fœcunditatem quærentium, in conspectu tamen Dei, & Angelorum Virginitatem amantium, paululum denigrata? Ad hæc si non adhuc istud, illud tamen in votis habes, vt ipsa oculis videas alia ex parente progenitum, & ad hoc adhuc nigra es, nimirum vitæ actiuæ operationibus distracta in templo ad eruditionem aliarum posita, extra templum Ioseph ad seruitia desponsata; non omni ex parte contemplationibus dedita? Contemplatricem optimam, defigentem oculos Aquilam postulat nouus hic Sol.

4 Euang.

Abraham quid sit iurare tacto fœmore.

5 Gen.

6 Gen.

7 Ex Psal. in loco, vbi steterunt &c.

8 Reg.

At vide, quid respondeat, siue Prophetas, siue Angelos alloquens Virgo.

Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem.

Deflectit nunc officij memor ad virgines Hierosolymitanas, quarum ope subsistit, sermonem; & quoniam impar tanto sponso videri poterat, tam à se commendato, muliebri artificio, & amanti, laudem illam suam, omnibus mulieribus vnicam, ac singularem formositatis

ſtatis, inſinuat; nè deformitate videatur ſponſum retardare. Exordio ad fidem à defectu leui, quem tamen ingenioſiſſimè non extenuat modo aduentitium, verum & naturę valdè conferentem facit. Nigra autem ego; quod habent LXX. ſum,agnoſco,& fateor,ſiue,vt alij ex Hebręo, fuſca, aut ſubnigra; verum non propterea [1] indotata, nimirum non formoſa. Si quod eſt apud Plautum (Deo gratiæ addidiſſet) mirum quantum & noſtri, & omnis temporis ad muliebrè ingenium, & mores: ſic illa.

[1] Sic Plaut. Benè dotaram, ait pro pulcra.

[2] Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formę damna rependo meæ.
Sum breuis, at nomen, quod terras impleat, aliaque. &
Candida ſi non ſum, placuit Cepheia Perſeo
Andromade patrio fuſca colore ſuo.

[2] Ou. in Sapph.

Et iure. nam
[3] Et nigræ Violę ſunt, & Vaccinia nigra.
[4] Fuſcum pulcrum non tollit, vt noſter. quin addit iuditio diligentium, vnde ille. [5] Eſt etiam in fuſco grata colore. [6] & Theocriti Bactus. Bombica, gratioſa, ſyram vocant te omnes, Gracilem, ſole combuſtam. Et erat appellatio pulcrę.

[3] Virg. Ecl. 10.
[4] Torquat. Taſſ. Il nero il bel nō toglie.
[5] Ouid. 2. am. eleg 4.
[6] Idyll. 10.

Filię Hieruſalem. Hieroſolymitanę puellæ. Sic chorus appellari ſolitus. Ab vrbe. [7] Iliades, Troades.

[7] Eurip. in Hecub. & alij.

Nigra. Fateor, at non propterea non formoſa. Nigra ſub lege quidem; at formoſa, gratia plena. Nigra deſponſata quidem; at formoſa, integra virginitate. Nigra occupata quidem in actionibus, at formoſa, nihil propterea ab altiſſima contemplatione diſtracta. Et filias Hieruſalem beatas mentes dicit, quia nimirum in re beatas: & illius [1] optimę parentis, quę communis parens, ac mater eſt, hæredes. quia illius incolas ſupernę ciuitatis, ac Regię. Rurſum & filias, prophetas, ſiue prophetias dicit, quia exſpectantes beatam ſpem, prophetę, & quorum in cœlis conuerſatio. Lumen pręterea propheticum [2] à ſuperno illo lumine deriuatum. Hęc Virgo, & iure; nigredo enim ſiue fuſcitas eſt ſub lege fuiſſe, quę nimirum oſtendebat, vt ſpeculum maculas; vnde [3] dicitur peccatum non cognoui,niſi per legem; non vt fons aquas ad abluendas miniſtrabat, quęque in [4] lapidibus deſcripta erat. Rurſum fuſcitas quędam coniugium, quod maxime tempore legis viguit,vt virginitas gratię. Vnde [5] Paul. ait. Bonum fuerit,ſi ſic permanſerit. Et melius facit,ſi non nupſerit. Denique & fuſcitas actiua vita, vnde laudata Maria à Domino, quę vt colorem, meliorem partem elegerit. Sed Virgo etſi propter hęc nigra, propter alia tamen non formoſa modò, ſed formoſiſſima. Siquidem gratiarum pleniſſima ab inſtanti conceptionis ſuę, id, quod ipſamet agnoſcebat, vt erat ſapientiſſima; ac Virgo Virginum anteſignana, prima, virginitatis voto pulcre ſignata, magiſtra, quę ipſum met ſponſum Ioſeph. & virginitatem amare docuerit, & voto firmare ſuaſerit. Denique & altiſſima in omni tempore,omnibus momentis contemplatione defixa, quę propterea ſapientię ipſius nomine in-

Beata Virgo quo pacto nigra,& formoſa?

Angeli, & Prophetæ cur Filiæ Hieruſalem dicti?

[1] Ex Paul.

[2] D. Th. 2. 2.

Lex quo pacto, & cur ſpeculum?

[3] Paul.

[4] Exod.

[5] Ad Hebr.

Beata Virgo docuit Ioſeph virginitatem.

signita. Ita enim à sacris litteris, quas nobis viri patres tradiderunt optimam hęreditatem, explicantes; accepimus. De quibus, quoniam alibi fusius diximus, nihil est, quod hic pręter ea dicamus. Dicat igitur suo iure MARIA, quòd formosa sit, cum gratia; vt nomen ipsum habet: formositas sit, formositas & virginitas, quę Deo sponsas facit, Angelorum æmulas, virorem animo, & corpori prębeat. Denique & formositas contemplatio in [6] Rachel figurata pulcherrima, quæ animam diuina luce collustrat. Dicat vna. Nigra sum, sed formosa singulari exemplo, per singulare priuilegium. Ceterę enim si nigrę; non formosę, si formosę, non nigrę. Vna Maria nigra, & formosa, miraculum propterea orbis terrarum, & singulare, quid diuina potentia possit experimentum. quam propterea crediderim, & sub lege vt esset, & vt sponsata, & vt denique vita actiua occupata voluerit Deus; vt ostenderet, quòd sub lege parentem gratiarum posset mundo largiri, & coniugatam primam, atque exemplar Virginum, & in opere optimam contemplatricem. Quæ quidem miracula aliorum essent longè maiorum miraculorum, quę in ipsa essent facienda, vmbra, & velut figura, nimirum eorum, Verbi cum carne maternitatis cum virginitate coniungendę. Itaque iam ab initio ętatis inciperet hospitio miracula excipere, quę mox esset tutum, amplumque domicilium maximorum miraculorum futura. Conuertas ad tempora ante Mariam mentis oculos, & diligentissime requiras; nusquam enim nigram, & formosam simul reperies. Quòd si post ipsam aliquam aliqua ratione reperies, vel in opere contemplatricem, vel in coniugio Virginem, quòd ita in se illa coniunxerit, vt potuerit sibi, vel in hoc gignere similes; admirare, & obstupesce diuinam potentiam, virtutemque Virgini transfundendi decus, communicatam. Sed neque multas reperies, neque ita formosas, vt meritò possis vni illud decantare.

> [7] Nec similem visa est, nec habere sequentem.

Sed qualis hęc Virginis fuscitas, siue nigredo, ab ipsamet audiamus, rursum qualis & formositas.

[6] Gen.

Virgo miraculum orbis terrarum, & cur?

Virgo officina miraculorum.

Sola Beata Virgo nigra, & formosa.

[7] Eccl. hymn.

Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

Illa nigredini, hæc formositati. In quorum explicationem. Cedarenis, vtpotè iam à primo parente Ismaele, vitæ pastorali, belloque deditis: quod expressit, [1] qui ait, Cum habitantibus Cedar, cum his qui oderunt pacem; tentatoria erant ab iniurijs cœli, terræque, vt fit, vt cum tentorijs Græcorum ad Ilium factum scribunt: Iliad. 13. Denigrata. Ad quod videtur allusisse idem, dum habitaui, inquit, cum tabernaculis: quod Hebræi habent: Cedar. Atque his sub nigredinem suam sponsa, caussam adhuc innuens, comparat ex similitudine. Rursum & Salomoni tentatoria fuerunt, pelles dictæ, Castrensi vocabulo, & Hebrais, [2] vt turbabuntur pelles terræ Madian, idest tabernacula, quòd pellibus vestirentur. Vnde [3] Isaias apertius. Et pelles tabernaculorum tuorum extende, cum dixisset. Dilata locum tentorij tui; & Romanis adhuc eadem ratione, vt passim apud historicos.

[1] Psal. 119.

Pelles castrensi nomine tentoria, & vnde?

[2] Psalm.

[3] Isa. c. 54.

Atque

Atque his nunc, & quòd regiæ, & quòd præterea Regis, præterquam quòd pacifici, ab ingenio, & diuina prouidentia, in nitore habitationis offitiosi; sponsa se comparat, dum vt has pelles se formosam dicit. Hebræi desiderabilem habent. Expresserunt effectum, aut pretium compararunt. Sed dices, an non igitur denigrata tentoria Salomonis in campis, quibus sponsa se omnia compararet? Sane neque ita, ab industria; neque artificiosa fuisset comparatio. Maluit tabernaculis Cedar; aliquem in duobus excellere non 4 patientibus, vnum concedens, nimirum nigredinem. & maxime concedens, ac libens, quominus etiam crederetur, videreturque ex humilitate dictum, aut ex muliebri ingenio; vt alterum formositas artifitiosioribus vmbris exstaret.

Aliquem in duobus excellere non patimur.

4 Ex Cic. in off. non patimur aliquem in duobus excellere.

* Ait. nimirum subnigra sum. Cedar nigredo, & tristitia interpretramur, vnde Cedarenos, nigros, ac tristes, siue populos nigredinis, & tristitiæ. Possumus ad litteram Cedar ipsam intelligere, siue ipsa Cedarenorum tabernacula, vt per rei visibilis similitudinem, inuisibilis nigredo exprimatur. Quo pacto, & nos interdum loquimur, qui animos ita nigros habere dicimus, vt Carbones videri possint, itaque aliàs nitidos vt vitrum, quibus etiam similitudinibus ipsæ sacræ litteræ vsæ sunt. Si [1] fuerint peccata vestra sicut coccinum, sicut nix dealbabuntur, & [2] iustus vt palma florebit. aliaque sexcenta. Atque ita si interpetrari fuerimus, facile nos expediuerimus. Sed & possumus rem quamcumque, quantumuis nigram, atque adeo nigredinem ipsam, (per Cedar tabernaculorum insignem nigredinem rectè expressam, sicut ferox insignis Aper, per Marsum aprum & Leo per Getulum leonē Latinis) vt vel illa ipsorum inferorum fuscitas, siue nigredo teterrima, ac maxima, nimirum illorum tabernaculorum odientium pacem significari possit. aut si tam profundè descendere nolis, saltem illa peccatorum, qui quamdiu in peccatis hic degunt, pacem meritò odisse dicuntur. Atque ita si interpetrari voluerimus, non erit vtique is sensus, quòd ea Virgo fuerit, eiusque vt hi nigredinis, quæ nimirum [3] peccatum non fecit, nec eius inuentus est dolus in ore; quæ quomodo peccare non posset, desuper omni gratia, ipsa intelligente, & gratias agente, completa vndique, atque referta est; si enim hoc fuisset, non se formosam dixisset: sed vtique eritis, quòd ipsam ipsimet nigerrimam, consideratio supremæ dignitatis, & excellentiæ, & incredibilis quædam humilitatis celsitudo depinxerint. Quod quo nam pacto in animis putantium fieri possit, & qua ratione hi proferant citra mendacium tamen, immò & cum merito ex humilitate, quæ veritas est, & veritatis ipsius agnitio: erit alter, vt disputemus locus. Interim maneant firmissima hæc. Humilium esse mentium se ad infima vsque agnitione deijcere, & quo maiore sint præditæ sanctitate, eo se indignissimas, quæ in conspectu Dei appareant, reputare. Vt vulgaria sint ipsis, & communia omnibus. [4] Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. & [5] Quid est homo, nimirum ego, quia magnificas eum? aliaque. Vt non immerito [6] suadeamur

1 Isa.

2 Psal.

3 Isa.

Beata Virgo in oculis suis nigerrima præ humilitate.

4 Psalm.

5 Psalm.

6 Psalm.

7 Psal.

Christus Dominus quid nos resurgẽs, & ascendens docuit facere spiritualiter.

8 Psalm.

9 Reg.

Empyrei laus.

Beata Virgo Empyreo comparata, & cur?

10 Psalm.

deamur viuentes ad inferna descendere; vt sic ex 7 nobis mirabilis fiat scientia Dei, nimirum in nobis ex nostra infirmitate diuini esse, bonitatisque ad amorem cognitio. Et hoc fortasse Dominus spiritualiter facere ad inferos descendens, & tertia die immortalitatis luce circumfusus apparens, nec multò post super omnes cœlos ad dexteram Patris, nimirum post 40. dies ascendens, docuit vt si ascendere vsque ad contemplationem Dei vellemus, vsque ad nostri cognitionem profundissimam prius, & tanquam ad inferos ad nostri considerationem miseriarum descenderemus. Qua igitur veritate 7 Dauid, & Christus Dominus mysticè se vermem, & non hominem dicere potuerunt, ea se, & Virgo potuit nigerrimam appellare. Sed qui dicentem de nigredine audiuimus, audiamus & de formositate differentem, ac pro viribus imitatione paterni moris humilem exsaltemus, humiliantem se predicemus. Iam qualis & formositas tua Virgo, vt quanta sit intelligamus?

Possumus, vt modo de tabernaculis Cedar dicebamus, per pelles Salomonis, pelles ipsas, ipsius interioris structuræ, tentorij pulchritudinem interpetrari, ac per hanc, insignem quamdam, atque excellentem formositatem per illam poeticè significatam, vt vel ex hoc formosissimam, & dignissimam Virginem exsistimemus. Sed altius ad mysterium verba referentes, vt 9 per Salomonem pacificum Regem, domus, templique magnificentissimum structorem, Deum Architectum beatitudinis, ac fabrum felicitatis intelligimus: ita & per pelles illius tabernaculi, Empyreum huius intelligere, illum beatorum Senatum, felicitatis regiam, religionis augustissimum, & sempiternum templum, immortalitati dicatum, quod instar omnium ab initio esse dedit corporum Deus, voluitque futuram humanorum corporum beatitudinem figurare. Hoc, & sicut pellem extendit Deus, & vt est amantissimus lucis, ipse lux luce vndequaque decorauit. Huic Empireo pulcram se comparat Virgo, non quòd longe pulcrior non fuerit, cùm illud huius figura exstiterit, & veluti ex Argilla paruum figmentum; sed quod vt illud corporum, ita ipsa omnium speciosissima exstiterit. Altissimum Empireum supra ceteros cœlestes orbes, altissima super omnes homines Virgo, 10 cuius fundamenta in montibus, & in vertice montium, ac supra omnes montes, qui comparatione ipsius, colles videantur. Immobile Empireum, Maria sine peccato, vtrumque diuina imitatione, vt ab immobili essent, regerenturque mobilia. Denique in quo comparatio est, speciosissimum illud, hæc pulcherrima. Ac si illud propter pulchritudinem Deo, Angelisque positum; hoc Deo homini, Angelorum Domino dedicatum. Sunt, qui hæc non tam ad animum, quam ad corpus adhuc relata velint, vt sit sensus. Subnigra quidem ego sum, siue subfusca corpore, colore, ac facie, sed pulcra tamen in nigredine illa, atque formosa. Sanè, & propter veritatem non displicet; scribunt enim illam huiusmodi colore fuisse triticeo, siue oleam referente, ita tamen in colore illo pulcram, atque formosam, vt incredibile dictu sit, iam &

propter

propter eximiam corporis illius; atque excellentissimam dignitatem, cuius meruerunt omnia in hac sacra poësi depingi: id quod illi suo iure obtigit. Cuius enim sunt vnquam, & venter, & vbera beatificata, aut de cuius anima tam præclara, & illustria, quàm præclara & illustria de ipsius corpore dicta sunt? Et sane quòd ad pulcritudinem attinet, tanquam nostrarum sit partium hac in re diuina imitatione humiles extollere, quæque se modò beatam præ modestia, modò formosam dicit, beatissimam formosissimam dicere atque ostendere. Formosissima non formosa modo exstitit Diuina parens corpore, non in oculis modò hominum, verum & ipsis beatis mentibus æstimatricibus, & iudicibus, quas non immerito Hierusalem filiarum nomine compellet. Sanè & ita à viris patribus factum accepimus, atque ita vt à Deo fieret decuisse maximè intelligimus. [11] Speciosi præ filijs mater, præ filiabus esse debuit spetiosa, itaque diuinorum donorum fons atque caput esse & huius nimirum formositatis, quam vel ipsi [12] veteres Dei donum agnoscentes, pulcherrimum, dixerunt. De quo quoniam alibi latius dictum est, nihil est quod hic præterea repetamus. Sed dices. Quorsum hæc de corporali pulchritudine, ac quem tandem ad finem? quando placet ipsorum interpretatio? Sanè si magnitudine illa desiderij, & ardoris detinebatur Virgo, vt si Deo placeret, mater Dei fieret, intelligebat probe optima Prophetissa Deo homini fas futurum, vt non solum animo, verum, & corpore Dei parens placeret, nimirum animo, corporeque vestito, oculisque tum animi, tum corporis prædito. suoque Adam ad spirituales, & diuinas generationes Virginum, quibus totus mundus complendus esset in suam Euam, vt esset nimirum in cœlum, in paradisum, in delitium, qua præ ceteris delectaretur vna simillima sibi, & ad salutem adiutorio, cuiusque & mente animum, & aspectu oculos mirificè recrearet. Nam si oculi corporis Messiæ dandi erant, cur vt nobis cœlestes Orbes, atque Adamo Eua, non erat illis ipsis oculis dignissimum obiectum multo antè parandum, ad quod videndum se natum dicere posset, cuiusque interdum deinde contuitu afflictum animum recrearet? Iam quod nam aliud hoc esse debuit, nisi humanum corpus, quod omnium corporum præstantissimum, & dignissimum, omnium ætatum omni consensu existimatum est? Cuius vero nisi eiusdem, quæ simul esset mater futura? Hac cum intelligeret omnia, seque subfuscam præterea probè nosceret, tanquam à deformitate, indignitatem tanti muneris obijcientibus respondet, purgansque vt sit à formositate dignam ostendit, formositatemque fusci coloris concessione prætexit. Nigra inquiens, quidem, sum, sed formosa, vt vel oculis corporeis ipsius sponsi, quem cupio, quo teneor, cuius vror cupiditate, corpore adhuc, & facie, membrorumque proportione cum suauitate coloris, quæ ratio pulchritudinis est, me placituram confidam. Quod si & ipse venit in corpore per visibilia ac corporata, ad inuisibilia, & incorporea ascensurus, diuinitatemque suam homo ex pulcritudine factorum magnificaturus, aliquod me illi theatrum

Extollere humiles omnes debemus Dei imitatione.

Beata Virgo corpore pulcherrima inde, & cur?

[11] *Psalm.*

[12] *Plato.*

trum facturam pulcritudinis, & formositatis scœnam futuram. Hæc dum dicit, omnes nigredinis huius caussas narrantium quidem de more, at non vana loquentium, magis autem prophetantium intexit.

1 Aquil. Theodoret. apud Aurel. Olymp. Nem. Ecl. 3. legas. Nimium ne perde colorem: Sole sub hoc solet hic lucentes vrere malas.

Mulierum ingenium tribuere inanimis, quæ sunt hominum.

Nolite me considerare (*mirari*) quod fusca sim, quia decolorauit me sol.

Redit ad veritatem, & ingenium, defectum coloris extenuans, casui tribuens, & aduentitium faciens. Sol me decolorauit. [1] alij, combussit, aut torrefecit, ex natura fœminarum melius, valde minima. (sexus infirmitatem) quæ præsertim ipsæ sint passæ, exaggerantium. LXX. earumdem naturæ accommodatè, Despexit. tribuunt hæ inanimis, quæ sunt hominum, inuidere, despicere, lædere. propter quod læsæ in illas acrius inuehuntur. Sumpta autem occasione, & longam, & fortasse non nescientibus, intexit historiam, detegitque mali fontem, non leuem ab ingenio in iram ex recordatione commota. Quare ait.

Beatæ Dominæ nigredo quæ?

* Sanè admirationem habebat, & diuinorum consiliorum ignorantibus rationem maiorem adhuc inferre poterat, quòd mater gratiarum, gratijs omnibus non solum obtinendis nata, verùm adhuc foras latius deriuandis sub lege nata esset; quæ enim conuentio lucis ad tenebras, gratiæ ad legem? Rursum quòd quæ votum emisisset prima Virginitatis, extulisseque alijs facem in tenebris, & in rebus dubijs vexillum Virginitatis ad benè sperandum de Deo, & de ignominia legis nihil timendum, quæque prius in vtero fuisset, candorem virginitatis, quàm extra vterum hanc Solis lucem cum dulcedine sensuque contuita, ad sponsalia se nunc flecti permisisset, & ad coniugij nigredinem intuendam. Eò potissimum, quòd legebantur hæc in facie ipsius intima cordis consilia, in qua seipsa certatim hominibus gestum actura nobilem, & insigne factura ad amorem conditoris spectaculum depingebat. Denique, & quòd contemplationis singularis Phœnix, & celsissima Aquila, modò opere manuum, modò in templo erudiendis alijs sui similibus ætate puellis detineretur, itaque fuscaretur. sed præueniens Virgo, nolite, inquit, mirari, quod fusca sim; non enim hic color natiuus, neque debitus mihi, sed aliunde.

Beata Virgo cur permisit se despõsari, & cur interdum vitam actiuam egit?

Vnde autem? Quia decolorauit me sol. Ita nimirum tulit Dei voluntas. Communes quasdam legum rationes me subire faciens iusto iuditio, & per eas ad humilitatem, & humiliationem inuitans, ipse me sub lege vt essem voluit, ipse vt sponsarer Ioseph, ipse vt actiuæ vitæ contemplationē miscerem. Vide probè intelligentem non esse quicquam in ciuitate, quod non faciat Dominus, omniaque in suum auctorem vertentem, & sapienter in omnium principium resoluentem? [1] Dominus fecit hec omnia, à Domino factum est istud. Sit nomen Domini benedictum, sic illi beneplacitum agnoscit, osculaturque autrices manus. Quòd si sponsa Soli pulcrè irascitur à quo decolorata sit ad formositatem, siue exusta, siue torrefacta. Maria decorè hæc peramanti, auctori tanquam exprobrat, & offitiosissimè obijcit

1 *Psalm.*

obijcit à quo hos ortus, atque hos progressus habuerit, eum ad finem, vt maior eius, & gratiæ, & virginitatis, & contemplatiuæ vitæ formositas mundo tanquam ex vmbris exstaret. Nouit amor suas amicas, & offitio plenas exprobrationes maioris amoris stimulos, noueruntque qui amarunt. Nam si non nouit, quid est, quòd Dauid amans sæpè exprobrat Deo, & nunc quidem somnum; [2] Quare obdormis Domine: nunc [3] obliuionem: obliuisceris inopiæ nostræ; aliaque: Quid est quod Dominus amantissimus passionum & nostri caussa derelictionum omnium, exprobrat patri [4] se derelictum. Vt quid dereliquisti me? Et ipsamet Virgo post hæc cum filium amissum inuenit [5] Fili quid fecisti nobis sic? quæ quidem omnia cum accusationem non habeant, haberent enim impietatem, quæ à sanctissimis viris longè abfuit procul; habent tamen quandam vt dixi, & eam offitiosissimam exprobrationem. Rectè autem per Solem Deus hac in re explicatur; est enim Sol vniuersorum vniuersalis caussa, & æquiuoca omnium, quæ hic aguntur, effector. Dicat igitur sponsa. Decolorauit me Sol. & Maria Domina vniuersorum omnium, quæ in ipsa gesta sunt, agnoscat auctorem, agnoscantque Mariæ imitatores omnes, quicunque in diuinis rebus philosophantur; & cœlestium contemplatores effecti desuper omnia prouenire fateantur, nimirum [6] de aula summi Imperatoris, vel à luce diuini Solis. Vtraque autem insuper, & sponsa & Maria alias adhuc caussas nigredinis agnoscat impellentes, dicatque.

Amor Diuinus habet, & ipse suas exprobrationes.
[2] *Psalm.*
[3] *Psalm.*
[4] *Euang.*
[5] *Euang.*
Deus Opt. Sol, & cur.
[6] *Ex Aug.*

Filij matris meæ. (*Fratres, Hebræa decora phrasi*) pugnauerunt in me. (*Italicè. se la presero meco.*) Posuerunt me custodem in vineis.

Scilicet Parentibus orbata, fratribus relicta, ab his, vt fit, sibi intentis, nihil minus, quam de sorore cogitantibus, à pastorali vita aliquando ad custodiam familiarium, contiguarum vinearum (neque enim vineas Pastores non habebant) translata est, & ex vmbra: quod aiunt: in solem coacta, idque per vim, & iurgia, frequentia ipsis, & quàm alia [1] acerbiora, quæ pugnam appellat, quo res vno poterat nomine casta retexere coniugij maturationem. Ibi in custodia vinearum, vt statur in custodia aduersus solem, vritur facies, vt [2] ille ait: vruntur sole capilli; Id incommodi passa est, quod conqueritur nunc coacta se negligere, atque hoc est.

* Et Maria quidem Hebræos fratres, eiusdem Legis, & Synagogæ filios de his conqueratur.

Posuerunt me custodem in vineis. Quod est, me hæc facere compulerunt, & tanquam domo mea egredi, & è consiliorum meorum claustris, atque septis ad aliorum progredi vtilitatem; Siquidem Parentes illam legi, ceremonijsque illis genuerunt. Non ipsa legem amauit, quæ tamen gratia plena legem omnem obseruauit, legi à parentibus tanquam luci producta est, & tanquam sub elementis nutrita.

Sacer-

[1] *Adag. Fratrum iræ acerbissimæ.*
[2] *Tibull. lib. 1. eleg. 9.*
Beata Virgo vnde nigra.

Sacerdotes insuper, communi consulentes vtilitati, & diuinum quid in ipsa admirantes, ac cœleste quoddam imperium, ac principatum super ceteras se cum ante se ferret, ipsam in templo alijs puellis, & in ijs, quę de moribus sunt, & in ij quę de diuino cultu obseruantijs, ac legibus, & denique in ipso manuum opere prætulerunt, & tanquam custodem in vineis posuerunt. Documento, aliorum doctrinę, ac regimini meliores seligendo, & si oportuerit adhuc [1] cogendos. Qui ijdem Sacerdotes, deinde Ioseph desponsarunt, cogentes vineam suam ipsius non custodire, vnde ait.

[1] *Arist. 1. Ethic.*

Vineam meam non custodiui.

Mei curam non gessi, [1] quem mater amictum dederat, obseruans, nimirum ex præscripto aliorum degens, vnde nigredo, & fuscitas. Familiare est; præsertim cum querimur; cerpta aliqua translatione, nostra prosequi, & exprimere. Sic Oenone dictura, quæ ab Helena adultera accepisset incommoda, relato vaticinio, hac translatione. Graia iuuenca venit. Eadem querens prosequitur. Possidet en saltus illa iuuenca meos. Erant autem saltus amores, Parisque ipse. Sponsa igitur cùm meminisset vineæ, se ipsa decore vineam dicit. Deus bone, quàm decorè omnia, & ingeniosè?

[1] *Adag. ex Græcis apud Quint. l. 5.*

* Nimirum mei ego curam non gessi, neque proprię indulsi voluntati; contenta quamcumque potius nigredinis notam contrahere, quàm obedientiam violare. Et notandum obedientiæ documentum. Posita custos in vineis, vineam suam non custodiuit seque ipsa neglexit; quia verè obediens quisque, ita à superiore iniuncta facit, vt propria deserat, itaque illis perficiendis insudat, vt sui curam omnem deponat. Sed mira Dei prouidentia nihil irremuneratum relinquens. cedit nigredo in formositatem sponsæ; quia obedientia in meritum obedienti Sed & prudentia, & sollicitudo notanda! vineam suam non custodit, quæ in alienorum custodiam posita est, quia nos negotijs, non nobis negotia, & curam aliorum accommodare debemus.

Obediens verus, ita exsequitur prę cepta superioris, vt propriam deserat voluntatem.

Negotiis nos debemus accômodare, non nobis negotia.

Indica mihi, quem diligit anima mea.

Recordatione iniuriarum à fratribus, à quibus omnis est libertatis in coniugio spes; similibus aut pressa, aut premi timens, magis adhuc in præsentiam sponsi reaccenditur. Quare ad ipsum rediens, exagitare incipit, vt quoniam ipse non festinet, molientem saltem à fratribus fugam, & festinationem, non ea impediat, quà vbi sit non aperiat. Indica, inquit mihi, tu enim in culpa es malorum, te. quòd si te nolis, velis autem pro commiseratione; quem diligo; te, quem diligo. Non vt ames oro, verum vt amare finas.

* Sponsa miseriarum recordatione, quibus premitur, in præsentiam sponsi magis reaccenditur; quia nimirum Maria temporum legis ex consideratione Messiæ cupiditate magis inardescit. Amatoriè autem illa ad ipsum sponsum redit mente, ipsumque absentem verbis exagitat, quia & hæc amatoriè Messiam ipsum interpellat. Vtraque verò

B.V. consideratione legis magis ad optandum Messiã accendebantur.

verò vt indicet se ipse postulat, quia optat, vt veniat. Et Virgo quidem ipsum alloquens ad eum, quem vbique scit esse. Indica, inquit, te mihi, additque vt ille indicet argumentum. quem diligit anima mea. Prudentissimè illa quidem; nouerat enim [1] qui venturus esset ignem mittere, igni alliciendum, & qui [2] in funiculis Adam tracturus, & funiculis trahendum, atque ad amorem recipiendum ipsum futuram dignam dispositionem amorem. Sciebat ad omnia optimum patronum amorem, amoremquè, vel ipsum Deum, non nisi amore compensatum. Certè hinc rectè colligimus, rectè amanti, nihil rectè denegari; si enim amat, modò rectè, & officiosè amet, eo ipso fit earum rerum quas amat creditor, quòd amat. Sed ex consideratione temporum legis reaccenditur; sciebat enim vbi lex commutaretur in gratiam, fore vt lege essent omnia mala abolenda, cum gratia in mundum omnia bona ventura. Itaque fratrum duritiem, & iniurias in sponsi dulcissimi amplexus ituras, nimirum Hebræorum duram rerum interpretationem cum fastu, ac superbia in suauissimam Christi Domini doctrinam cum modestia, & humilitate. Iurgia in blanditias, iniurias in honores, contumelias in laudes, duritiem in facilitatem, odium in amorem, oppressiones in libertatem. compulsiones in vinearum custodiam, nulla custodia sui, in dulcem quandam, ac suauissimam attractionem in Euangelij prædicationem, & veritatis disseminationem, maiore sui profectu, atque progressu. Quæ si non sibi, Ecclesiæ tamen ijsdem amoris legibus optare compellitur. Sed quid est, Domine, quòd & ipsa optat te sibi indicari?

[1] *Euang.*
[2] *Proph.*

Amor vel ipse Deus non nisi amore compensatur.

Vbi pascas. (*Actiuè ex Hebræis.*) Vbi cubes in meridie.

Ex pastoribus; Solent enim illi, vt solstitium pecori declinent, iuxta opportunitates, dum sol deferuescat, greges continere; nè & lacti, & sibi noceant. Vt ex [1] Virgilio in eclogis. Sensus igitur. [2] Quas habitas terras, aut vbi lentus abes?

* Vbi nimirum hoc ipso eodem tempore, quo ipsa tam incenso desiderio æstuat, tam ardenti cupiditate te tenendi, & fruendi tenetur, tu degas? quid agas? quos pascas? si quidem non dum in mundum veneris, arcibus te adhuc tuis continens, & cœli regionibus, quando vbicunque es, pastor es; neque enim ab heri, & nudius tertius in mundum veniens, pastor eris. Si quidem non dum veneris. Quæ tibi in cœlo pascendi ratio? quos? [1] quis pascas? qua refectionis aqua? quibus pascuis? quo fomentorum oleo? Denique quid isthic cum [2] Angelis ouibus tuis nonaginta nouem agas, & quæ tuæ cum illis delitię sint. Indica tu; quę enim isthic à te fiunt, nisi te reuelante sciri non possunt. Ceterum si fortasse veneris; quod Virgo amantissima tui, non dum resciuerit: Vbi adhuc pascas? vbi cubes? indica, nimirum ex qua Matre carnem sumpseris? vbi locorum degas? quę sit ratio vitę suę? Quorsũ autẽ hęc Virgo tam dilucidè scire, tam ardẽter cupiat?

[1] *Virg. in Eclog.*
[2] *Ouid. in Penel.*

Christus Dominus iam pridem in cœlo pastor.

[1] *Psalm.*
[2] *Eu.*

Ne

Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Hebræi pro vagari, nè operiar. LXX. nè fortè efficiar sicut adoperta, seu velata; quod est secundum aliquos meretricari, honestè ab interprete translatum, vagari; Hebræi enim meretrices velatas, & opertas dicebant, quòd solitæ in biuijs sedere, pallijs succinctæ, & theristro faciem velatæ. sic etiam solitæ errare, & in semitis vagam libidinem consectari, à quibus Latini semitarias mœchas, & Chaldæi foras exeuntes. Sanè est de amore, amantes absentes zelo amanter commouere. Sic Penelope eadem cum viro Vlysse absente facit. Sed & præsentes etiam. Vnde illud. Par pari. Etsi dixerit, dicito. Sed hic vt sit sensus hoc loco, non patiuntur illa. Post greges sodalium tuorum. Quare ad mores sic loquentium attendenti mihi videtur sensus. Nè fraternarum impatiens iniuriarum, morarum insuper tuarum [1] in triuio consilij posita, tandem errare incipiam, & ouium sodalium tuorum fieri mercenaria custos. Vel te quæsitum discedens incerta, nè aberrem, & omnium sodalium tuorum caulas circumeam cum dedecore, & probro. Quòd si opertam, seu velatam ex Hebrais, & LXX. velis, nè succingar, & cooperiar de more foras longius exeuntium ad hęc facienda. Familiare puellis [2] inter sacrum, & saxum: quod aiunt positis, dictum, quæ sic suis fugam semper per iracundiam, alienaque scruta, minantur, quos, propterea zelo ad officium incitent, Dum à lineola lapidem se moturas significant, nimirum extrema experturas malo remedia.

Amantes absentes zelo cõmouentur.

In Triuio esse. Adagium.

[1] Ex Adag. In Triuio sum.

[2] Pron. apud Plaut.

Inter sacrum, & saxum Adagium quid?

Lapidem à Lineola mouere Adagium quid?

Inquit, ac si, quoniam quęrere, & inuenire animo meo proposui; nè quærendo aberrem, & tui loco non te, sed vel Angelum in cœlo, vel in terris Prophetam inueniam; Enim verò si tu de te ipse non indicaueris, tèque ipsum propterea non reperero, necesse habuero, vel ex Angelis, quorum quotidie frequentia detineor, vel ex Prophetis expetere. Quod quidem aberrare erit; nam etsi de te intellexero, non te tamen propterea reperero. Et [1] Angeli pascunt in ministerium missi cœlestia nuntiantes, benè sperare iubentes, habentque ipsi suos greges, ad quos diuina pascua transmittuntur. Et Prophetæ adhuc pascunt. Vnde Pastores suos greges, & ipsi ventura de te nuntiantes, & hominibus animos facientes. [2] Multifariam illis, multisque modis loquentes. Sed nouissimè loquere tu ipse mihi os ad os, quem facie ad faciem videam, nè sicut ouis è grege sodalium tuorum, vel Angelorum fiam, vel Prophetarum, quorum & si doctrina delector, præ te tamen non nutrior. Atque hæc quidem quantum quadrent, ex eo intelligere possumus, quod opinabilissimum est sanctissimam Virginem fuisse tunc temporis, iam Messiam aduentasse opinatam, aut opinari potuisse, vt est sollicitus amor, & multa cogitans, atque vt erat ipsa prudentissima, & ad videndas multas prophetias iam adimpletas oculatissima. Sed alij vt diximus sic habent, nè fiam sicut adoperta seu velata. Adoperta seu velata erat Hebręorum Synagoga, & è Synagoga anima quæcunque, quia nimirum si nos

[1] Paul.

[2] Paul.

Synagoga velata, & cur?

nos cœlestia in [3] ænigmate vidémus, illa nostra in ænigmate vidébat, [4] cui omnia in figura contingebant, cuique erat ante propitiatorium velamentum, & ante faciem Moysi è diuino consortio splendentem, [5] velamen. Sensus est igitur: Indica te mihi ipse, vt te facie ad faciem videam, loquarque os ad os, nè fiam sicut Synagoga, aut aliæ è numero eorum omnium, qui adhuc sub velamine legis sunt, omnisq; eorum in exspectatione consolatio est. Possumus & sic interpretari. Nè à fratribus meis fugiam veniens quæsitum te, nimirum nè moriar præ cupiditate, & ardore, quod malo extremum sit remedium (amantis verba, in quibus vis amoris legatur) & moriens quoniam non dum cœlum reseraueris, post greges sodalium tuorum cogar aberrare, nimirum non à te in sinum tuum, atque in æternitatem accepta, sed vt ceteri in Abrahæ sinum exspectatura, magno earum gratiarum, quas tu in me congesseris affatim, quibusque me cumulaueris, quibus immortalitas debeatur, dedecore. Hæc desiderij summa, hic apex, hic vertex, quo cum deuentum fuisset, fas diuinum præstò esset auxilium, & desuper consolatio. Hic cum decoro scenæ sponsa tacet, quia his nimirum Maria non habet amplius, quo ardorem, atque æstum desiderij sui aperiat, quodque amanter, siue exprobrans, siue obijciens, siue etiam minitans, ad efficax aduentus argumentum, amantium more proponat: Compilauit, exhausit omnia. Quibus moraliter docemur, quo pacto nos æternitatem illam vitæ, cuius pollicitationes, & [6] repromissiones habemus in Christo, Christumque ipsum Dominum finem omnium, Regemque gloriæ in gloria, [7] ac decore suo ardere, & exspectare debeamus. Nam primum quidem ita in [8] illa diuinissima atria concupiscere cum Propheta debemus, vt deficiamus terrenis, sitque illius desiderij mensura defectus, & illarum virium destitutio, quibus in amore vitæ huius detinemur. Hoc est illò ingredi festinare, deserto termino altero, nimirum ijs, quæ sensus sunt, per spiritualia ad alterum properare. Quæ sursum sunt [9] sapere, ac quærere, nihil quæ super terram. Tum illam cum filijs Israel in Ægypto, [10] in principio lętitiæ ponere, & cum [11] Iacob Rachel, aut cum [12] Assuero Esther præ cunctis diligere. Meliorem diem vnam in atrijs super [13] millia putare; & hac vna ancora nauim firmare. Ad hæc suspirare in illam, & ingemiscere, de illa altissimè sentire, illam præferre, illam extollere, illius laudem à laudatis esse viris ostendere, illi inhærere toto corde; & se ad illius mores componere. Sicut cum Hierusalem faciebant illi in figura; qui dicebant. Super [14] flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Syon. Qui cantare, & lætari suadentibus. Et quomodo, respondebant, cantabimus canticum Domini in terra aliena? Sicut & pro Rachel fecit Iacob tot annos insudans, laboransque, & rursum cum Hierusalem [15] Tobias, qui dicebat. Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Hierusalem. Portæ Hierusalem ex sapphiro, & smaragdo, ædificabuntur, & per vicos eius Alleluia cantabitur. Ad illam ingemiscebat, & suspirabat, qui dicebat.

[3] *Paul.*
[4] *Paul.*
[5] *Paul.*

B. Virgini quid sit ire post greges, &c.

Beatitudo exẽplo Virginis, quando pacto sit expetenda.

[6] *Ex Paul.*
[7] *Ex Psalm.*
[8] *Psalm.*
[9] *Paul.*
[10] *Psalm.*
[11] *Gen.*
[12] *Esther.*
[13] *Psalm.*
[14] *Psal.*
[15] *Tob.*

16 *Paul.* 17 *Psalm.* 18 *Paul.* 19 *Eu.* 20 *Paul.*

16 Cupio dissolui, & esse cum Christo, & qui. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam. De illa altissimè sentiebat, qui dicebat. 17 Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Illam præferebat, cui in ore erat. 18 Bonum est nos hic esse. A laudatis esse viris laudem eius ostendebat, qui narrabat. 19 Sancti per fidem vicerunt regna. Ille adhuc ei toto corde inhærebat, qui dicebat. 20 Viuo ego, iam non ego, & conuersatio nostra in cœlis est.

Sed huic tam incenso ardori quod refrigerium sit, & à quibus, iam videamus.

Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula Pastorum.

Scœna secunda. Chorus. Sponsa. Sponsus.

Difficilis, qui quomodo actionem deceat, appareat locus, tùm si sponso, tùm si choro puellarum tribuantur, quæ dicuntur, de quo controuersia est. Mihi commodè vtrisque tribui posse videntur. Puellis, quæ, vt tandem aliquid in remedium eloquantur multa quærenti, ex actione est. Sponso, qui adhuc loquenti superuenerit. Illas sic decere videntur. Puellæ sic amore furentem videntes, aperto vulneri muliebre, ac commune, singulare tamen medicamentum afferunt, corporalem ex instituto defatigationem, & aliò mentis, à cogitatione derivationem. Si ignoras, inquiunt, vel quid agendum, vel vbi sit sponsus, atque vbi cubet, nihil sollicita sis. Age iam, quod agendum est, quàm diu sic necessitas, & diuina voluntas ferat. Egredere tu (tu addunt LXX.) de more, & abi post vestigia gregum, vt soles, & pasce hœdos tuos, tibi commissos, non longè tamen, vt minaris, at iuxta tabernacula pastorum, vt decet, & puellæ præscriptum est; atque eumdem hunc Hebræa faciunt sensum. Si non cognoueris tibi. Eumdem & LXX. nisi cognoueris te. Nec quicquam nostris addit. te, idem est, ac si, ignoras tu. Ex proprietate sermonis, interdum & Latini. 1 Ennius è tute. 2 Terentius placere se dixit. Sanè opportunum remedium actio amori.

1 *Ennius apud Tull. de senect.* 2 *Terent.* Agere aliquid opportunum remedium amori. 3 *Ou. 1. de rem. am.*

3 Fac monitis fugias otia prima meis. Et.

Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

Hinc vel gentibus, qui occupati casti, vt Minerua, Diana. Hæc si puellis. Quòd si sponso tribuantur, sic decebunt. Superueniens sponsus quà non dum videre, nec videri posset, aut quà ad indulgendum amori speculatum aliquà sponsam ductus videre nondum videri posset, vt fit; videasque id moris sæpe apud Comœdos, quique hęc tractant, expressum; quod fortè est per fenestram, & cancellos, vt dicemus; Superueniens, inquam, sic ea iactantem offendit. Ne vagari Incipiam. Quibus amicè pungeretur. Interea fit rumor, iam sponsum aduentasse, illicò ipse succedit nuntio, seque sponsæ sistit, loquuturusque, ab his amatoriè exorditur, quibus plurimum res amoris iuuari

iuuari posset, nimirum ab amantis exprobatione verborum sponsæ, qua se interfuisse manifestè ostendit; paululum autem quò minus se prodèret immoratum, vt loquente clanculum delectaretur; sicque puellam ex ipso, 3 quòd aiunt, boue sumens lora, ad verecundiam cædit. Quare ait. Si ignoras te, ò pulcherrima (significatque statim, appellatione pulchritudinis, quod primum optari poterat, placere maximè sibi in illa) si ignoras verò tu, aut nisi cognoueris tibi, vbi pascat sponsus tuus, vbi cubet, aut quoniam non ignoras te; quem sensum verba adhuc patiuntur, vt dicemus: Fac ignores; iam age, quod te acturam per intolerantiam dixisti (tertiam decorè induit personam dicentis, peripatiæ, siue recognitioni indulgens) Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce iuxta tabernacula pastorum, à quibus scilicet videri possis, & rapi, nè dicam optari; quid moraris? Voluntatem nè meam? nihil angor; 4 Manum non verterim. Amatoria concessio, qua è cursu magis reuocet, quàm incitet currentem.

Possunt eadem tribui sponso, iam sponsam 5 subauscultanti, quæ loqueretur, secumque ex parte scœnę (vt adhuc è scœna maximè est) respondenti, ad exercendum magis amorem non se prodenti. Et quoniam aliqui; Si Ignoras, sic commodè interpretantur. Si non sapis, quando tamen optimè mihi sapis, fac, quòd te facturam minaris, ac si dicat. Nusquam hoc facies. Iam enim optimè sapis. Et patiuntur verba sensum; sæpè enim sic loquimur. Si te ille vicit, abde te. At quando non vicit, prodi. Aut, si ille te vulnerauit, time, at quando tu illum, aude. & hęc commodius; habet enim mirificam iucunditatem, hinc, atque illinc aliquos videre se ardentes, nec tamen prodentes, erigitque animos in exspectationem. Sunt, qui siue choro, siue sponso tribuantur, hunc dicant hac sensum habere. Si tu ignoras vbi ille sponsus sit, cubet vè, disces abeundo, & pascendo hœdos tuos, illi ad matres ibunt, quas pascit sponsus. Ex industria si à choro dicta. Si à sponso, amatoriè. Inuenio Puellis tantummodo minutum pecus custodię traditum. 6 Virgilius.

——Neque ego Alcippe nec Phyllida habebam.

Depulsos à lacte domi, quæ clauderet agnos.

Quare nisi obstet, quòd longè sponsus aberat, neque ita facilè inueniri poterat, non displicent. Sed horum quodcumque sit, si sponsi verba sunt, dulcia verba sunt, & decentia, dum dulcibus alitur caritas coniugum.

Sed post hac in tanta sensuum varietate, ille mihi videtur germanior, & mysticis aptior, vt sint per ironiam dicta, siue iocosè à choro, vel aliqua è choro. Nam cum adesset sponsus, respiceretque per cancellos, & à sponsa tamen quæreretur, mittitur sponsa quæsitum per iocum foras, & longius. Et sensus est. Si nescis, egrediendum est, & multę tenendę artes, vt inuenias. Frequens est is nobis iocandi vsus, presertim cum amicis, vt quæ optant, & presentissima sint, dicamus, & fingamus longissima, vt mox sint cariora futura, & mœstitia animos, maloque nuntio, vt in scœnis, ad lętitiam preparemus.

Ex ipso boue sumere Lora adagium quid?

3 Adag. ex Plut. Ex ipso boue lora sumere, id est, quo quis lædat ex ipso, quem lædit.

4 Adag Pro eo. nihil curo, aut allaboro.

5 Ex Tull l. 10. ad Att. epi vlt. videntur subauscultare, quę loquor. Et Adag. Adhuc Coriçeus auscultauit.

6 Ecl. 7.

* Certè si chorus puellarum sponsam his consolatur, vt diximus, & ad agendum, quod agit hortatur, vt sic desiderium leniat, ac spem alat; certè & creaturarum, & Angelorum, & Prophetiarum, & piarum cogitationum turba Mariam ijsdem confortant, & hortantur benè sperare. Illæ pulcherrimam inter mulieres, Sponsam dicunt, quia nimirum hi vnam prę ceteris formosissimam, sèq; ipsis superiorem, & fatentur, & admirantur. Illę vt egrediatur hortantur sponsam, & vt abeat post vestigia gregum, quia hi nimirum vt agat, quod agit, & diuinę prouidentię consolationem prestoletur. Illę vt pascat minutum pecus, quia hi vt puellas in templo, & sui similes Virgines, sibi, cureque suę à sacerdotibus commissas.

B.V. omnibus rebus maior, & superior.

Sed fortasse Gabrielis sunt hęc illius missi à Deo, ad Virginem illa verba. [1] Aue gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu. Quid est enim aliud pulcherrima inter mulieres, dicere, nisi dicere gratia plena? Ac quid aliud docere sponsam, quò sit eundum ad sponsum inueniendum, nisi Mariam docere quo pacto Deum habere, ac tenere intra se possit. Et quadrat quòd è choro quilibet introducitur loquens, quia nimirum Gabriel, non ita missus à Deo, vt quem Virgo non antea vnquam vidisset, fuissetque alloquuta; enim verò quę quotidie ab Angelis frequentabatur, & inuisebatur ab Gabriele fidelissimo, vt aliqui loquuntur cubiculario, & Virgini à Deo in custodiam, vt nos vulgò, tradito (neque enim vt nobis in custodiam traditus est) frequentius. Vnde sponsa non tam admirari potuit loquentem è choro puellam, quàm quę eloquens edoceret, quia nimirum Maria non legitur in Gabrielis aspectu, sed in sermone obstupuisse. Iam si chorus, vbi sponsa desiderij flammam, atque ęstum euaporasset, introducitur, qui loquatur, & ipsam consoletur, edoceatque, coniectare ex his licet, habetque vt coniectemus fundamenta; Tunc Gabrielem aduentasse cum aduentum Messię in mundum Maria vehementius exarserit, perueneritque exardendo quò non modo ab alijs simul omnibus Prophetis, viris desideriorum peruentum nunquam fuisset; quantumuis fuisset conclamatum, & hic aduentus expetitus; verùm, & quo vt perueniretur, ad illum quoquo modo promerendum fuisset cœlitus constitutum; habet enim id Deus, vt ad desideria, vocesque respiciat, & desiderijs tanquam materiam, dispositos animos, vt tandem informet. Cum igitur [2] in plenitudine sanctorum Maria desideriorum detenta, ipsam salutans, atque amicè, & honorificè compellans, adfuit desuper Gabriel; in cuius figura, tunc [3] Abrahę seruus Rebeccę occurrit, cum Rebecca iam aqua hydriam repleuisset. Qua in re notandum est, quòd cum desiderijs rerum optimarum augeatur gratia, & meritum, rectè desiderij magnitudo per plenitudinem gratię exprimitur. Quare nihil est aliud Rebeccam aqua hydriam repletam baiulasse, nisi Mariam gratia plenam incessisse, cum adfuit, & occurrit ei Gabriel, qui suo iure gratia plenam salutauit, vt significaret sibi ipsam desiderijs promeruisse eam gratię plenitudinem, quę Incarnationem Domini ratione aliqua promeruerit. Ex quo intelli-

[1] *Euang.*

B.V. quotidie ab Angelis frequentabatur.

Gabriel cubicularius B. Virg.

B.V. non in aspectu Angeli, sed in sermone obstupuit.

Gabriel missus, quando venerit, idest, quando tempore benè dispositæ Virg.

[2] *Sap.*

[3] *Gen.*

B.V. Plena gratia quid?

intelligimus Angelum gratiæ plenitudinem intellexisse eam, quæ fuerit ad maiorem, & pleniorem dispositio, à qua deinde redundantia esse deberet. Sed chorus per iocum, præsentem sponsum insinuat per ea. Egredere, & abi, vt diximus, quia nimirum Gabriel, Dominus tecum, ait Mariæ; ac si diceret, quid est quòd aliò queris; & egrediendum tibi putas vt inuenias? Ecce respicit, per cancellos, & prospicit per fenestras. Quod quæris tecum habes. Quod quidem non ita intelligendum est, quasi iam Dominus ante Virginis assensum, cum hæc diceret Gabriel, carnem assumpsisset, sed ita, quòd sicut sponsus aderat sponsam ipsam osculaturus; ita Dei Filius aderat Mariæ ex ipsa carnem suscepturus; quam nimirum, nisi ipsa dissentiret, certò sumpturus esset. Quæ cum ita habeant, ita profectò quadrant omnia, vt possis meritò diuinum artifitium, rerumque consonantiam admirari. Itaque aliò mittit Christus sponsam quæsitum sponsum, fingitque difficilia, quæ fiant per iocum, & hironicè, quia nimirum in historia Gabriel Mariæ quem ita auidè cupit, iam præsentem esse significat. Dominus tecum. Ex quo fit, vt illud ingredi, illud abire post gregem, illud pascere, aliaque, vt in actione nihil momenti præter hunc quem dixi leporem; ita & in historia præter hunc significatum, nihil habeant mysterij. Sequitur.

Dominus tecum quid sit?

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

Septuaginta, Equæ meæ. Nobis Equitatus in curribus est tota illa quattuor, aut sex equorum, vel equarum multitudo, currui vehendo apta. Manifesta Pastoris verba, siue sponsam coram alloquentis, antequam in oscula rueret, defixi admiratione pulchritudinis, siue ex scœnæ parte, vt inducebamus, totam laudantis, & alijs præferentis, ex comparatione equæ, vel equarum simul. Familiaris poetis comparatio. [1] Helenam in Epithalamio puellæ equo compararunt. Latinus Lyricus. Quæ velut latis equa trima campis ludit. Apud Platonem hec inuenio à Socrate. [2] Pulchra equa, quam in oraculo Deus ipse laudauit, & cum non dum sciam de oraculo, & Dei mentionem audiam factam, videor hoc oraculum esse, posse dicere, nisi Plato loqueretur. Sed quid est, quod Pastor, ait, meo, & in curribus Pharaonis? An indecorè? Quid igitur? An vt satietati accurrat, allegoriam interrumpit auctor, & Pastorales comparationes? Sed hoc initium est; non dum enim quicquam pastorale prolatum. Præterea si non sunt pastoraliter dicta, neque ex Pastoris persona, sed alius; iam cuius? Salomonis ne? At nihil sibi in hac fabula, vt alibi diximus, habet Salomon; Neque enim de se, & Pharaonis filia ille composuit; sed ad literam de vero Salomone, & parente optima, aut ecclesia. At, & qui artifitiosè metaphoram, aut allogoriam interrumpunt poetæ, id eo artifitio faciunt, vt cui illa sint attributa, agnoscatur. Quare apud vnum Virgilium agnoscuntur, de quo illa dicantur, &

[1] *Teocrit. in Idyll.*

[2] *Plat. in Hippia maiore, vel de pulcro.*

Salomon non de se composuit Cantica, sed de Christo Domino.

cui conueniant, cùm non deceant Pastorem, nimirum quòd de Iulio Cęsare, cuius ille mortem deplorat.

3 *Virg. Eclog.*

3 Daphnis, & Armenias curru subiungere Tygres
Instituit, Daphnis Thyrsos inducere Bacco.

Nihil autem horum. Equitatui meo in turribus Pharaonis, vero Salomoni conuenire posse videtur, nisi vt Dominus vniuersorum est, aut vt Pharaonem cum curribus, & equitibus in mare submersit. Quorum quidem alterum remotum satis est, alterum durum. An igitur hic, qui à Salomone inducitur Pastor, equorum regiorum custos, aut vnius, alteriusve insignis notę donator, aut venditor? qui sint deinde cum alijs Pharaoni aut pretio, aut dono donati? An princeps pastorum eadem ratione? an vero pastor quicumque, cui equa & re, & æstimatione Domini ea esset inter ceteras, quæ vel Pharaonis currus valde ex vsu, & ingenio instructos videretur decere nimis amanti? Vt dicatur in curribus Pharaonis, non quòd esset, sed quòd si esset; in primis decenter esset? Tum semper autem pulcri equi, atque equę, tum vero maximè cum regium currum vehunt; tunc enim maximè ornamentorum sensu gestiunt in cursum, detentæque nè euolent, pulcrè se 4 in arcum inflectunt, & efflant generositatem. Sed equæ pulcriores; vnde & celebriores. Visas equas, non equos videas in exercitu Grecorum in aulide. 5 Vidi equas pulcherrimas, frænisq. pictas aureis stimulo incitante cursum. Videas autem arcuato suppositas iugo, nimirum in curribus acris Æumuli. Comparatio autem equæ ornatæ ad pulcritudinem vtramque pingendam sumpta, naturalem, & artificiosam. Nisi forte sumpta alicui videri possit ad celeritatem, iisdem hyronia, & amore, vt minanti fugam in custodiam alienarum ouium, tarditas objiciatur hyronicè. 6 Equas pulcherrimas stimulo incitante cursum. aut nisi ad 7 morsum frenorum: quod aiunt: nimirum ad indomitam quamdam ferociam, qua primo aspectu noua nuptæ esse videntur. sed ad pulcritudinem melius.

Equi in curribus regijs maximè, pulcri, & cur?
4 *Homer. Iliad. apud Plut. de Furor. Poet.* Læuis flectatur in arcum.
Equæ, quam equi pulcriores.
5 *Eur. in Iphig. in Aul.*
Comparatio equæ cũ sponsa in quo?
6 *Eurip. ibid.*
7 Mordere frœna. *Adag. ex Aescyl. in Prometh. Tull. l. 11 epist. Fam.*

Amica. Septuaginta. Proxima. Habræi. Compastor. Nos Consors, aut Socia. Melius Amica.

* Verbi æterni verba, ipsam Virginem laudantis artifitiosè, & cur ad ipsam magis amandam deflexerit, velitque ex ea carnem assumere significantis, & decorè antequam ipsam osculetur sponsus, sponsam alloquens, atque laudans inducitur, quia nimirum antequam carnem verbum assumeret, Marię menti adfuit; quodque alloqui est, ipsam diuina luce collustrauit, in eaque sibi maximè complacere significauit. Sed in quo laus? in equitatus comparatione. sanè siue equitatum, siue equam legamus, rectè per vtrumque exercitus Angelorum, siue Ecclesia illa triumphans significatur, cœlestium spirituum conuentu, senatuque frequens. Et equos dixit 1 Abachuch, Deum alloquens. Qui ascendis super equos tuos. Iam, & equitatus, & equa Ecclesia illa triumphans, tunc quidem cum hęc agerentur, ex solis Angelis collecta propter naturæ generositatem prętantem ex omnibus vnam, & longe naturę hominum excellentem. propter celeritatem

Ecclesia triumphans equitatus, & cur.
1 *Abachuc.*

tem

tem adhuc, & ad prelia aptitudinem pulcherrimam, & ad aspectum ipsum formosissimam. Equam hanc sponsus pastor, siue pastorum princeps suam dicit, quia nimirum Verbum ęternum, per quod facta sunt omnia, & sine quo nihil, naturę adhuc ipsius Angelicę Dominus; vnde Dominus Angelorum, ex quo Creator probatur. Et quidem Dominus non ex eo tantum modo quia Creator; hac enim ex parte adhuc, & Pater, & Spiritus sanctus Dominus, qui propterea sua dicere possunt. Sed adhuc ex eo, quòd ipsius solum modo est; quia Pastor, siue Princeps Pastorum, nimirum quia caro factum, & omnium redemptio; Enim vero Deo homini, qui adhuc si Adam non peccasset carnem assumpsisset humanam, Dux decus, gloria, caputque futurus. Deo, inquam, homini, futuro aliquando multo antè instructę illę acies, atque composita, & collecta illa familia. Dicatur igitur Verbum ęternū Pastor præuisus habuisse equam suam in curribus Pharaonis, peculiari, atq; propria ratione, nimirum omnem Angelorum cateruam atque exercitum, quando sibi vt procrearentur omnes, & prodirent in lucem illę perpulcrę luces, multo ante pręuisus homo, promeruit. Sed equa hęc, siue hic equitatus Pharaonis curribus aptandus dono donatus est, quia nimirum à Verbo ipso ęterni Patris famulatui hęc Ecclesia triumphans, siue hi Angelorum exercitus deputati; qui si maiestatem regni spectes, ac potentiam & gloriam nominis, rectè per Pharaonem exprimitur; ad manifestandam nimirum eius gloriam, iussaque capessenda, ipsumque tanquam vehendum in animos hominum tractandi huc atque illuc, & non sine ipsorummet decoro inflectendi. Iam vero hic equitatus, siue equa in curribus Regijs pulcrior & ornatu, & ipso ex applicatione ad currus corporis inflexu, quia nimirum natura Angelica, gratia, & gloria, obedientiaque ipsa summi Creatoris longè, quàm æstimari possit ornatior. Qua in re obedientiæ bonum in bonis Angelis, vt inobediētię malum in malis videri potest. Huic igitur equitatui, siue equæ in curribus Pharaonis Virgo assimilatur. Et primo quidem quoad naturam; etsi enim humanam naturam sortita est, visa tamen est, siue constitutionem propè diuinam spectes, siue ex constitutione virium firmitatem, siue ex hac pulcritudinem, atque formositatem, & inter Angelos, & inter homines Angelus. Nam quid dicam de illa animi moderatione, non solum quid supra humanum, verum, & supra Angelicum adhuc etiam sapiens. Ceterum hac natura, tanquam equa regijs phaleris ornata est, cæpitque ex ornatu decorem, appositaq. est ad ipsum vehendum curribus Pharaonis, atque decorè inflexa, quia nimirum gratia, & obedientia plena. Quæ duo in ipsa Verbum antequam adueniret inuenit; Nam vt Rex Pharao non antea currum conscendere solitus, quam ornatæ quadrigæ, & currui aptæ, ità non antea Spiritus sanctus superuenit, virtusque altissimi Mariam obumbrauit, quam illa, & gratia quidem plena esset, & quod agendum esset probè intellecto, per obedientiam præparata. Quod est, nisi prius vidisset, [a] & inclinasset aurem suam Synagogæ

Christus Dominus singulariter Dominus Angelorum & cur?

Pater æternus per Pharaonē expressus, & cur?

Beata Virgo equitatui assimilata, & cur?

[a] *Psalm.*

oblita, Ecclesiam statuens. Et gratia quidem plena, non illa, quæ verbi hospitio colluxit, sed qua ad verbum hospitio dignè suscipiendum ornata est. [3] Beata igitur, quæ credidit, & aurem inclinauit; ecce enim ex hoc in illam omnia bona, & in omnem terram beatitudinis, omnium generationum ore, ac nationum, predicatio. Sed cum hic ornatus gratia sit, atque hæc decora in curribus inflexio obedientia, meritò gratia eius, & obedientia, non cuicunque fit ex comparatione similis, sed gratiæ, & obedientiæ triumphantis Ecclesiæ; si quidem maxima fuit, ac summa, quæque sapere videretur, superiorem immortalem vitam spiritus magis, quam hominis, & Deo fruentis spiritus, quantum sit Deo obedire dignum, perspicuè in Deo ipso intuentis. Consumata ex gratia agere in terris homo, nouo miraculo non cœpta, visa est, degentemque in patria agere, non viatricem. Et quadrat quòd pastor pastoralem comparationem villis assuetus assumit, Sponsę pulcritudinem vt exprimat; dum Angelus testamenti cœlestibus assuetus, vt Mariam laudet, ex Angelis comparationem assumit.

3 Euang.

B.V. vbidientia quarta?

Maria meritò ex comparatione Angelorum laudata.

Erubuerant interea Matronales Mariæ genæ, dum insolita loqueretur Angelus, qui chorum in scœna ageret, eaque proponeret, quę primo aspectu pugnare viderentur ijs, quæ ipsa iam diù in animo de Virginitate haberet, votoque adhuc confirmasset, Erubuerant, inquam, quod est in Euangelio. [4] Turbata est in sermone eius; cum sponsus ipse filius æterni Patris pulcritudinem admirans; si quidem pulcrè erubuerant, vt officiosum ostenderet ruborem, sibi maximè placere ipsam à rubore eodem, qui laudet, inducitur. Vnde ait.

4 Euang.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.

Sicut scilicet pulcræ sunt genæ turturis. Totam ab ordine cum comparasset ad laudem, aut totum; vt [1] sculptores sculpendo faciunt, caput, à quo ceterorum membrorum esse posset iudicium; ad singula nunc descendit amoris Orator, & laudum Artifex.

1 Vide Arist. in Problem.

Sculptores cur sæpè solum caput sculpiunt.

Nec faciem, nec pigeat laudare capillos. & ratio.
Delectant etiam castas præconia formæ.

Orditur autem à genis, quòd castę facici, & formæ medium, binæ animę fores, duplex theatrum, aut inuersum amphitheatrum. laudat autem ab eo, à quo à ceteris laudatæ sunt, & laudari debent, nimirum à decenti rubore; [2] pingitque genas lacti rosas remiscens. Id autem rusticana, & pastorali exprimit comparatione, propter personæ decorum, vt & multa alia, cum tamen aliter, alijsque potuerint exprimi comparationibus. Facile est aduertere artifitium. Comparat autem genas rubentes genis turturis, quia rubescunt, & turturi genæ, & suauè pastoribus, venatoribus, quibus in oculis sæpè, & in delitijs sunt. Sic & dum hæc commentarer, à Rustico didici. Castum animal rubere ea parte voluit natura, qua naturæ auctor homines pudere, & erubescere. Et si quidem sponsum, & adolescentes sponsa viderat, plus solito genas depinxit; cum omnibus enim illud fit,

Laus generum in quo.

2 Anacr. verba.

Mi

Mi tenera interim, dum sic conspicior viris, repente obortus, suffundit ora purpureus pudor: quod est apud 3 Euripidem. Quod & ipsum maximè placuit, dignumque fuit, quod in primis à sponso commendaretur.

3 In Iph. in Aul.

* Rubescentes nimirum, flammescentes. Quod pudoris quidem signum est, vt in 1 naturalibus dicitur. At dices. Virgo timuit; sic enim dicitur. 2 Et turbata est in sermone eius, quod explicans 3 Ecclesia, Et expauit, inquit, Virgo de lumine. Quid est igitur, quod hic dicitur, quòd erubuit? sanè dum erubuit, timuit; pudor enim, vt ibidem dicitur, metuendi genere connectur.

Pudor erubescentiæ caussa.
1 Arist. in Probl. sect. 11. Prob. 53
2 Eu.
3 Eccl.
Pudor est in genere timoris.

Possumus & per genas: vt ad interiora animi ingrediamur, quæ binæ sunt, quaque animæ duplex theatrum, & quæ affectuum internorum indices, præsertim erubescentiæ, geminos Caritatis actus Dei, & proximi intelligere; hi nimirum in vniuersitate virtutum, tamquam membrorum genæ, exstant decorè, prominentque, secundum quod dicitur: 4 Maior autem horum est Caritas. In his, & per hos agnoscitur anima, nimirum interiora hominis, & affectiones. Quod si intuenti in externam pulcritudinem, ad laudem se primò offerunt genę, certè, & in internam intuenti Caritas sese offert; 5 facti enim sumus omnia, & omnia impleuimus, caritatem habentes. Vndè meritò sponsus sponsam laudaturus, à genarum laude exorditur, & pulcræ, inquit, sunt genæ tuæ, sicut turturis. Eodem sensu, flammescentes, rubescentes, Caritas nimirum tua Dei, proximique ardens, flammescens, & quidem non ex arte, ac fuco exterius, sed ab dono Dei, tanquam à natura intrinsecus. Si quidem à natura, & ab intrinseco turturi genæ flammescunt; Et decet maximè, sicut genas rubor, ita & ardor caritatem; & caritatem quidem Virginis sponsus Dominus, non ex eo solum primam laudat, quòd prima sit virtus, verùm, & ex eo adhuc, quòd in Virgine ardentissima fuerit, celsissimaque, & quidem cum semper, cum ex eo tempore maximè cum ipsam Angelus alloqueretur; enim verò qui clamat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, nimirum clamare nos facit, tunc maximè optari voluit in terris pulcrum aduentum summi Angeli, & seruatoris, cum potissimum esset vicinior, vt optatus nostris succederet tectis, & expetitus aduentaret, essetque tanquam merces operæ, 6 aut sitientibus aqua. Ideoque tunc maximè hac inspirasse de se desideria credendus est, cum proximè Angelum esset delegaturus. Cui autem alij fas esset maiora inspiraret, & ardentiora, quàm ei, in cuius vtero, & ex cuius carne esset opus perficiendum. Ipsam igitur ab Angelo, non solum inuentam, aut repertam, quę sacris satiaret animum de more, & ea præsertim Isaiæ legeret, quibus de Virgine, quòd esset Deum conceptura, continetur, fas est certò suspicari, verùm, & ardentem Dei, proximique caritate festinationem felicissimorum temporum, maturationemque ardentissimè suspirantem, suamque ipsam in caritate singularem, caritatis Phœnicem se suauissimè comburentem. Et hoc fortasse in figura est, quòd nuntius 7 ab Abraham Rebeccam puellam deco-

Caritas Dei, & proximi rectè per genas explicata.
4 Paul.
5 Paul.
Caritas B. V. Maxima.
Christus Dominus Messias, quando maximè voluit aduentum suum exspectari.
6 Isa.
Angelus non solū legentem Isaiam Virginē inuenit; verùm & ardentē præ amore Dei.
7 Gen.
Rebecca figura B. V. & quo modo.

decoram nimis, Virginemque pulcherrimam, & incognitam viro plena iam hydria aqua inuenit, quòd Angelus Mariam, gratia, & caritate plenam, vnde vt ille ab aqua sermonem exorditur. Paxillum aquę mihi ad bibendum prebe de hydria tua, ita & hic à gratia. Aue gratia plena. Nec si illi Rebecca potum dedit, huic Maria non dedisse putanda est, [8] de cuius plenitudine omnes accepturi erant; quæque ideo plena est, vt in omnes, vel in Angelos ipsos refunderet. Et in hoc quidem Gabriel petijsse, vt ille, potum, videtur, quòd gratia plenam agnoscit, & laudat, vt ad fontem recurrisse videatur gratiarum. In quo adhuc quàm ille modestius se gessisse videtur. Itaque cum semper beata, tùm verò maximè his temporibus ardentissima caritate flagrauit, apparuitque speciosior, & dignior, cuius genę maximè laudarentur. Quæ quidem ingressu, & alloquio Angeli memoria diuinę bonitatis, & consideratione diuinæ largitatis, ac summę, immensum aucta est; Si quidem ab illo dum edocetur ipsam esse, cuius ex carne Dei caro sumenda sit, se in matrem Dei mox futuram, & in [9] lucem omnium gentium degentium in tenebris, & in nocte peccatorum, velut Luna, Solis radijs magis, magisque incensa splendescit, & erga totum genus humanum diuinam bonitatis largitatem maximam, & erga se vnam maiorem agnoscit. Dicat igitum amorum sponsus, cuius in primis amor amore trahitur, & caritas caritate deuincitur. Genę tuæ sicut turturis. Laudetque hoc tempore præcipuè à caritate sponsam; quia nimirum hoc potissimum tempore à caritate illa flammescit. A genarum autem rubore, nimirum à caritate Dei, & proximi, ad candorem colli reuocatus descendat, quod est ad puritatem intentionis, dicatque.

[8] Ex Io. Bern.

[9] Isa.

Collum tuum, sicut monile.

A rubore genarum ad colli candorem denudatæ ad humerum, aut de more gentis, aut casu aliquo, vocatur; nec tamen in colore sistit, euolat ad formam, laudatque, quòd rotundum (hęc prima colli laus, atque hæc huius partis præconij sedes) comparatione monilium, siuè redimiculorum, vt LXX. sic enim illi. Ceruix tua, sicut redimicula. Et notanda ceruix; fauet enim quòd aduersam non dum se prodens aspiceret.

Colli Laus in quo?

Sunt autem monilia Hebręis (Aruzim per Zain) quæuis ornamenta mundi muliebris, gemmis, vnionibusque, cathenę, torquis, aut sertæ more digesta. Græcis ὁρμίσκος diminutiuum ὅρμου. quod alijs est redimiculum, alijs portus maritimus, ex interiore parte falcatus; vnde Panhormus, tota portus ex loci situ, à quo quidem portu translatè catena ὅρμος, ὁρμίσκος, catenula. Græcum hoc ὁρμὸς. induxit aliquando, vt putarem sumptam à pastoralibus, & hanc comparationem, nimirum à monilibus ex ligno in falcem, siue in orbem decorè, maximaque arte à pastoribus inflexis, collibus aptata pecudum, siue ad ornamentum, siue ad campanam sustinendam. Nec nunc nisi aliquid obstet, dissentio. Sed neque si aliquod aliud est

Monilia quid?

ὁρ-

ὁρμὸς, non est propterea rustica, & pastoralis comparatio. Animaduertit autem sponsus ornato capite sponsę, collum pulcrum apta desiderare ornamenta, ideòque statim subdit.

* Possumus per collum, puritatem intentionis intelligere. Collum album est, & intentionis puritas, vt nomen ipsum habet, albore rectè depingitur; sicut enim album color est, cui nihil admixstum est; ita & puritas intentionis, ea est, cui nihil proprij damni, aut commodi admixstum sit, à qua nimirum quis, quidquid facit totum ad 1 laudem, & gloriam Dei facit, cuius non est 2 scorea mixstum argentum, quod magis puritate sua ipsum candescit, neque adulteratum aurum, quod potius igni fit pretiosius. Vnde Angeli in ministerio Saluatoris, in vestibus albis cernuntur, vt ipsorum in ministerio illo puritas intentionis fieret manifesta. Et fortasse hoc est, quod in 3 Eccles. pracipitur, Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat, vt semper puritas intentionis seruetur in mente, & misericordia appareat in opere; Nam cum mutari pro tempore vestes, & nunc quidem alia, nunc, & alia assumi; candor tamen ab illis, nunquam potest, aut debet deesse, nimirum cum variari exercitationes virtutum possint, & nunc quidem quæ contemplatiuæ vitæ sunt assumi, nunc quę actiuę, in vtrisque tamen semper fas est, & debitum puritas intentionis eluceat; 4 Omne enim ait Apostolus, quodcumque facitis, ad laudem, & gloriam Dei facite. Atque hęc de prima Colli conditione. Iam, & collum alta corporis, atque procera pars est, & in altum tendit, nimirum ad Deum puritas intentionis. Collum corpus capiti coniungit, & nos Deo puritas intentionis. Hanc igitur sponsus laudat sponsa, quę Caritati proxima est. Ecquid, ait? collum tuum, sicut monile, nimirum rotundum, perfectum, ac si diceret puritas intentionis tuæ perfectissima, æternitatem prospiciens, mèque ipsum principio, & fine carentem. Horum enim symbolum sphœrica forma, & rotunditas, vt vel ex antiquis, peti potest. Manifestum autem est, quòd in hoc puritas intentionis probatur, si nihil aliud intendat, operando, nisi vt Deo placeat propter ipsummet, ęternitatemque cupiat, pręterea nihil; vt is faciebat, qui dicebat. 5 Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitę meę; & rursum idem cum dicebat in tribulatione. Saluos nos fac, Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Id, quod cum fit, ita collum perfectum est, ac rotundum, vt sit etiam pretiosum; Nam non immerito monili comparatur, Non enim solum rotundum, ac sphœricum monile est, verùm etiam & pretiosum. Et rotundum quidem; in semetipso collum, nimirum, hęc puritas intentionis perfecta in se, 6 pretiosa autem in conspectu Domini; Huius enim operę pretium, atque huius laboris merces, qui Deum ipsum, & ęternitatem prospectat, Deus ipse est, & ipsa ęternitas, secundum quod ait: 7 Ego ero merces tua magna nimis. Nam si in hac vita, ab hominibus id accipimus, aut

Puritas intentionis per collum quo significata?

1 Ex Paul.

2 Ex Proph.

Angeli cur in ministerio Saluatoris in vestibus albis.

3 Eccl.

Puritas intentionis vestis alba, & cur?

Puritas intentionis nunquam potest omitti.

4 Paul.

Puritas intentionis iungit Deo.

Puritas intentionis nihil aliud vult, nisi Deum.

5 Psalm.

6 Psalm.

7 Gen.

præmij, aut mercedis, pro quo obtinendo laboramus, quanto magis in alia à Deo id ipsum, exspectare fas est, à cuius æquitate, ac iustitia nefas laborantibus nobis pro [8] Rachel, Lya nè supponatur, timere. Iam verò hæc ipsa puritas intentionis perfectissima in Domina fuit, vnde meritò laudatur à sponso collum eius sicut monile, & rotundum, & pretiosum. Declarauit id multis; Fortasse ab Angelis frequentabatur, quòd in hoc ipsis simillima, adhuc & superior inuenta esset; Nam Virginitas sola, non id sibi promeretur, vt quis Angelorum consortio perfruatur. Fortasse & propterea quotidie, quod quotidie hoc à Virgine, Deo adoleretur incensum. Vide quid candidata Dei Maternitatis prætenderit. [9] Ecce, inquit, ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Dei voluntatem, & beneplacitum. In hoc vno [10] delitię eius omnes esse cum Deo, & ad Deum voluntatem eius, & opera, se tanquam paginam albam præbens, in qua quicquid Deo placeret, scriberetur, [11] vnde & verbum suum ille æternum scriberet, promerita est. Offerensque se, vt fieret ipsi secundum verbum Dei, vt ex ea fieret caro verbum Dei. Quæ quoniam semper lucem amauit, & [12] in luce ambulauit, meritò lucem præmia obtinuit; nam in [13] cœlo vndequaque luce circumfusa cernitur, & amicta. [14] Itaque totum corpus lucidum eius, cuius simplicissimus antea oculus fuerat. Et notandum, quòd quia in vita omnem lucem amauerat, nimirum eum, qui omnis lux est, & omne bonum, omni luce in triumpho circumdatur, & Lunę, & Solis, & Stellarum. Ac quia omnia in Deum direxerat, ea qua erat puritatis intentione, & cogitationes, & operationes, & maternitatem ipsam, meritò luce omnis amicitur, in corpore, in capite, in pedibus. Quare nihil in triumphante, quod non sit lux visitur, quod nihil in militante, quod non fuerit purè in Deum directum antea fuerit visum. Nam neq; in [15] nocte, quicquam lucerna eius, non dicam extincta est, sed neq; aduersi aliquid passa est, nimirum neq; in maximis tribulationibus, in quibus cōmuniter homines deficere solent, vt non falsò à parente falsitatis argui illud potuerit. [16] Alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi; neque, inquam in maximis tribulationibus puritas illa intētionis quicquā defecit, quæ magis, magisq; eluxit accensa. Sed vt in omnibus, ita & in hoc parum tribuimus Virgini, si virtutem tantummodò tribuerimus, non tribuamus adhuc Ideam, exemplar, magisterium, vt ita dicam, virtutis. Quare paulo altius de puritate hac intentionis in Virgine philosophemur. Ita in hac excelluit, vt viuens promerita sit, quotquot ad ipsam venirent exemplo, ac virtute, hac eadem ipsa virtute egregiè informare, & tanquam pariens ipsa alias, [17] ad Regem hoc ipso ornamento decoratas adducere. In hoc se nitidissimum vitrum præbens, per quod vlterius acies in Dei intuitum progrederetur, ac purissimum speculum, in quo, quam illi piè venerarentur, diuinæ bonitatis splenderet ad viuum imago. Denique, & generosissima Aquila, quæ ad Solis vsque firmum intuitum filios prouocaret, nec degeneres abij-

[8] Gen.

Puritas intentionis B.V. maxima.

[9] Lu.

[10] Ex Sap.

[11] Ex Damasc.

[12] Ex Eu.

[13] Apoc.

[14] Eu.

B.V. cur in Apocalypsi omni amicta lucem.

[15] Prou.

Puritas intentionis in B.V. perpetua.

[16] Iob.

B.V. puritas intentionis excellētia.

[17] Psalm.

abijceret, quæ induta virtute ex alto, ex degeneribus, sibi similes generosos effingeret. Qua quidem in re in prius Apostolorum Magistram, & instructricem se prabuit. Nam cum multa illi à Virgine doceri, & potuerint, & debuerint, in eo autem Christianę doctrinæ sita sint ferè omnia, vt omnia dirigantur in Deum, nec aliud in operibus, nisi finis vltimus, qui Deus est, exquiratur; sanè id primum, atque in primis à magistra doceri debuerunt, vt [18] quasi modò geniti infantes, sine dolo sibi patrem appellarent Deum, & in illum obtutum defigerent. Nam si id Apostoli nos in primis docuerunt, vt ex Epistolis ipsorum peti potest, quantò magis ipsos, id à Virgine edoctos fas est certò tenere? Vnde se nomen sapientię meritò diuina prouidentia sortitam ostendit, quæ docet in prima principia resoluere, & vltimum tandem finem prospicere. An cum prudentes Matres familias id imprimis curæ habeant, vt filij Patrem agnoscant, & nominent; prudentissima illa vna, à qua omnis maternitas in spiritualibus non habuerit? Atque id in vita. Iam verò nunc Aduocata nostra in cœlis, sedensque ad dexteram Filij, & Patris, per Filium id ipsum docet, obtinuitque, vt nos ad ipsam accedentes, disceremus in primis; propter quòd compendiaria ad perfectionem deuotio erga ipsam est. Enim verò puritatem intentionis statim sentimus simul ac deuotionem ipsius habere in animo aggredimur. [19] Vnde rectè ait, Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino: Hac breuiter; iam enim alius erit campus, in quo latius de virtutibus sanctissimæ parentis excurret Oratio. Collum itaque sponsę, sicut monile sponso, quia puritas intentionis Virginis in oculis Dei perfectissima. Sed & possumus per collum obedientiam intelligere, quę, & in Domina fuit maxima, & post caritatem meruit à sponso laudari; princeps nimirum virtutum moralium, ac parens, vt illa Theologalium. Et rectè introducitur sponsus, qui à laude genarum, ad colli laudem reuocetur, quia nimirum post caritatem, nihil fuit in Maria pręstantius, ac dignius obedientia, quo Verbum æterni Patris raperetur, ac traheretur ad terram. Et post chori verba loquitur in fabula sponsus, quia post illa Archangeli Gabrielis, obedientiam, vnde Dominus amore accenderetur, ostendit. Ecce Ancilla Domini. Ex quibus sanè apertum fit, quòd re ipsa ita est; duobus funiculis filię Adam æterni Patris filium tractum ad nos. Nimirum duabus pręcipuis omnium virtutibus, Caritate, Obedientia, quod est è [20] purpura, & bysso indumentum contextum. A Caritatis igitur Marię admiratione, ac laude tractus sponsus ad obedientiæ commendationem descendit. Itaque, Collum tuum sicut monile. Obedientia tua perfectissima, & pretiosissima insuper. Id, quod illi suo iure à laudatore optimo tributum est. Enim verò cum in eo perfectio obedientię sit, vt quis benè percepta superioris voluntate, statim se, suaque omnia illi subdat; velitque quod ille, atque id, vt obediat; sanè perfectissima obedientia eius fuit, quæ edocta per Angelum, de Dei voluntate statim non sui commodo, sed obediendi ardore illi assensa

Puritas intentionis Magistra B.V. quam Apostolos docuit.

18 Petr.

B.V. cur sapientia dicta.

Deuotio erga B. Dominã, cur via compendiaria ad perfectionem.

19 Sap.

Obedientia per collum rectè significata.

Obedientia Princeps virtutum moralium.

Obedientia B. V. Verbum æternum tractum in terrã.

Caritas, & obedientia, Purpura, & Byssus.

20 Prou.

Obedientiæ perfectio in quo sit.

sensa est. Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum, se ad obediendum paratissimam ostendens. Ecce, Et quia vellet, & quia insuper deberet, Ancilla Domini. idque quia obedire ipsum placeret, Secundum verbum tuum. Rursum cum in eo pretium obedientiæ sit; vt propter obedientiam qui sibi à Deo multum pro obedientiæ gradu promercatur, vt promeritus est[21] Abraham, cui ad vnicum Deo filium sacrificandum accincto, ac prompto filiorum repromissio, stellarum cœli æmula facta est. Sanè pretiosissima æstimanda est eius obedientia, quæ statim pretioso illo dono donata est, quo nec peti, nec effingi ab hominibus poterat pretiosius, nimirum, vt verbum Dei fieret caro. Huius obedientię pretium est cœlum, nobis promissum, ęternitas, immortalitas, Deus ipse; sicut inobedientia Euæ pretium infernus, mortalitas, mors. Post illud semper benedictum. Ecce Ancilla Domini.[22] Ecce hereditas Domini, filij merces, fructus ventris. Et notandum, quòd sicut solito pretio, statim res quæ venit soluentis fit, propter quod historiam enarranti ad id significandum; nihil nisi quod pretium sit solutum, dicendum, ita statim exhibita Marię obedientia, statim Verbum caro factum est, vt non fuerit prudentibus Euangelistis propterea aliud pręter Mariæ ipsius verba narrandum. Sed omisimus dicere, quòd rectè obedientia per collum significatur: Sicut enim collum à capite pracipua est pars corporis, ita & post Theologales virtutes, inter morales precipua virtus obedientia, Ac sicut per collum in alia membra influxus, ita & per obedientiam in alias virtutes, vita, meritumque. A collo in naturalibus multa ceterorum coniectura, & ab obedientia hominibus spiritualibus. Caput decorè nunquam sine collo pingitur, nec caritas sine obedientia; cum enim caritas cum operibus sit, opera autem nostra sine obedientia non placeant Deo, caritas vtique sine obedientia esse non potest.

Obedientia B. V. quanta?

21 *Gen.*

Obedientiæ quod pretium.

22 *Psal.*

Sine obedientia Caritas esse non potest.

Murenulas auri faciemus tibi, vermiculatas argẽto.

Murenula quid?

Scio alijs in aures esse murenulas, alijs annulos, alijs dexstrariola, quin & vestes. Mihi vbique, omnia isthæc; sunt enim ornamenta corporis murenam, siue colore, siue figura, siue vtroque referentia; hic verò tantummodo colli ornamentum ex auctoribus, contexstuque, additque vermiculatas argento, quod est distinctas. vnde LXX. Similitudines auri cum distinctionibus argenti. Et similitudines quidem colli, vel signa, aut insignia. Idem. tactas argento dicerent alij. Alij variatas, variegatas, permixtas. Optimum vermiculatas. Nihil latinè aptius, nihil pręterea tam his, quam contexstui in fabula ad mystica, allaboramus; neque enim tam artifices referimus in monilibus, & murenulis fabricandis, quàm amicos, sponsam exornatam volentes.

Vermiculatum quid?

* Per murenulas auri, argento vermiculatas, rectè ornamenta quęcumque spiritualia in communi intelligimus, & ornamenta, non vulgaria, sed dignissima, qualia esse oportet ea, in quibus maxima

pars

pars sit aurum; sitque pulcritudinis sedes varietas. Id cum ita habeat, animaduertit sponsus, sponsa collum ornamenta desiderare, quia nimirum Verbum Æterni Patris Mariç, siue puritati intentionis, siue obedientię, maiora amplioraque dona deberi; ideoque murenulas auri, inquit, ille in fabula faciemus tibi vermiculatas argento. Hic reipsa. Te maiore adhuc ampliorique gratia cumulabimus; intelligitque eam gratiam, eaque dona omnia, quæ mox aduentiens per carnem in vterum Virginis, in ipsam latè copioseque congessit. Vnde faciemus, ait, nam vt dixi iam aduentans, non dum qui venerit, pro captu nostræ intelligentię inducitur. Et rectè per aurum, & per argentum omnia illa dona, ac gratię significantur; sicut enim auri, argentique pretio omnia continentur, ita omnes gratię, ac dona illo donorum cumulo, ac gratiarum. Si quidem tot, tantæque fuerunt, tantiq; pretij, vt cum antea plena gratiarum ab Angelo sit salutata, fueritque iam ab instanti illo, ac momento temporis, quo concepta est diuinitus plena, videri potuerit vacua horum comparatione, & sine ornamento. Et expendenda sunt singula sponsi verba, & diligentissimè ponderanda, vt quę auro, argentoque sint grauia. Faciemus, inquit, vt exprimat per hoc externum opus, siue, quod hi aiunt, ad extra Toti Sanctissimę Trinitati, commune, sicut Angelus locutus fuerat. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Rursum meminit auri, argentique simul permixtorum; nam cum gratię duplex sit genus, & aliud quidem gratum facientis, aliud gratis datæ, quorum illud propter pretium est aurum, hoc propter sonum, & proximi vtilitatem argentum; Maria vtroque à Deo ornata est. Ornata autem, non vtcumque; quod interdum non tam ornari, quam onerari est auro, sed ornata auro, in murenulas fuso, nimirum apto, & decoro ornamento, quod vtrique collum deceret. Enim verò illam gratiam accepit à Deo, cum se illi antea disposuisset. Ipsa collum obtulit, Deus attulit ornamenta, nimirum ipsa puritatem intentionis, siue obedientiam illam, de qua hactenus loquuti sumus. Deus plenitudinem gratiarum, ipsa quodammodo plenitudinem pleniorem. Quare sicut cum ornamenta miramur, non tam in ipsius ornamentis defigimus obtutum, quàm quorum sint ornamenta membrorum, adhuc rapimur ad contemplandum, ac quàm deceat simul vtrumque; ita & hac in re Virginis, non tam gratiarum copiam, & dignitatem, quàm hanc ipsius Virginis aptitudinem mirati contemplarique debemus. Pulcherrimę murenulę, at aptissimum collum. Et quanquam non ex se ipso aptum, sed adhuc ex gratia Dei, aptum tamen, atque ita aptum, vt loqui, & hęc ornamenta sibi petere videretur. Sed dices quid est, quod aurum in murenulas, non in murenulam fusum; aptius est ornamentum. Vnde, ait murenulas auri? Sanè quia gratia gratum faciens; non sola in animam infunditur, sed cum ea, & virtutes, & dona, & gaudia, quorum alia voluntatem, alia intelligentiam, alia alias potentias ornant, tanquam inaures, aut annuli, aut dextrariola, aut vestes.

Gratia, quam Verbum secum attulit in Virginē, rectè per aurum, & argentum significatur.

Gratia Gratum faciens aurum, & cur?

Gratiæ gratis datæ argentum, & cur?

Murenulæ aureæ in Virgine quid?

vestes. Rursum, quid est, quod hæ murenulę argento distinctę, aut variatę sunt, aut vt diximus, tactæ? Sanè quia gratia gratum faciens, & virtutes, & dona gratijs gratis datis ornantur, fiuntque in oculis hominum, digniores. Et notandum, quòd dum dicitur Variatas, aut Tactas, multiplex varietas, aut tactus insinuatur, multis scilicet in partibus, quia nimirum habet vnaquæque virtus, atque vnumquodque donum suam gratiam gratis datam, qua potissimum tanquam ministra appareat eius dignitas; & vt Esther suam famulam, qua innixa incedat gloriosior. Nam v. g. donum sapientię, & scientię, gratijs gratis datis sermone sapientię, & scientię maximè iuuantur. Rursum fides, fide, ac deinceps; potest enim per se quisque discurrendo intelligere. Et non est prætermittendum, quod ad eos maximè pertinet, quorum in alijs adiuuandis opera enititur, quòd plurimum auri, in ornamentum colli sponsæ confertur, parum argenti; quo docemur, rem omnem cum proximo, non tam gratijs gratis datis, quàm caritate, & virtutibus confici. Sed rursum possumus per murenulas auri Verbum ipsum ęternum; per argentum verò carnem intelligere, vt sit sensus; quod statim deinde factum est, dicente Deo, & faciente. Verbum caro tibi fiet. Et quadrat; nam ad hoc vnum ornamentum suscipiendum de manu sponsi, videbatur sponsę collum tam pulcrè denudatum; nimirum illa Virginis puritas intentionis maxima, atque illa pretiosa nimis obedientia ad hoc exhibita, id promereri, vt in ipsa, & ex ipsa Verbum fieret caro. Quare si aliquid ornamenti sponsus polliceri collo sponsę, id sibi suo iure postulanti, debuit certè, id vnum potissimum, atque in primis debuit, quod illud sibi postulare videretur; nimirum si his Marię virtutibus Dominus aliquid, & polliceri, & mox tribuere; certè id vnum debuit, vt in ipsa, & ex ipso Verbum carnem susciperet. Et rectè per aurum, Verbum æternum; per argentū vero, caro siue humanitas sumitur seruatoris; sicut enim auro nihil est pretiosius; argento vero aurum, ita, & diuinitate filij Dei nihil est maius, quæ adhuc præstat humanitati. Qua quidem, etsi natura Angelus pręstantior est, iuxta quod dicitur: [1] Minuisti eum paulo minus ab Angelis, non est tamen gratia; vnde subditur: [2] Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum, nimirum superiorem, super opera manuum tuarum. Rursum sicut argentum ab auro pretium habet, aurum verò ipsum à nullo alio metallo, quod ipsum aliorum mensura est, ita & humanitas Christi Domini à diuinitate habet, vt tantum valeat, quæ quidem diuinitas per se ipsa valet. Hoc est illud aurum, quod emere suademur, nimirum diligentissimè quærere, & pretio omnium rerum nostrarum exquirere. Hoc est illud [3] argentum igne tribulationum tempore passionis, non ad suam, sed ad nostram purgationem examinatum. Hoc denique est illud aurum, argentumque, quod nobiscum per fidem, & caritatem iubemur ab [4] Ægypto fugientes, nimirum ab hoc sæculo ad pietatem, & religionem asportare. Sed quid est, quòd in murenulas fusum aurum promittitur? An quia vera diuinitas

Verbum æternum aurum. Caro argentum. Et cur?

[1] *Psalm.*
[2] *Psalm.*
[3] *Psal.*
[4] *Exod.*

uinitas, æterna, cuius murenula symbolum referens, nimirum serpentem, non falsa, ac temporalis inanium Deorum promittitur? An verò quia diuinitas non quocumque modò, quo quidem vbique est, sed peculiari quadam ratione promittitur, quo peculiariter fuit in Virgine ad ornamentum, nec vnum, aut alterum, sed plura, vt per hoc dicatur murenulas aureas, &c.? Id quod veritati maximè consonat; enim verò vt lux rebus, vt Sol mundo, vt aqua viridarijs, vnum ornamentum Virgini, plus quam sexcenta attulit ornamenta habitantis in ea diuinitatis. (Vnde [5] in figura Rebeccha plura decora allata sunt)& ornamenta, quę peregrinum referrent animal, nimirum quæ extranea sunt, & naturę hominis superiora. Nam illa nunquam antea in orbe terrarum visa, quę simul in Virgine in ornamentum, ac decus coniuncta sunt e. Maternitas, Virginitas, Amor, Maiestas, Pulcritudo Castitas à diuinitatis pręsentia illi fuerunt. Rursum autem, quid est, quòd in vermiculos argentum est fusum? vnde dicitur vermiculatas argento? An vt significetur diuinitatem humanitate non deturpatam, quicquam, aut occultatam, potius, vt nescias, qua ratione, decoratam? An verò vt aperiatur verbum Dei carnem adcipiens vermem sumpsisse; vnde dicere potuerit. [6] Ego sum vermis? Et vermis quidem siue propter humilitatem, siue propter matris Virginitatem? An denique quia murena, & vermis similem habent figuram? vt per hoc intelligatur vermem ad murenam accessisse, similitudine, nimirum carnem ad diuinitatem, & idiomatum cōmunicatione carnem ęternam, immaterialem, omnipotentem effectam? Sed hęc sponsus, dum magnificentissima promissione pollicetur, iam quid sponsa interea agat, feratque, videamus.

Verbum æternum vnum Virgini, & plurima, atque adeò omnia dona.

[5] Gen.

In B. V. aduentu Verbi Dei plurima noua.

Vermiculatum argentum quid sit?

[6] Psal.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

Sponsę verba, manifestum. Occultum, quam cohærentia. Quare incertum, an rem attingemus. Hoc tamen vt & alia postulemus à Domino. Deterruerunt me hęc, vt nonnulla alia; nihil tamen effecerunt, vt difficultatibus victus, omitterem. Dolui omnino omissum alijs ipsorum cum superioribus nexum; nam modò aliquid quacumque ratione dicatur, aliquam lucem affert. Hęc multa videntur habere. Vnum verùm: Fortè de more sponsorum pręsertim Hebręorum venerat ad sponsam sponsus aliquando, non facturus mulierem. Fuerat conuiuio exceptus, & accumbenti Hebręo de more (hoc est enim in accubitu esse Hebręis in domo lectulorum circa mensam in orbem constratorum, qui mos iam Temporibus Salomonis vigebat, alio sedendi aboleto; cubito innixum conuiuari) sponsa nardo coronata, & insuper eodem inuncta, astiterat ipsa, conuiuasque ipsis ijsdem vnguentis perfuderat, [1] & impinguarat maximè sponsi in oleo caput: Hoc enim erat munus mulierum; vnde in [2] Euangelio Mulier attulit alabastrum vnguenti, & nardi, pedes Domini

Accubandi mos Hebręis qui?

[1] Ex Psalm. Impinguet in oleo caput meum.

[2] Euang. 10.

Vngere in conuiuijs munus mulierum Hebræis; & quo pacto?

vnctura, atque rursum caput. Quare non fuit à Simone munus, sed personæ conditio vituperata, quamquam temerè. Atque hoc est vnguentarias esse, vt 3 in Regibus dicitur, Regem Iudæorum filias ipsorum vnguentarias facturum. Coronabantur autem folijs nardi, quæ olim in summo pretio fuere, quod per excellentiam folium Plinius dicit. Est autem nardus, & herba, & ex herba vnguentum. Ille. 4

> Iamdudum Tyrio madefactus Tempora nardo,
> Debueram sertis implicuisse comas.

Et alius. 5

> Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo.

Hæc sponsa grata recordatione commemorat, sibi nunc amoris nutrimenta. Additque se contra tunc à sponso afflatam odore, vel re, quod & conuiuę olerent; vel æstimatione, aitque.

Hæc sponsa, quæ Virgo est, quęq; vt sponsę, & Virgini ad litteram diuersimodè adhuc possunt conuenire. Sanè si in fabula sponsa, vt diximus, diuersa opinantes, non dum viso sponso, grata recordatione preteritas actiones commemorat, quę præsentem amorem alant; commemorat autem, cùm accumbenti sponso, ipsa adstitit coronata, vel vncta; hæc sic Virgini conuenient. Si dixerimus ipsam, hoc ipso eodem tempore Incarnationis filij Dei, introduci, quę aliquod peculiare tempus meminerit, quo sit à Domino per contemplationem peculiari quadam ratione, & memorabili visitata, siue cum in templo oblata sit à parentibus, siue cum ibi degeret, siue cum sit Ioseph desponsata à Sacerdotibus. Vnde hęc memorans dicat: Dum esset Rex. Et habet id in moribus Deus, efficitque cum contemplatricibus animabus, vt certis quibusdam temporibus 1 lautiore accipiat conuiuio, tangatque aurea virga maiore amoris significatione; nimirum dulcius, & sublimius rapiat ad sese, vt cum Paulo, cum Francisco fecisse legitur. Vt aqua, quæ occultè fluens, & musicè; certis tamen quibusdam momentis, ignores qua caussa, vehementius agglomerata fluit, & sonantius strepit. Aut vt Sol, qui certa aliqua diei parte vrit ardentius, collustratque luminosius. Et vt Reges adhuc faciunt cum aulicis, & familiaribus, quibus inexspectatò interdum fauentiores se exhibent, fauendi leges, & offitia excedentes offitiosè. Et fortasè hoc est, quod apud 2 Iob de eo dicitur, quòd abscondit in manibus lucem, & pręcepit ei, vt rursus adueniat, quòd cum absconditam seruet contemplationem cœlestium, & peculiarem consolationem suis; rursum interdum, cum ei libet, manifestat. Id, quod ille sapientissimo consilio facit, vt per hoc ingressa anima in potentias 3 Domini, ad vnius amorem alliciatur, crescatque interea fide, ac spe diuinorum. Id, quod ibidem insinuatur, dum subditur. Annuntiat de eo amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. Ex quibus sanè verbis, non est leuiter prætermittendum, quod dicitur amico suo; quod possessio eius sit; Nam hæc Deus Opt. nonnisi cum amicis solet efficere. Sensus igitur verborum optimæ

Pa-

3 1. Reg. 8.

4 Tibull. lib. 3. eleg. vlt.

5 Ouid. 4. art. Tibul. idem adhuc lib. 1. eleg. Illids è puro distillent tempora nardo.

1 Aff. Deus Opt. animas contemplantium certis temporibus affluetius imbuit. & ad hoc multæ similitudines. & cur.

2 Iob.

3 Psalm.

Parentis hic est: Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea, &c. Memini ego me aliquando Regem iam accumbentem videre, memini, & me tunc nardo coronatam, atque vnctam Regi astitisse. Accubitus Regis est Dei gloriæ beatis spiritibus manifestatio; vnde, & nobis dum manifestatio Dei viuentis, & regnantis promittitur, accubitus promittitur. Et nunc quidem dum dicitur, quòd 4 comedemus, & bibemus; nunc quòd 5 epulabimur; nunc quòd super mensam Domini sedebimus. Sicut enim accubitus multorum est, in coronam ad epulas, voluptatesque consessus; & vnius quidem conuiuio excipientis, aliorum exceptorum; ita, & gloriæ manifestatio multorum est perfectum, æternumque gaudium. Et vnius quidem manifestantis, & gaudere facientis aliorum excipientium, & gaudentium manifestatione; secundum quod de Deo dicitur. 6 Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ac sicut in accubitu idem omnes degustant, (aliòque diuersi accubitus, diuersæ mensa) ita, & in æterna beatitate, eodem beati cum Deo perfruuntur obiecto; Nam cum ipse Deus se ipso gaudeat, seque ipse degustet, & se alijs degustandum præbet; vnde dicitur: Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quod est voluptatis, quam tu ipse hauris, potabis eos, propter quod non immerito dicitur, quòd 7 erimus ei similes; Nam hauriemus aquas 8 in gaudio de fontibus Saluatoris. Ex quo amicitia Dei, & Beatorum quanta sit manifestè fit. Rursum nardus, quæ humillima herba est, at odorata satis in pretio, & æstimatione omnium, humilitas virtus est, quæ cum faustum abijciat, sitque superbiæ inimica, placet tamen omnibus, & carissima est; propter quod non est, qui verè humilem non amet: siue id ita fiat, quia omnes humilis honorat; vnde omnes se honorari ab humili sentiunt: siue, quia id præmium virtutis est à Deo. Hæc cum ita habeant, reuocandum nunc in memoriam est, & supponendum, quod de Beata multi piè meditantes fatentur, diuinitatem intueri solitam, per modum, vt vsurpamus, transeuntis. Id, quod verissimum est; & per seipsum apertissimum. Nam si 9 id Moysi, & Paulo concessum est, non videtur, quòd Moysis, & Pauli Dominæ, ac Magistræ fuerit priuilegium denegandum. Rursum, quod alicui placuit, id quotidie illi concessum, & quidem, vel ab instanti conceptionis, quod & ipsum posset argumentis firmari, vel à præsentatione in templo, antequam conciperet de Spiritu sancto, Iam enim cum concepit, manifestum est, vt dicemus. Hæc rursum cum ita habeant, sensus verborum est. Dum esset Rex in accubitu suo, verbum æternum manifestans se Angelis beatis, adstiti, & ego pertransiens singulari dono, ac priuilegio, & nardus mea, humilitas mea, ex tunc dedit odorem suum. Ac si diceret. Noui cur placeam, vnde sim electa, quid mihi fauerit ad maternitatis supremum, ac singularem gradum; Fauit enim humilitas. Nam cum ministrare ego epulas non possem illi conuiuio, neque assidere conuiua, quę non dum essem ex toto beata, Adstiti plena odoramentis, attulique, quod & ipsi conuiuij Regi, atque conuiuis maximè placere posset,

Beatitudo accubitus, & cur?

4 En.

5 Isa.

6 Psalm.

7 Io.

8 Is.

Nardus humilitatem rectè significat.

B. V. in hac vita per modum transeuntis quotidie diuino intuitu fouebatur.

9 Vide 2. 2.

Humilitas B. V. quando, & quantum placuit.

nimirum humilitatem. Id ipsum dicere mihi hoc videtur loco velatè, & sub integumentis, quod alibi apertè dixit. Quia respexit humilitatem ancillæ suę. Et sequitur eodem sensu. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Ac si diceret. Sed cum ego odorem illum intulerim, & inde retuli odorem; Nam fasciculus myrrhę dilectus meus mihi. Eodem sensu. Fuit ille mihi longè maiori consolationi, & odori, fasciculus; siue vt LXX. alligamentum, vel colligatio guttæ; siue vt Hebræi Crumena, seu inuolucrum cordi applicitum ad refocillationem, & vitam. atque eodem sensu adhuc botrum Cypri ait, &c. Nec dubium quin, etsi per modum transeuntis visio illa beatifica fuerit, maximè exstiterit Virgini consolationi, sederitque ad vitæ immortalitatem cordi, & vt res carissima sit inter vbera commorata semper, eius commemoratio. Nam si omnis bonorum recordatio iucunda accidit, certè iucundissima necesse habet accidat vna, quę optimi est recordatio. Hæc si sponsa in fabula non dum viso loquitur sponso. Quòd si viso, murenulas coram pollicenti respondet; hic verborum commodior videri poterit sensus. Eadem futuri interpretatione. Dum erit Rex in accubitu nardus mea dabit. Contra, ipsa pollicetur sua munera, nimirum humilitatem, quæ gratiæ, siue visioni verbi, quas murenulas diximus, respondeant. Dum tu eris, ò Rex in accubitu tuo, in vtero scilicet meo tuo, & quòd tibi tu elegeris, & quòd in eo tibi maximè placeat, & quòd ancillæ tuæ sit, quę tibi illud offert: vt in eo secundum verbum tuum fiat, & quòd tu illud straueris, disposuerisque ornamentis. Accubitu verò quòd in eo naturæ humanę epulum præparaueris, conuiuij Rex, manifestationem, possessionemque omnium bonorum tuorum, & delitiarum. Cum, inquam, hic eris, non ingrata, neque inofficiosa, tanto, & hospiti, & sponso, ego vnguentata nardo, & coronata apparebo, nimirum humilitate. Dignam, & prudentem responsionem. Sanè cum mittuntur munera mittenti, & alia mittere, ac sic respondere ex officio est. Rursum, & pollicenti adhuc, & polliceri. Prudentissimè igitur Virgo, quæ post Angeli verba, cum verbo ipso colloquens, sic pollicenti respondere introducitur, vt pro gratia se dicat daturam humilitatem. [10] Hoc est, quòd iustitia de cœlo prospiciente, & misericordiam operante, veritas de terra oritur, nimirum humilitas de Maria. Hoc est, quòd Domino dante benignitatem, terra nostra dabit fructum suum. Vbi & Virgo terra nostra dicitur, quòd nostri generis sit, & humilitas fructus suus, quòd ipsius propria fuerit; enim verò vt virginitatem, & humilitatem illa prior docuit mundum, & in Orbem terrarum sapientissimè disseminauit. Sed dices obiter. Non hæc veritati respondent, vt verbum cum Virgine colloquatur, cum statim post illa: Ecce Ancilla Domini, Verbum caro factum sit. Non igitur antequam caro fieret, ad colloquendum congressi sunt. Sanè veritati respondent, & ita vt inducantur colloquentes, habet maximum decorum. Enim vero sicut sponsalibus conclusis ad osculandam sponsam non irrumpit sponsus

Vterus B.V. Accubitus Dei, & cur.

10 *Psalm.*

Virgo terra nostra cur? & eius fructus eius.

ſponſus temerè, & inofficioſè, ſed ingrediens domum ſalutem dicit, ac pauca prius colloquitur; Ita & de Verbo æterno cogitandum eſt, vt exhibito adhuc Virgini aſſenſu, prius Virginem ipſam ſit alloquutum, ante quàm ad oſculandam accederet, nimirum ad carnem ex ea ſumendam. Sed quæ illis tacitis interniſque cogitationibus, in inſtanti, in ictu ſunt geſta, nobis, quia percipi non poſſunt, niſi in temporis decurſu geſta, quaſi in tempore geſta enarrantur. Rectè autem ſponſa Incarnationem, accubitum dicit; Enim verò conuiuium venit Deus in carne celebraturus, conuiuium in Monte hoc, vtero ſcilicet Virginis, in vertice montium ſito, pinguium, verè ſpiritualium medullatorum gratiæ, vindemię defæcatæ, amoris puriſſimi, & ſinceriſſimi. Quod conuiuium cum illo [11] Aſſueri, ad manifeſtationem potentię, & magnificentiæ fuit; cum illo verò [12] Patris, filio recepto prodigo, ad manifeſtationem amoris. Et rectè accubitum ſuum dicit; nam ipſe met, & conuiuio excipiens, & exceptus, ipſe potentiam, & magnificentiam manifeſtans ſuam, ipſe, & manifeſtatam deguſtans, nimirum quia ipſe Deus, & homo, & quà Deus, quidem excipiens, quà homo, exceptus, quà Deus, manifeſtans, quà homo, deguſtans manifeſtationem. Id, quod veritati congruit; [13] Nam gratiam, & gloriam ipſe prior glorioſiorem, ac copioſiorem ipſo dante recepit, apud quem [14] eſt fons vitæ, nimirum, & gratię, & gloriæ. Vtrumque enim vita. Ab inſtanti [15] conceptionis à verbo homo plenus gratia, & veritate, nimirum glorię lumine, quamquam & nos in ipſo, vel ex tunc, & gratioſi, & beati, vt in cœleſtis Adami lumbis cœleſtes aliquando futuri. Sed videamus, quo nam pacto, cum impleſset mox ſponſus promiſſa ſua ſponſæ, murenulas ipſi aureas afferens, & collo inferens, de quibus diximus, & ipſa ſponſa impleuerit ſua, nardo coronata, atque vncta aſſiſtens. Sanè & ipſa impleuit, nam & ad Regis ingreſſum, & ad accubitum, & in accubitu ipſo, ſemper nimirum quamdiu in vtero eius fuit, ſemper tenuit, atque coluit mirificè humilitatem, qua Omnipotentem detinuit. Quid habet iſta in montana meditatio, atque iſta properatio, iſtud obſequium ſeni, iſta frequentia offitia prægnanti, niſi miram, & inauditam humilitatem? Vnde iurè obſtupeat Eliſabeth, dicatque. [16] Et vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me? Iam & iſtud ſilentium, iſta taciturnitas, in ſuſpicione adulterij tanta, tamque mirabilis; vnde niſi ad humilitate, virtute, & animi deiectione? virtus eſt nardi ſpirantis, & in cœlum in accubitum ſponſi ſuum odorem eſſlantis. Mitto de obedientia Cęſari, in ſe ſuiſque deſcribendis, de partu in ſtabulo, ſumma hyeme, nocte media, brutis famulantibus, & ruſticana ſimplicitate parietibus adornatis. Quæ omnia Marię humilitatem loquuntur. Sed dicet aliquis; An non igitur poſt hęc omnia humilis Virgo? an à Regis accubitu ſuperba? Sanè ſemper humilis, quę ſemper Virgo, vt & perpetuo humilis dici poſſit, quę perpetua dicitur Virgo. Sed nobis admirabilior tempore accubitus Regis, nardi odor, nimirum tempore, quo tantum ferret vterum humi-

Incarnatio Verbi Dei, Accubitus. Et cur?

[11] Eſther.

[12] Eu.

[13] Pſalm.

[14] Pſal.

[15] Io.

B. V. Humillima ſemper, & vnde, potiſſimum colligitur.

[16] Luc.

 humi-

Humilitas Virginis in exſaltatione mirabilis.

humilitas, tempus enim hoc, tempus gratiæ, tempus dignitatis, tempus exſaltationis, & in ſublime, quantum vix cogitatione quiſquam aſſequi poſſit, euectionis. Quo quidem tempore ſolet alijs nardus, ſi qua in horto eſt, flante peſtifero vento, exſiccari; nimirum humilitas abſorberi erigente animum, atque inanibus cogitationibus inflante ſuperbia. Cuius igitur nardus odorem dedit ſuum in accubitu Regis, & omni tempore dediſſe, deinceps credenda eſt, niſi quòd eo præſertim tempore dediſſe, quo hominibus non exſpectaretur, valdè notanda eſt. Hæc ſi reſpondentis coram alloquenti in fabula ſponſæ ſunt. Quod quidem magis rear, quòd hiſtoriæ, & veritati conſentaneum magis, ac congruum videatur. Quam quidem ſi ſequamur nunc interpretationem, non erit admodum difficile, & quæ ſequuntur interpretari, ac quo pacto & ipſa ſuperioribus cohæreant, videre.

Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi.

Ac ſi diceret, & tunc dilectus meus me Myrrhæ odore afficit. Vel, vt ſponſi ſolent, faſciculo Myrrhæ donauit, dono pretioſo; quod vtique vſque mecum ſemper erit, & inter vbera mea commorabitur. Vel, ipſe mihi faſciculi Myrrhæ loco fuit, quem recolens eadem æſtimatione ſemper recordabor. Ad quæ intelligenda, Sciendum, & conuiuas coronatos olere ſolitos myrrham, idque Hebræos, & alios. Tum, mulieres Hebræas à collo ad vbera geſtare ſolitas quædam pendula vaſcula pretioſa, hebraicè domus pectoris, nobis olfactoria, plena guttis, ſeu lachrymis melioris myrrhæ, quod cordis imbecillitati multum prodeſſe crederentur. Vnde rectè LXX. alligamentum, vel colligatio guttæ. Hebræi Theror, Colligationem, ſeu crumenam, ſeu inuolucrum. Ac de hoc Myrrhæ faſciculo ſponſæ ſermo eſt, quod dicit inter vbera ſua monumentum, ac pignus propriè, aut tranſlatè, commoraturum. Atque idem de ſequentibus ſenſus eſt, dum dicitur.

Mulieres Hebrææ ſolitæ à collo ad vbera geſtare cordi fomenta, & quomodo?

* Ibi in fabula, cuius ſemper meminiſſe oportet, tanquam quæ Baſſus cantui ſit, & ædificationi fundamentum. Ibi inquam in fabula, illa dum ſponſa loquitur de nardo, Ecce Sponſus accedit ſtatim, & oſculatur, quia nimirum hic in hiſtoria, dum hæc Virgo de humilitate commemorat, in vtero ipſius Verbum fit caro. Ex quo intueri licet humilitatis hanc fuiſſe victoriam, atque hanc in ſinum Virginis Vnicornis humilem deiectionem vtique humilitati deberi. Commouit Virginitas, proſequuta eſt obedientia, vicit humilitas. Nardi odor ſponſum ad oſculandam ſponſam allexit. Felix humilitas, cui tanta eſt reſeruata Victoria, quę tantum vincens potuit de humano genere promereri. Iam vero ibi vide quantum conſonent omnia: Oſculo ſupra modum ſponſa hilareſcit: Hic Virgo Incarnatione filij Dei, noua atque incredibili lętitiæ afficitur voluptate, tantamque haurit, quantã antea nunquam; enim vero ad diuinam eſſentiam intuendam, perfruendamque coram, quanquam ea qua dixi tranſeuntis ratione ſuſtollitur. Id quod & pietas docet, & ſuadent rationes, & argumenta

Incarnatio Verbi Dei humilitati in primis debetur.

menta probant ita factum; Nam si vllum aliud esse debuit tempus, in quo id doni, ac priuilegij parenti virtutum tribueretur, quæ quidem multa esse debuerunt; certè id vnum, quo verbum caro factum est, debuit in primis. Enimuero ministrante Virgine verbo Dei primitias carnis suæ, fas fuit eodem tempore, & Verbum Dei Virgini primitias spiritus sui ministraret; & dante illa, quo hoc nobiscum esset in terris, daret hoc, quo illa secum esset in cœlo. Sic dilectus esset illi, dum ipsa esset dilecto. Iam osculante naturam humanam sponso, danda Virgini arra fuit æterni thalami, & throni. Sed hoc argumenti alibi fusius tractauimus. Nunc maneat ita hoc, quòd terra [1] resplenduit à maiestate eius, & irradiante Sole [2] Clypeum aureum, Ciuitas nostra lucis illa tanta claritate refulsit. Sed sponsa exhilarata, fasciculum myrrhę sibi dilectum dicit, & facit, quia nimirum Virgo Maria ad verbum incarnatum in vtero suo conuersa, vni illi despondet omnia, cui per amorem inhæret; nam cum cæteræ res, simul omnes quicquã ipsi consolationem afferre nequirent, è desiderio salutis generis humani; vnum & attulit infinitam, & secum pariter bona omnia. Et quadrat ad significandum Verbum incarnatum fasciculus myrrhę, siue crumena; est enim crumena, siue fasciculus caro, myrrha vero ipsum verbũ. Sicut enim crumena myrrhæ integumentum est, vnde alij integumentum verterunt; ita & caro, Verbi est integumentum. Nam vt nos protegeret, se sub carne texit verbum, vnde Paullus ait, [3] Habitu inuentus, vt homo. Habitu autem homo se tegit. Et fortasse adhuc propterea domus dicitur humanitas, tabernaculum, aliaque. Fortasse & propterea esca, quòd sub ea fuerit, quæ diuinitas est, hamus contectus, quo [4] Leuiathan caperetur. Rursum sicut myrrha incorruptibilis quædam res est, corruptibilis vero crumena, siue integumentum; ita immortale Verbum, caro mortalis. Sicut vero myrrha communicat virtutem, & odorem suum crumenę, ita verbum humanitati suam, ac sicut non impedit crumena quo minus myrrha suos efflet foras odores; ita & non fuit humanitas impedimento quo minus diuinitas in nobis diuina, ac cœlestia operaretur; nos ad vitam muniens, reuocans ad immortalitatem, incorruptos reddens, plenos odore virtutum. Quin, & crumena myrrhæ, quò commodius se communicare posset, adiumento fuit, & decoro. Vnde non abs re sibi fasciculum myrrhæ dicit dilectum: sed vt sponsa illa addit, Inter vbera mea commorabitur, appensus, scilicet fascilus collo, imminens cordi; sic & Virgo addit eadem, quę his respondeat. Mihi semper amabitur, vel in vtero meo erit, vt est. Quod quidem non ideo dicit, quòd non sit, sed quòd cum sit, quòd sit valdè lętatur. Et vterum quidem vbera, sicut vbera vterum non est incongruum appellare, sed illud amantius. Mihi semper amantissimus erit, & carissimus semper, sicut ea, quę à collo inter Vbera à sponsis gestari solent. Sed quid est Virgini.

B. V. Si vllo vmquam tempore videre diuinam essentiam debuit, certè debuit tempore Incarnationis. Et cur?

[1] Ezech.

[2] Ex Mach.

Incarnatum Verbum rectè per fasciculum myrrhę. Et cur?

[3] Paul.

Caro integumentum diuinitatis. Caro, Esca.

[4] Iob.

Diuinitas Crumena.

Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

De Cypro, & Engaddi quęre ex alijs, facile inuenies. Atque hęc, si

ſponſa non dum ſponſum viderat; quòd ſi exceperat iam ſalutantem, & audierat murenulas pollicentem; reſpondentis ſunt hęc, & ad conuiuium de via feſſum, vt fit, inuitantis, atque accubitum. Ibi in accubitu dicit ſe coronandam, & vngendam nardo, vnguentariamque exhibendam. Dum eſſet Rex, dum ſcilicet ſponſus, & donec erit in accubitu, in conuiuio, nardus mea dedit, dabit odorem ſuum. Hęc dum ſponſa loquitur, accedit ſponſus, & ipſam oſculatur. Quo oſculo hilaris illa facta ſupra modum, quoniam in deliquio vino optimo imbuta à puellis fuerat, & appenſa à collo eius ad cor illa Myrrhę crumena, vt diximus; ſumpta horum occaſione, nunc verè ſe faſciculum Myrrhę accepiſſe ait, ſingulare cordi leuamen, ac medicamentum liqueſcenti, quin & ori Botrum Cypri, cùm dilectum vnũ omnia, aut omnia cum vno acceperit. Videtur idem dicere, ac [1] Venerunt mihi omnia bona pariter cum eo. Legas apud [2] Plautum à ſorore ſororem inuitatam in cubiculum. In lectum de via feſſam.

Eamus intrò, vt laues.

Nam vt è naui vecta es, credo timida es aliquantum ſoror. Et.

Sequere me igitur hàc intro in lectum, vt ſedes laſſitudinem.

legas apud [3] eumdem vini, atque vnguentorum ſimul factam mentionem, vt duorum optimorum ad mœrorem leuandum remediorũ.

I hac mecum intrò, vbi tibi ſit lepide victibus vino,

Atque vnguentis. Satis iam ſatis vos triſtes. &c.

Videas apud omnes ſuſceptam in aduentu carorum lætitiã; & operam oblatam, atque promiſſam. Briſeis modo ſecum eſſe patiatur, ſe ea facturam, quæ famulæ faciunt promittit Achylli. Reperias metaphoricè in bono nuntio declaratam lætitiam. Apud Plautum eumdẽ, interroganti, an veniſſet filius, cum diceretur, venit, Aſperſiſti; inquit, ille aquam.

Sed cum hic videatur proprius, magiſque germanus horum ſenſus: patiuntur tamen adhuc alium. Fortè puellæ auxiliariæ, nondum viſo ſponſo remedijs adhuc inſiſtebant languenti præ amore, etſi paullulum, ad vitæ munia reuocatæ. Et odoribus quidem nardi ad omnia, faſciculo myrrhe ad vbera, Botro Cypri, Cyprino ſcilicet vino in os. Hæc rurſum faſtidiens præ dilecto ſponſa, apertius reſpuit, rationabiliusque, aitque nihil his opus. Se vnguentariam puellam, conuiuijs ſuorum aſſiſtentem ſemper in odoribus degiſſe, & quamdiu Rex conuiuij eſſet domi ſuę, conuiuiumque perageretur, ſemper oluiſſe nardum. Quare nardum amouerent, nihil nardo fieri, nec myrrha ipſa inter vbera, & vino in os infuſo. Si iuuari cor ipſius vellent, facerent adeſſet ille. Ille, inquit, mihi faſciculus myrrhæ cordi, ori Cyprinum vinum. Portu, atque aura indigens [4] illa ad inimicorum fugiendas moleſtias, quas propulſare nequiret, ait.

Tu citius venias portus, & aura tuis.

Præclarè autem ſponſa dum perpetuo medicamenta reſpuit;

[5] Omnis enim humanos ſanat medicina dolores,

Solus amor morbi non amat artificem.

[1] *Sap.*
[2] *In Bacchid.*
[3] *Ibid. act. v.*
[4] *Penel. apud Ouid.*
[5] *Propert. l. 2.*

Quam-

Quamquam inhonestus, & is, qui vere amor non est, qui magis est hominibus: vt experta illa [b] ait maximo sui, maiore aliorum incommodo; pestis exitiabilis agnoscere medicinam deberet. Sed omnino ille prior melior, & mysticis accommodatior sensus.

Amor inhonestus sine remedio esse vult.

Amor inhonestus pestis.

* Suauissimus ori, vt vinum, id quod vt sponsa prudenter, & opportuni osculi occasione protulit, ita & prudentissimè Virgo occasione Incarnationis sumpta, quam osculum diximus. Vt vinum autem selectissimum, idest, caussa summæ lætitiæ.

[b] *Medea apud Eurip.*

Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra es. Oculi tui columbarum.

Manifesta se manifestò alloquentium verba. A pulcritudine Exordia; nihil enim magis sollicitæ sunt sponsę, quam si placeat earum pulcritudo. Iam quod sibi in sponsa complaceat, effert tanquam facē, aut vexillum verba sponsus. Ecce, inquit, tu pulcra es; Ingeminatq;. Eodemque quo cæperat artifitio ad singula, primumque ad oculos intendit amans, nuntios amoris, cordium specula, purosque fontes. Eadem exordia Acontij, & amoris, & laudum. Cum vniuersa quędam dixisset. Aut esses formosa minus. & rursum in vniuersum de facie.

Sponsæ maximè sollicitę, si placeat ipsarum pulcritudo.

Audaces facie cogimur esse tua.

Subdit, vt noster singula, [a] Tu facis oculique tui, quos Heros Heroicè laudat, quibus ignea cedunt sidera. Noster. Oculi tui Columbarum, vt decebat Pastorem. Sed quæ laus hæc oculorum? Quanta, quanta esse potest. Nigri columbæ oculi, apti, decentes presertim toto candente corpore; nitidi, perspicaces. Forte ad hac omnia, maximè verò ad perspicacitatem respexit sponsus hac laude, quòd modestè delitescens, & se ipse cupiens ante videri à sponsa acutè prospectāre, & antea visus sit. Ad hoc videtur & ille respexisse: [a] qui ait, O pulcrè inspiciens. Amice igitur sponsus perspicacitatem forte exprobatam voluit. Quàm perspicacibus oculis sponsa es, quæ me sic obuolutum, & aduersà inspicientem videris? Perspicax autem valde oculos columba, quæ superuolantem videat hostem, à quo fugiat.

[a] *Ou. in Acont.*

Oculorum laus quæ?

[a] *Theocr. Idyl. 3*

*Sponsus Sponsam osculatus in dramate illam laudare aggreditur, sumitque à pulcritudine exordia. In re, & historia, vbi verbum caro factum est, & [b] mulier circumdat iam virum, à laudatissimo, Deo, & viro Virginis laudes exaudiuntur. Exordio eodem à pulcritudine. Quòd si ibi vt ostendat decorè Sponsus sibi in Sponsa placere, pulcritudine allectum, pulcritudinem delectare. Hic eodem decoro, vt ostendat Christus Dominus sibi in Matre valdè placere, eiusque virtutibus allectum, nunc eadem maximè delectari. Absolutè ille loquitur, vt ostendat omnino, atque omni ex parte pulcram; & absolutè hic, vt significetur Virgo omni genere virtutum, omni ex parte exornata. Ingeminatque ipse laudem, vt maiorem aperiat in pulcritudine oblectationem. Iam vero amicam dicit matrem, vt omni alio titulo amicitiæ titulum pręclariorem significet, secundum quod dictum.

[b] *Ierem.*

Amicitiæ titulus apud Deum maximus.

ctum. Quinimmo Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Sed nunquid non antea amica, quia nunc amicam compellat? Sanè semper amica, sed nunc amicior, immo & nunc amicissima, ideoque nunc simpliciter amica. Et nunc quidem amicissima, ac quàm antea longè amicior; enim verò nunc maximè amor cum beneuolentia vtrinque est, cum & Virgo Deo carnem, & Deus Virgini se subministrat, facitque illa ex se Deum nobis visibilem, ideoque amabiliorem, Deus illam plenam ad redundantiam, & deriuationes gratiarum. Iam vero nunc maximè conuiuunt simul, cum ille in vtero huius degit, ex illa factus. Nam si per ipsam nobiscum [a] factus est Deus, quanto magis cum ipsa? Et nunc maximum habet amicitia fundamentum, cum seipsum Deus Virgini totum communicat. O verè amica vna, per quam ceteri in amicitiam Dei diuina sumus gratia erecti. O verè, & valde Amica, quę vel ex inimicissimis potest quemcumque hominum, in amicitię Dei delitias ipsas voluptatesque insinuare. O verè Amica vna, quę non solum nunquam, non dicam inimica, sed neque non amica fuit, verùm semper summam amicitiam coluit. Sibique omni tempore thesauros amicitiæ super omnes congregans, & diuitias, eò amicitiæ deuenit, vt singulare exstiterit in cœlo, & in terra, verę cum Deo amicitiæ exemplar, & lex. Sed expendamus amicè, quid amicus dicat Amicæ pro laude. & quando de pulchritudine sermo est, alliciatque aspectu pulchritudo, & sistat adhuc; & audito nomine pulchritudinis sisti nos patiamur.

B.V. Amica sponsi & quo pacto.

a Is.

Per amicam Mariam Dominam ceteri omnes amici effecti.

Pulchritudo allicit.

Ecce, inquit, tu pulchra es amica mea. Primum quidem de qua pulchritudine sermo est, ò sponse, ò Deus homo. Deinde quid secum habet hoc ecce? Denique, quid est hæc verborum dulcis ingeminatio, & grata, Ecce tu pulchra es, Ecce tu pulchra es? Sanè de omni est pulchritudine sermo, & quæ corporis, & quæ animi est; Enim verò illa corpore, & animo pulchra; nec non laudabilis, in ea corporis pulchritudo; quæ, & Deo, & Angelis amabile, iucundumq; spectaculum, & hominibus nitidissimum virtutum, & perfectionum speculum. Nam non solum, quod alijs accidit per defectum frequenter, spectatores sui ad leuitatem vnquam aliquam non allexit; quod esset maximum piaculum, vel cogitare de diuina pulchritudine cœlestis Virginis; verùm ad vnum omnes, à quibus, vel leuissimè spectata sit, ad amorem virtutis, & castitatis incendit. [3] Confessionem, & decorem induta & ipsa, vt in cœlo spectatorem beatorum corporum te degere spectantem putares. Ibi enim decor, & confessio diuinæ bonitatis; propter quod erimus ibi spectantes Beata corpora, beatarum puellarum, sicut Angeli Dei, ex aspectu harum in considerationem auctoris nosmetipsi erigentes. Rectè igitur [4] de Virgine nostra dicitur, quod fortitudo, & decor indumentum eius sunt; nam etsi pulcherrima extitit corpore, animis tamen fortitudinem auxit, non minuit. Sed de hoc alibi fusius. Iam nunc, quod erat alterum, Ecce, inquit, Sponsus, ac si diceret verè. Dubium non habet vllum, nisi dicere velimus, ac transferre. Nunc pulchra es. Nunc aucta

Pulchritudo B.V. spectatores ad virtutem incendit semper.

3 Psalm.

Beatorum pulchritudo ad confessionē Dei mouebit.

4 Prou.

filio

filio Deo ex te, virginitate incorrupta. Nunc: quod modo pollicitus fueram: murenulis collum decorata. Nunc pulchra es. Id, quod, vt dicitur sanè est; nam ante aduentum quidem filij Dei in vterum ipsius, prædestinata ad tantum decus, atque electa Domina, insuper ad hoc gratijs plena, ad hoc virtutibus ad cumulum, atque ad aceruum disposita, si non hominibus, & Angelis, id ignorantibus; certè oculis Dei, & prophetarum videri potuit, si non deformis, non pulchra, vt digitus sponsæ sine annulo, collum sine murenulis, Domus sine Domino, Templum sine numinis signo, aut imagine. Nunc autem non ita, nunc domus Dei effecta, nunc dicata in templum summo numini, nunc oblata in annulum gemmæ, nunc denique eo, qui [5] in forma Dei est, per diuinum benefitium, cui erat deputata antea, quadam ratione informata. Ex quo apparet, quàm aptè hæc prima inseruntur verba à Verbo Dei post Incarnationem; nam sicut artifices, vbi ornamenta, operi summa, atque exstrema posuerunt, mirantes, admirantesque, id primum proferunt, quo indicent sibi in eo tunc maximè placere, cum iam est perfectum; ita & hac in re filius Dei absoluto iam opere, atque Virgine perfectè exornata, id habuit, quod laudaret in ea primum, quo absolutio eius, perfectioque significaretur, quodque ex artifitij successu, quam cepisset lætitiæ voluptatem aperiret. Ex quo fieri adhuc potest, quod tertium erat caput. Vnde ingeminatio illa verborum sit; si quidem est à voluptate animi, lætitiaque exsultantis successu, vt dixi, operis, & sese, vt fit, in laudem propterea totum profundentis. Ecce tu pulchra es. Ecce tu pulchra es. Nunc verè pulchra es. Et verè: si licet gratulari Verbo Dei: Nunc verè pulchra es, ò Maria, si filia ditante Patre, si amica amico præsente, & amante te, si sponsa sponso deosculante. Rursùm si domus conuiuante Domino; si Theatrum actum agente suo illo Roscio, illo auctore cœlesti, ac diuino; si templum, numine, & præsente, & fauente. Age si cœlum mouente immobiliter simul, & te animante intelligentiarum Principe. Si Stella, aut Luna Sole te collustrante, & suis complente radijs; si Empyreum (quod vnum te aliqua ex parte referre posse, iactare sibi summæ gloriæ, loco potest) ipso se Deo alijs ad immortalitatem manifestante. Vnde meritò tibi hi tituli, ex nunc currere incipiunt, atque hæ honorum appellationes, & dignitatum. Nunc verè pulchra es, ò [6] Paradisus cum tuo Adamo, [7] Arca cum tuo Noè, [8] Tabernaculum cum tuo Abraham, [9] Mons cum tuo Moyse. Nunc verè Mater, & Virgo Magna, & humilis, pulchra, & intacta. Nunc non solum ipsa miraculum effecta Orbis terrarum, & vniuersitatis prodigium in admirationem, & stuporem cunctorum, & Angelorum, & hominum, in omnes æternitates; verùm, & portentorum, & miraculorum, maximorum à Deo, & sedes, & domicilium, & Templum, & quidem firmissima sedes, magnificentissimum domicilium, Augustissimum, & Religiosissimum Templum. Vnde agnosco cur Angelus ante decus te alloquatur, multaque ferat, & congerat, post ingressum

B. V. tunc perfectissima, cum Verbum in ea caro factum.

5 *Paul.*

B.V. vbi in ipsa Verbum caro factum, omnibus omnia facta. Et quæ?

6 *Gen.*

7 *Gen.*

8 *Gen.*

9 *Exod.*

gressum in te numen sileat; stupet diu defixus, secum nouam, & insolitam faciem pulchritudinis, & admiratur. Nec & ipse habet [10] spiritum amplius quo loquatur, domum tuam egregiè compositam cernens Salomonis. Quòd si tandem functus legatione ad propria reuolat, curiam adhuc illam stupore adit plenus, & admiratione. Vnde coactus tandem, quod viderit, quidve senserit enarrare, ea proloquitur, quæ audientes ipsos, & admiratione defigant, & videndi incendant cupiditate. Sed ad hanc ego tuam, tàm eximiam, insignemque pulchritudinem, vt reuertar Virgo, quæ me consideratione retinet, defigit amore. Nunc verè pulchra es, ò pulcherrima inter mulieres, cum te verus ille auctor pulchritudinis, pulchritudine omni refarcit, & complet. Nunc verè ò leuissima propter vitæ innocentiam, [11] nubecula ad superna erecta, atque eleuata, pulchra es, cum non modò radijs suis, sed seipso te verus ille [12] Pater luminum, & lustrator irradiat. Nunc verè, ò [13] aquæductus pulcher, cum in te in deriuationes, & paradisos, totus se fons æternitatis concludit. Ecce in te reponit eum pater, [14] in quo sunt omnes sapientiæ, & scientiæ thesauri. Ecce igitur tu pulchra es. Ecce sese in te colligit mare ipsum gratiarum, & coadunat; tibi se deuouet, ex tuo assumit, per te pertransit [15] vena vitæ. Ecce igitur tu pulchra es. Oculi tui Columbarum. Possumus oculos ipsos Virginis hic intellectos intelligere, & laudatos laudare, ac sic deinceps vbi de membris corporis inciderit mentio, membra ipsa; enim verò singulæ partes illius corporis natura, ac Deo summis artificibus, summa arte constructæ, digna sunt, quæ diuinis Encomijs celebrentur. Hos si intellexerimus columbarum fuisse, intelligemus ex eo, quia pulcherrimi, & aptissimi. Sed ad inuisibilia nos transferentes possumus per oculos, quos poëticè interdum luces, ac lumina dicimus, duplicia, & lumen, & lucem intelligere, naturale, supernaturale, quibus intelligentia Virginis ad propriam nostramque perfectionem collustrata est. Possumus & per columbas, beatas illas mentes accipere puritate candidas, amore feruentes, veri amoris exemplar, ac symbolum, quorum oculi semper [16] vident faciem Patris. Sensus igitur esse poterit. Oculi tui Columbarum, luces tuæ, siue lumina tua, aut mens, & intelligentia collustratæ sicut Angelorum; vel vno verbo, lumen tuum, lumen Angelorum. Et fortasse propterea Columbarum dicit plurali numero, vt omnes Angelos significet, insinuetque omnium gratiam, ac lumen in vnam collectum, [17] omniumque diuitias vni ad negotiationē, & augmentum collatas. Et quadrant veritati omnia; Enim vero à natura, ita illa prodijt instructa, vt ad Angelos in corpore proximè accedere videretur, appareretq; inter Angelos quidem homo, inter homines Angelus. Neque Salomon, neque Adam ipse, neque aliquis alius, ita præstitit ingenio à natura, iudicioque, quin vni omnes non cederent. Videtur in vnum exemplar, & in Ideam vna in lucem edita, effœtam conquieuisse naturam. Iam verò supernaturalis luminis à principio tantum hausit, quantum non antea,

simul

Angelus vbi Verbum caro factum in Maria, cur siluit discedens.

[10] *Ex Reg.*

[11] *Reg.*

[12] *Iacob.*

[13] *Sap.*

[14] *Paul.*

[15] *Sap.*

B.V. corporis partes, quæcumque, dignissimæ diuinis Encomijs.

Angeli rectè per columbas significati.

[16] *Euang.*

Oculi B.V. cur columbarum dicti.

[17] *Prou.*

B.V. inter Angelos homo, inter homines Angelus quoad pulchritudinem corporis, & naturalia.

Natura effœta B.V. effœta conquieuit.

simul omnes Angeli, propter quod in vertice [18] montium mons est, cuius [19] fundamenta in montibus sanctis. De his autem alibi fusius. Sed quoniam Angeli semper vident [20] faciem patris, candideque illæ columbæ, ac simplices, & æterno amori dicatæ, semper in diuinitatem defixum tenent obtutum; Virgo autem, vt [21] quidam aiunt, quotidie diuinæ Trinitatis intuitu pertransiens perfruebatur (quamquam hoc cum Verbum Incarnatum est, momento, ac die copiosius, & melius fortasse) in hoc laus est comparationis, quòd oculi ipsius, oculi Angelorum dicuntur. Et sunt oculi visio, intuitus. Qua quidem in re, siue quo in munere perspicaces sunt Angelorum oculi, nitidi, penetrantes, sese aspectu in fluenta illa æterna immergentes, & omnia perspicientes. Sed cum sponso in dramate optima sint à facie, & oculis laudum exordia; sunt in re ipsa Domino ab anima, & ab intelligentiæ lumine, optima animæ potentia. Hæc cum Dominus protulerit laudans, videamus, quid Domina ipsa ferat.

[18] *Psalm.*
[19] *Psalm.*
[20] *Eu.*
[21] *Serm. de Assumpt.*
Oculi visio intuitus.

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus.

Lætior & sponso, & sponsi lætitia sponsa, quòd sibi ille placeret, futuraque esset & beneuolens cum beneuolente, & placens cum placente, eadem retorquens ostendit legibus Amebœi carminis. Immò tu (sic alij, ecce) pulcher es, additque, & decorus. LXX. & quidem es speciosus, iucundus. Hebræum (Naim) multa complectitur. Concinnum, suauem, dulcem, venustum. Ad rem nostram omnia. Sic per litteras laudata, quod pulchra esset incendium, & malum Troiæ, respondit per litteras amans, at iure erubescens amare.

[1] Est quoque (confiteor) facies tibi rara.

Ex ingenio autem vtriusque amantis laudare. Inuenias vulgò. Et pulcherrimè rerum. Et omnes inter pulcherrima; Atque alia. Amicè autem vterque, vt [2] ille ait, faciunt, dum se laudant.

Lectulus noster floridus. Hebræum. Quin etiam lectulus noster florens. Fauet dicentibus non solum sponsam laudatam sua ipsius sponso verba resignasse, addidisseque insuper sibi decorum videri; verùm & præsentia illius ex affectu, sensisse sibi omnia cohonestata. Et floridum lectulum, & olentia laquearia, & in splendorem, [3] vt ille ait, datas ædes, atque adeò omnia. Congrua, & quæ dicere, ac sentire deceant amantes, quibus rem omnem, vt absentes amati, & [4] parata imparatam, ita contra ex imparata paratam faciunt. Vnde cum ille dixisset. [5] Omnia nunc rident. Addit statim: At si.

Montibus his abeat, videas & flumina sicca.

Contra cum dixisset, Aret ager, & sitit herba. Addit.

Phyllidis aduentu nostræ nemus omne virebit.

A [6] Theocrito. Penitus ver, penitus autem pascua, penitus autem lacte vbera implent, & noua nutriuntur, si aduenit. Scilicet diligentibus soles dilecti, lux oculi. Sed septuaginta habent. Ad cubile nostrum

[1] *Ouid. in Parid & Hel.*
Amici se inuicem laudant.
[2] *Plaut. in Mostell. act. 2. sc. 3.* amicè facis, dū me laudas.
[3] *Plaut. in Asi.*
[4] *Plaut. verba in capt.*
[5] *Virgil. Aecl. vi.*
[6] *Idyll. 4.*

nostrum vmbrosus. Propter quæ alij, Opacum. Alij, Acclinatio nostra vmbrosa. Fauent opinantibus sponsum à sponsa cubitum inuitatum. Quamquam incertum ad rem conuiuij, an amoris; nam ad vtrumque cubilia sterni mos floribus, herbisque redolentibus. Apud Plautum 7 ad conuiuium, Sternite lectos, incendite odores. Iam verò si ad illud modestius, si ad hoc amantius, nec tamen non decenter. Sed dices. Quid est vmbrosus? quid opacum? Videtur sensus: Ad cubile nostrum scilicet venias vmbrosus futurus. Crediderim sterni solitos lectos non floribus solum; verùm, quibus abundat, & delectatur rusticitas, arborum, herbarumque frequentibus folijs superintexi, & circumuelari in conuiuijs, & in sponsalibus insuper, & in vmbrosis locis, præsertim verò pastoribus, atque hoc etiam est acclinatio nostra. Reperio quemdam gentilium Poëtarum sic in amoribus locutum.

Cubilia cur sterni solita, floribus herbisque.

7 In Menæ.

8 Mollierant animos lectus, & vmbra meos.

8 1. Amor. Eleg. vij. ad Attic.

Sapienter autem noster, qui ita vertit, vt omnem complexus sit sensum, & quòd aduentu amici 9 totæ consulserint amicæ ædes; & quòd ad lectum inuitarit, siue conuiuio, siue coniugio exceptura, idque cum odoribus, & munditia, quæ vt 10 ille ait, Illecebra est animo amantium. Vnde ad illecebram dictum, 11 Asperfi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo.

9 Plaut. in Amphit. totæ ædes consulgebant tuæ.

10 Plaut. in Menæ.

11 Prou. 7.

* Eadem retorquet, & resignat, vt alij, vt autem alij melius, maiora; agnoscit enim caput, ac fontem. Immò tu pulcher es. Videtur hic Virginis sensus, altè, ac verè philosophantis. Si ego tuo iuditio pulchra, præclarissimo vtique, ac singulari iuditio; quid nam igitur tu, qui huius auctor es, & artifex pulchritudinis? Videtur adhuc idem dicere, quod communiter laudantibus nos retorquemus, quodque de bonitate Dei dicitur, quod idem de omnibus dici potest perfectionibus. Quodque de sanctitate, nunc ipsi eidem Domino canit 1 Ecclesia. Tu solus pulcher, vt solus bonus, & sanctus; nam hæc ipsa, quam tu mihi prædicas, pulchritudo tua est; quanta, quanta est. Et admirabilem continet sapientiam, præterquam quòd modestiam, quòd amica compellata respondet quidem amicè, & amicum dilectum compellat, non se tanto illo honore, & nomine dignans. Sed quod de pulchritudine dicit, quam omnem tribuit ipsi, sapientissimè dicit, dum agnoscit 2 Verbum continens omnia, & per quod 3 omnia facta sunt; præsertim verò illius ipsius pulchritudinis auctorem, ac caput. Enim verò à Domino factum est istud, vt Virgo conciperet, redundaretque tot gratijs, 4 quod est mirabile in oculis nostris: Nam sicut solis præsentiæ tribuenda lux omnis, dum præsens est, ita omnis Mariæ gratia, Verbo, in vtero eius degenti. A Verbi 5 maiestate resplenduit. A Verbo repleta est. In 6 Verbo exsultauit Spiritus repletæ. Sed quid est, quòd eadem resignans verba addit, Et decorus? Sanè ad humanitatem respicit, alluditque ad 7 Psalmi verba. Decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Humanitas decor est, quæ tanto magis pro-

Pulchritudo Filij Dei maior, quam Virginis.

1 Ecclesia.

2 Psalm.

3 Io.

4 Ex Psalm.

5 Ezech.

6 Luc.

7 Psal.

Humanitas Christi Domini decor dicta, & cur?

promeretur hoc tituli, quanto in se indigna videtur oculis conside-rantium, quæ diuinitati sit vnita. Quare nè caderet eius dignitas opinione hominum, sic fuit extollenda, & decoris nomine insignienda. Et decuit Verbum carnem assumere, & decentissimè assumpsit ex muliere Hebręa, Virgine gratiarum plena; & seipsum illi totum communicauit; totumque decus suum; vnde meritò decus, aut decor dicta. Nam sicut nubecula tota solis luce radijsque perfusa, meritò Sol dicitur; ita, & humanitas Christi Domini, in qua diuinitatis, quę decor est, [a] plenitudo corporaliter habitat, meritò decus, & decor. At humanitas sunt arma; vnde illud, Accingere gladio tuo super femur tuum? At & decorant arma; vnde subditur, Specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede & regna. Hinc igitur illud additum, & decorus, quia pulchritudini suæ Deus, & decorum quadam ratione addiderat, nimirum diuinitati humanitatem; in quorum adhuc pulchritudinis, & decori coniunctione altissima Theologia continetur. Enim verò cum pulcherrimus in seipse Deus esset; hæc autem pulchritudo, non sui, sed nostro defectu non decora nobis esset, quòd nos in illam intueri per magnitudinem lucis non possemus, per humanitatem nobis decora facta est, quam scilicet modo nostro per humanitatem, nimirum per visibilia inuisibilem prospicere, ac frui datum est. Quòd si decorum, Iucundum transferre voluerimus, vt alijs placere diximus, si speciosum, & concinnum, si suauem, hæc omnia in humanitatem quadrabunt. Enim verò Deus homo gratus à diuinitate, ab humanitate iucundus, præsertim puer; quem in vtero pulchrè prospiciens puerum virum Virgo intuebatur; ab humanitate, & ea ætate, speciosus forma præ filijs hominum suauis, atque concinnus. Sed num hic sistit Virgo? Addit, Quin etiam lectulus noster florens, vt Hebræos habere diximus. Ad hęc.

[a] Paul. Humanitas Christi Domini, Decor dicta.

Pulchritudo Dei nobis per humanitatem decora.

B.V. puerum in vtero suo pulchrè prospiciebat. Christus Dominus ex vtero Virginis speciosus præ filijs

Tigna Domorum Nostrarum Cedrina, Laquearia Nostra Cypressina.

Odorata omnia, solido odore. Contigua laudi cubilis laus domus. Et si quidem ad conuiuium, plena. Artifitiosa, si ad amorem. Quasi enim eruperit vox, & septa dentium sit egressa inuitando ad cubile, contenta, quòd significando sibi satisfecerit, iam reuocare nequiens, aliò sermonem, cogitationemque diuertit, vt candidè locuta videri possit. Sed dices: Lectus Amphitrionis in [a] Idyllijs cedrinus; an igitur tigna pastoralis domus cedrina, & è cypresso laquearia? Fortè hyperbolica locutione, pastoribus cedrina omnia, & cypressina, quę laudata volunt. Aut Hebręis propter copiam, ea, aut ea sponsæ ab amore, vt diximus, lætitiaque.

[a] Idyll. 3.

Hebræis Cedri, & Cypressi copia.

Quibus prosequens semel ceptam domus translationem, totam se describit filij cohonestatam, & collustratam præsentia. Et per lectulum quidem si referre ad corpus velimus omnia, ventrem commodè intelligit, in quo scilicet tamquam in lectulo sponsus requieuit, per

Venter B. V. lectus, & cur?

Corpus B. V. Ligna Cedrina. Caput B. V. Laquearia Cypressina, & cur?

per tigna verò partes, ossa, neruos, quibus scilicet corpus sustentatur; per laquearia verò quæ summa est pars, & suprema, Caput. Et florentem dicit lectum, tigna incorruptibilia, laquearia apta, & odorata, vt significet Verbi ęterni pręsentia, & ventrem fœcundum redditum, & corpus reliquum confortatum, & caput, faciemque collustratam visibiliter inuisibili lucè in stuporem, & admirationem cernentium. Vt sit sensus. Quin tu me aduenicns totam aspectu præsentiaque tua cohonestasti. Et ventrem quidem meum, vt lectulum floridum reddens, ossa, neruosque, ac reliquum corpus solidum, firmum caput, faciem odoratam, pulchram. Quę quidem omnia, vt describuntur, sunt gesta. Enim verò qui [1] habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem adueniens in vterum Virginis, atque illi succedens, fœcundum reddidit statim, vt quis esset, qui aduenisset, benè, ac plenè significarit; nimirum, quòd maritus diuinus imber, [2] germinare faciens terram. Germinans germinauit sicut lilium statim, & exsultauit lætabunda, ac laudans. [3] Flos de radice eius ascendit, & Nazarenus eius candidus, & rubicundus in ea. Vnde suo iure ait, Lectulus noster floridus, quia nimirum ipsa in ęternum floruit ante Dominum. Iam verò & adueniens idem, solidius, & incorruptibilius reddidit corpus eiusdem, secundum quod dicitur, quòd [4] confortauit seras portarum eius: tantum scilicet abfuit, vt aliquid de Virginitate eius minuerit. Quam quidem sensit ipsa Virgo confortationē, & in ea exsultauit in salutari. In quo plenè adhuc quis esset, qui aduenisset, & adesset, ostendit, quòd nimirum is, qui ita accipere dignatur ex nostro, vt conferat maiora, ac digniora de suo, cuiusque seruare est secundum nominis proprietatem, prospicere, addere, nihil minuere. Denique, & adueniens faciem eius immutauit, vt Sol Lunam. Secundum illud, Et terra [5] splendebat à maiestate eius. Nam si illi apud [6] Poëtam fictè non vultus, non color vnus remanet, quid est de Virgine putandum, aduentu summi Dei, magni Dei? ac si cor hominis immutat [7] faciem eius, vt dicitur in sacris, quid est, quòd Virginis faciem eius cor filius in vtero, non immutauit? Equidem à plenitudine gratiarum, etsi ante mysterium rear Virginis faciem plenam maiestate, ac decore præ filiabus; Sanè post, is sum, qui à Verbi pręsentia rear longè alteram, & longè nobiliore lumine collustratam; vt & si nesciens, quòd nam mysterium, aliquod tamen in ea factum diuinum, ac supernaturale certò augurareris. Quò & si Elisabeth diuino afflata spiritu, quid nam in ea esset gestum certò sciuit: Vnde illa exclamatio; vnde hoc mihi, &c. Nullo adhuc afflata, aliquid gestum, fuisset certò augurata à facie, si vidisset, quę laterna est interni luminis, & perlucidi Solis perlucidum vitrum. Hæc si ad corpus referamus. Iam verò si ad animum (quando res magnę in corpore gestę, in animo, & gestę, & maiores adhuc sunt.)

Virginitas Dominæ, Aduentu summi Dei aucta.

Virg. facies Aduentu summi Dei immutata, vnde à facie cognita Elisabeth, quòd in ea aliquod diuinum gestum.

[1] *Psalm.* [2] *Is.* [3] *Is.* [4] *Psalm.* [5] *Ezech.* [6] *Virg.* [7] *Sap.*

Per lectum cor intelligit, amoremque, siue voluntatem, in qua scilicet requiescit Deus; propter quòd ad quietem sibi poscit. Fili prębe

præbe mihi cor tuum. Atque hoc est, Ad eum [8] veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et respondet cor ventri; vnde cor venter animæ sepè in sacris dicitur: Vnde illa, [9] Ventrem meum, ventrem meum doleo. &, Amaricatus est venter meus. Sed, & per Tigna virtutes animæ ceteras, potentiasque, quæ quodammodo, ac quadam ratione compaginant hominem, fulciuntque. Iam verò per laquearia, quæ summa pars est, intelligentiam, ac mentem. Et respondent potentiæ, ac virtutes animę corporis ossibus, neruis; caputque, ac facies intelligentiæ, cuius propterea sedes sunt; vnde reperias potentias, ac virtutes, ossa, neruosque dicta; & intelligentiam, seu mentem, caput: quæ longius faceremus, si probare vellemus. His igitur omnibus, quoniam se sentit Virgo collustrata, ac cohonestata Domini præsente numine, rectè ait. Quin lectulus noster floridus, aliaque. ac si diceret: quin, & cor mihi floret, ac vernat aduentu tuo. Potentiæ verò ac virtutes reliquę mihi solidantur, ac confirmantur magis, magisque. Intelligentia verò ipsa fit, & ad contemplationem diuinorum promptior, & ad aspectum contemplantium aptior. Vno verbo, tota anima mea mihi melior reddita est. Sanè, & hæc vt hic enarrantur sunt gesta; Enim verò & voluntas Virgini floruit Deo præsente, nimirum Caritatis floribus, delitijsque aucta est, & potentiæ, ac virtutes solidatæ magis, quod est maiorem vim, atque efficaciam ad amandam bonitatem receperunt, & mens se maior apparuit, diuiniorque. Vnde nunc [10] mulierem fortem, accipimus: & non quidem antea imbecillem; sed nunc fortissima fortiorem, ac nunc quidem tota luce totam refulgentem, non quidem antea tenebricosam, aut in tenebris, sed nunc lucis æmulam, & seipsa splendidiorem. Quæ quidem illi omnia ab hoc vno Verbi Dei Incarnatione in ipsa profluxere bona; vnde ait, [11] Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. [12] Vnde meritò adducentur Regi Virgines post eam. Sed hæc si Hebræos sequamur sic vertentes. Quin lectulus noster floribus, &c. Ceterum si cum LXX. ad cubile nostrum vmbrosus legamus, vel cum alijs acclinatio nostra vmbrosa, interpretemurque, vt inuitatio sit ad lectum, siue acclinationem, hic commodus erit sensus Virginis verbis, vt ad manifestationem, & copiam sui in ęternum per lumen gloriæ, vel permanentis, vel transeuntis, post aliquot tamen spatia videatur Virgo filium Dei inuitare. Et quadrat, responderque fabulæ. Sicut enim in fabula sponsa ex osculo exarsit in coniugium vehementer, ita ex Incarnatione Verbi Virgo in æternam beatitatem, & manifestissimam illam patriæ visionem, cui se proximam iam intelligebat, vt diximus in superioribus, & quam sibi deberi; Enim verò vt coniugij osculum, ita Incarnatio Virgini arra fuit, ac certum pignus beatitatis, cuius quidem in osculo illo, nimirum carnis assumptione ex ipsa in Deum siti se sensit accensam. Vnde sicut sponsæ, ante aduentum, sponsi, nihil nisi osculum optat. Osculetur me osculo oris sui: Post osculum non ita, sed quod est postremum, rem ac coniunctionem; ita & Virgo ante quam quidem

[8] *Eu.*

[9] *Ierem.*

B. V. aduentu Dei in ipsam seipsa maior.

[10] *Prou.*

[11] *Psalm.*

[12] *Psal.*

Incarnatio B. V. arra beatitudinis, vt osculum solet esse coniugii.

B.V. aduẽtum Dei Incarnationem, post beatitudinẽ ardentissimè optauit.

Verbum Dei fieret caro, nihil aliud optare visa est, atque exaudita inclamare, nisi Incarnationem; post ipsam nihil aliud, nisi quod extremum esset, ac summum bonum, manifestam Dei Opt. visionem. Ad hanc igitur inuitat Verbum sibi aperiendam. Quoniam autem ad hanc necessaria dispositio animæ est, & aptitudo, se aptam dispositamque sub domus translatione describit. Lectulus noster floridus, ceteraque, in quibus aduertendum est, quod in primis lectuli meminit, quem voluntatem esse diximus, vt in voluntate præcipuè esse beatitudinem innuatur. Sed dices. An non igitur intelligebat Virgo, quæ essent à Christo Domino in vita peragenda mysteria, ac ratione vocationis suæ, in quo esset filium adiutura ad salutem humanis generis, aliaque? Sanè probè intelligebat, & fortasse rationem vitę suę, ac filij cursum, quem futurum esset, vt teneret, tenebat. Sed cupiditatis ardorem semel conceptum præsertim ęternorum collium, & semper virentium camporum; quis valeat continere? Non igitur, quia illa nescit, hæc cupit, sed multo magis, quia scit, nouitque, hunc tandem terminum, atque huc vt deueniatur, exardet. Rursum dices. Ad acclinationem Sponsum inuitatum in drammate? Sanè si ad acclinationem in drammate; videtur Virgo ad permanendum diutius in vtero ipso suo, quàm moris sit, & habitandum cum ipsa, simulque ad manifestandum seipsum, visione illa transeunte, ac diuturniore, Verbum inuitare. Ac si dicat: Bonum te mecum hic esse. En quid impedit, cur aut hic diutius non immoreris? conuiuium cum humana natura diutius celebraturus in vtero hoc? aut cur me in tui visione diutius non moreris? Lectulus noster floridus est, Virgo venter, tigna domus cedrina, incorrupta cetera, laquearia cypressina, Caput, ac facies pulchra. Rursum voluntas amans, potentiæ, ac virtutes solidæ, atque integrę, intelligentia erecta, atque apta dulcedini oneris, ac pulchritudini. Quæ quidem, etsi suprema ornamenta Regiarum Domorum sunt; sunt adhuc & nostrarum; nimirum, etsi Angelorum, ac supremorum Spirituum, habitantium in cœlis, sunt adhuc & nostræ tuo benefitio in terris. Hæc Virgo, quibus Dominus breuiter.

B. V. orabat, vt diutius secum in vtero filius degeret.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Ego flos campi, & lilium conuallium.

ALij per florem campi rosam, alij lilium, alij generaliter florem, alij rursum rosam alia ratione, quia florum flos. Hebræum Hascaron. Sunt qui non campi, sed vbertatis, seu saturitatis explicent, quòd flos campi cœli imbribus irrigetur. Eadem ratione. Per lilium conuallium, alij lilium conuallium vulgò, alij rosam, alij lilium ipsum. Plurimum ad mystica. Parum hìc ad contextum, qui hic esse videtur. Inuitatus in penetralium delitias sponsus ambiguis decorè; ita respondet ambiguè, vt commodè ad vtrumque deriuare possis responsum; nam dicenti sibi videri floridum lectum aspectu dilecti, respondet, posse quidem videri floridum, at non optimo flore. Vulgari flore campi, conuallium contempto lilio. Rursum inuitanti ad lectum, vmbrasque respondet, se, vt alijs [1] aliæ res arridentque, placentque campo, atque agro delectari, obduratum labori, ac cœlo, vt flos videretur campi, liliumque. Quod summa dexteritate; & amicam, dum se rustica simplicitate, non accepisse quid tulerint verba significat; irritat; & de moribus suis insinuat, vel ab initio, quamq; secum illa vitę rationem habitura sit, delineat. Quod faciendum coniugij initio dicemus eo libello, quem de eruditione coniugum inscribemus. Declaranda enim vxoribus initio, cui obsequentem se prębeat, voluntas viris, significandi mores, & pręscribenda vitę ratio, vt quà sit eundum videant, quà ingrediendum, non à limine ipso incipiant aberrare.

Lilium conuallii quid?

[1] Verba ex Ho. Odyss. Z.

Coniugibus initio à viris pręscribenda vitæ ratio digna.

* Respondet, quę sic cohęrent. Si sponsi sunt sese abijcientis, & florem quidem, at non quo ædes sponsę cohonestari potuerint, dicentis, sanè humiliantis, sese filij Dei sunt, & ornamentum quidem; at non id, quo Virgo tantum cohonestari potuerit, atque in splendorem dari asserentis. Id, quod vtique ad humanitatem referendum est; enim verò quà homo ille abijcere sese, ac prosternere, & potuit, & in conspectu diuinitatis debuit; vnde alibi: Ego sum vermis, inquit, & non homo. Ac sensus verborum est: [1] Ego homo quidem sum, vt quicumque alius homo, vulgaris flos, vulgare lilium. Quod quidem non ideo dicit, quòd reuera singularis non sit homo, singulari ratione conceptus, & sine peccato plenus diuinitate, sed vt se veram naturam humanam ex Adam, veramque carnem, mortalem, corruptibilem, obnoxiam laboribus, assumpsisse significet. Nihilq; se ab alijs hac in re differre, vt alij hominem. Quæ quidem omnia hac in re, ita vt dicuntur hac ex parte sunt vera; enim verò ille homo factus est, vt nos, passibilis, mortalis, ac caro, vt nostra mortalitati subiecta. Vnde rectè illi confitemur. [2] Frater & caro nostra fieri dignatus es. At dices: Virginis filius homo fuit de Spiritu sancto Deus

Christus Dominus flos campi, & quomodo?

[1] Psalm.

Christus Dominus verus homo, vt nos.

[2] Eccl. Orat.

homo? Habet id humilitas ad humiliationem sui, vt bona, & quę specimen glorię habere possunt, abscondat; proferat, quę ignominiam: sicut contra superbia, vt mala abscondat, bona producat, quę cum bona, vt frequenter, non sint; aut fingit, aut simulat. Sic & 3 Dauid Rex summus, summi populi, summa potestate, cum se humiliat facit, qui pastorem, & humili loco natum se dicit. Contra, 4 Pharisęus, qui propterea non iustificatus, immò & condemnatus reuertitur. His Dominus sic se abijciens, Virginem ad veri fontis agnitionem, & nos pręcipuè in Virgine deducit diuinitatis; nam cum se totam Virgo collustratam ipsius aspectu diceret, & condecoratam, id vtique non ab humanitate illi prouenisse, sed aliunde; nimirum, à diuinitate docet. Nam qua ratione se vulgarem florem, & contemptibilem, qua decorari tanta Virgo nequeat ostendit? Id, quod sanè & ipsum veritatem habet; à diuinitate enim splendor, non ab humanitate pracipuè: Vt à Sole, non à nube lux, quamtumuis solem reflectente. Atque ab igne non à ferro calor, quantumuis ignem euomente. Diuinitas Caput, diuinitas Cor, diuinitas mel, diuinitas vinum. Vnde non immeritò cum pręmisisset 5 Ioannes, Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, subdidit deinde: Plenum gratiæ, & veritatis. Hęc si sponsi sunt illa se abijcientis ad laudem. Iam verò si respondentis sunt, inuitati ad vmbram, atque otium, & se campo delectari asserentis; sanè & Virgini sic respondentis, erunt filij Dei; vt intelligamus per hęc voluisse partes offitij sui innuere, & vitę instituta, rationesque insinuare; nam cum per amoris magnitudinem offitiosam, vt in vtero suo diutius esset Virgo inuitaret, siue vt se ipsi diuturnius manifestaret, ac verò etiam si placeret, in ęternum. Sapientissimè monet, se non ad id venisse in hunc mundum, vt sub vmbra esset, nimirum in delitijs, ac voluptatibus, magis autē vt sub diù degeret, ac sub rore in campis; nimirum, vt quà passibilis esset pateretur, expositus ijs omnibus iniurijs, ac passionibus, quibus in campis flores, & in conuallibus lilia sunt exposita. Ad quod vtique vitę genus, & ipsam si velit, atque amet, inuitat. Id, quod vt dixit, in toto vitę cursu pręstitit, in quo omni se florem campi, & conuallium lilium exhibuit. O verè florem campi, in natiuitate quidem sub diu, summa hyeme, frigoribus expositum in Bethleem; in circuncisione verò decimatum, in fuga Ægypti inuisum, in tentatione Sole vstum, in ieiunio decoctum, in Cruce aratro perfundatum, atque contusum. O verè lilium conuallium, in natiuitate quidem neglectum, in circumcisione despectum, in fuga reiectum, in tentatione, in morte euulsum, & de terræ facie, vt 6 Propheta ait, erasum. Habes igitur Virgo sponsi huius tui mores, tibi multò ante descriptos, & delineatos, habes vitę institutum, ac rationem. Iam te ad sequendum compara, & ad assequendum inuita. Sed vt sapientum est, scęnę, ac tempori seruire, gaudere, cum gaudendum, & lętitiam amaritudine aspergere, non suffocare: hęc cum dixisset sapientissimus Dominus, nè luctum in Musica enarraret, conuolat ad gaudia,

Humilitas abscondit bona, considerat mala, siue, quæ faciunt ad abiectionem sui. Contra Superbia

3 Reg.

4 Eu.

Diuinitas fons omnium bonorū.

5 Io.

6 Ierem.

gaudia, iterum, & ad laudum redit instituta. Et vt sponsus in actione, occasione sumpta alijs prefert. Et quid ait?

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Commemoratione autem florum, & liliorum ad sponsæ laudes facilè reuertitur; vel illi id tribuens præclari nominis, quod sibi modò tribuisset; vel ex comparatione aliarum, & quas vidisset aliquando, & quas iam videret: pulchrèque ipsam lilium, ceteras spinas hyperbolicè facit, & ex ingenio amatoris, cui cum vnum arriserit, lugent cetera, cuiusque cum vnius occupauerit amor regiam cordis, vix cetera stabulantur. Vnde [1] illa:

Amatori cum vnū arriserit, cetera displicebunt.

Lumina, nil aliud, quo caperentur, erat.

[1] *Helen. apud Ouid.*

Quo meritò sibi duo amores primum ingressum, consessumque decertant. Hæc autem & rusticana comparatio, vt & illa,

[2] Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

[2] *Virg. Ecl.1.*

Et amatoria laudatio. In pulchritudine autem est comparatio; est enim lilium Pulchritudinis symbolum. Vnde Susæ Persarum vrbs, quia pulcherrima, Susæ dictæ, quod lingua Persarum, lilium sonat. Inuenias in [3] Ecclesiastico, Simonem Oniæ filium inter cetera sic laudatum: Et quasi lilia, quæ sunt in transitu aquę.

Susæ lingua Persarum lilium.

[3] *Eccl. 50.*

* Ac si diceret. Eminet inter omnes, excellerque, ita vt comparatione eius cetere, spinę videantur. Sanè in excellentia est, quòd lilium floreat, odores afflet, arrideat, vernet, in tanta inutilium lignorum, & aridorum vicinitate. Lilium hoc Virgo vtique ipsa est, puritate candens, à terra quidem erigens sese, atque excellens, at in cœlum tota conuersa, nimirum de terra de semine hominum, progenieque exsurgens, tota cœlestis, ac diuina, quæ [1] inuenit gratiam apud Deum, cuiusque odores de cælo sensit diuinus sponsus. Iam verò ceteræ spinæ omnes ad vnam fuerunt; quia omnes ad vnam, cetere filię irę, ac peccatrices, omnibusque terra germinauit spinas, ac tribulos, idest scelera, quantumuis [2] exspectaretur, vt conderet vuas, quas non antea condidit, quàm agricolę [3] patris vitis filius in ea plantaretur. Vna Maria exspectata est, vt faceret de more aliarum spinas, & pulcherrimas condidit vuas; nimirum, vt peccatum contraheret, & gratia præuenta est. Et exspectata est à nescientibus diuina consilia, & prouidentiam, à natura, ab hominibus, à Diabolis ipsis hostibus humani generis, & super seminatoribus zizaniarum. Sed exspectata vicit, an delusit exspectantium inuidiam? Sicut lilium è spinis prodijt, & assurrexit: è spinis quidem agnoscens ortum; & primordia generis, at nihil è spinis accipiens, nisi ad exstandum occasionem, nimirum è peccatoribus, ac peccatricibus repetens exordia ortus sui, & generis initium, at sine peccato, vt exstaret propterea singulare Orbis terrarum miraculum, & vnicum in hominum vniuersitate prodigium. Sicut lilium inter spinas, candens inter nigras, floridum inter aridas, lene inter asperas, pulchrum inter horridas, odoratum inter inodoratas, vernans inter syluescentes, gratum inter ingratas,

B. V. lilium inter spinas, & quò?

[1] *Luc.*

[2] *Proph.*

[3] *Eu.*

iucundum inter iniucundas. Sic amica mea inter filias. Virgo inter corruptas, fœcunda inter steriles, gratia plena inter vacuas, gratia humilis inter superbas. Mitis inter crudeles, obediens inter inobedientes, Deo grata inter ingratas, amica inter inimicas, vt nulla propterea sit decens, ac conueniens, neque lilij ad spinas comparatio, neque Virginis ad mulieres, nimirum benedictę ad maledictas. Hoc est enim, Benedicta tu 4 inter mulieres, nimirum vna inter omnes, aut ex omnibus in benedictiones assumpta. Meritò tam frequens in sacris Tabernaculis lilij formæ, & nomen, & imitatio. Hoc est lilium in exemplum floribus, idest sanctis positum, quibus propterea dicitur, 5 Florete flores quasi lilium, quod quasi floruit 6 deserta, & inuia, nimirum Virgo, quæ 7 virum non cognouit, nec potuit per votum Virginitatis cognoscere: iuxta quod multo antea fuerat prædictum per Isaiam. Sed quid ad has Virgo nouas laudes? Silebit, & vinci patietur? nouas fundet pares, & superabit.

4 *Eu.*

5 *Eccl.* 39.

6 *Is.*

7 *Eu.*

Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.

Ijsdem verò amoris, & carminis amebæi legibus sponsa è floribus ad fructus, arboremque ipsam se attollens, sponsum omnibus excellere dicit. Legas & 1 apud Lyricum Latinum poëtam id artifitij aliquando, & apud alios sæpè. Ait igitur. Sicut malus arbor inter ligna siluarum, siluestria scilicet, & semper squallentia, sic dilectus meus inter filios. Decentia maximè omnia, dum rusticana, quibus actores assueti. Hæc autem dum diceret, memor quod diu optasset bonum, tandemque potita esset, lætior dicendo effecta, eadem cœpta mali translatione, quam adhuc in amatorijs decere intelligit, hanc ipsam explicat animi sui lætitiam. Sub vmbra, inquit, illius, quam, aut quem melius desideraui, sedi iam: quin & fructum ipsum gustaui, vt oculata sim testis, & experta dulcedinem. Quæ hactenus obtinuisset explicat, præsentiam, osculaque, & amplexus. Sunt qui putent his congressum significari: at nihil minus; neque quicquam hac de re hactenus habitum est. Neque initio sic fingere esset è fabula, quarum postremis, quæ postrema sunt, continentur. Nihil prætereа ad mystica faceret, in quibus vltima animę cum Deo coniunctio, quæ beatitudo est, vltimo actu post vitam fit. Significantur igitur oscula, & amplexus, quæ in hac vita gratia, & dona sunt, vt dicemus. Et quamquam rem reperias significatam his modestè (quod ab offitio 2 doceamur, & ea, quam offitij mater est natura tegere isthęc metaphoris tanquam velo.)

1 *Lib.* 3. *Carm. Od.ix.*

2 *Lege Cic. de offic.*

Est 3 aliquid plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere vsque rosam.

3 *Ouid. in Phæ.*

Inuenias tamen & illa significata. Vnde enim illa dicta: oscula rapere, & carpere, & legere, & decerpere? Illud ipsum (plenis poma-

ria

ria carpere ramis) Incertum an de osculis dictum. Sanè qui eo modo interpretantur, si aduertant, omnem destruunt actionem, & decorum actionis. Artificiosè autem, & ex poësi malus in amatorijs semper, quod nulla voluptuosior, nulla pulchrior, nulla arbor delicatior. Sed dices: Quando hęc data, acceptataque oscula? Sanè hic, hac scœna. Nisi dicere velimus, quòd sub arbore illa mali, sub qua deinde suscitata dicetur; vnde amorum initia; cuius nunc grata, lętaque meminit, dum fœminili ingenio mali ad nomen, cui sponsum similem facit, redit ad recordationem mali, à qua orti sui amores, confunditque simul vtrumque, & arborem mali, quæ sponsus est, & illius mali, à qua sibi bonum. Vt sit sensus: Sub vmbra huius mali, quam ego dico, quæque mihi inter ligna, sponsus videtur inter filios. Sedi ego aliquando, cœpique ex ea fructus perdulces, nimirum prima sponsi oscula: ibi enim primò visa, primò desponsata, nihil tamen mulier facta, 4 vt dicemus. Et fortè hanc ipsam malum, sub qua suscitata est, quæ carissima, vel ipsa recordatione boni, & in oculis esse debuit semper, vt sua 5 apud illum illi Sappho, sibi ab amore obiecit, cui sponsum compararet, quando ab amore non iucunda modò placent, verùm & locus ipse, vbi hausta iucunda; vnde sanctis culta in omni vita loca, in quibus primitias spiritus habuerint; Secundum quod Dauid ait. 6 Stantes erant pedes nostri (recordatione scilicet recolens) in atrijs tuis Hierusalem.

Malus cur in amatorijs adhibita.

4 Infr. c.vlt.

5 Ouid. Sapph.

Sanctis cara loca, vbi habuerint primitias spiritus.

6 Ps. De S. Francisco etiam legas, & alijs.

2. * A flore ad fructum progreditur sponsa, quia nimirum Maria à minore ad maiorem laudem. Et quidem ibi, quia sponsa maiore laude dignum sponsum agnoscit; hic, quia Virgo filium Deum. A sponso autem ibi in drammate doceri se laudes, & laudandi rationes ostendit sponsa, dum leges Amebęi sequitur carminis, vt doceamur in hoc à Virgine, Omnem laudis formam à Deo esse, atque ab illo esse nobis non solum positam, atque vim, & rationem, verùm, & modum esse laudandi. Nobis id tantummodo relictum, vt in caput, ac gurgitem refundamus, quę dicimus. Id, quod adhuc & ipsum suum beneficium est nostrum bonum. Atque hoc fortasse est, quod Profeta Domino confitetur. 1 Apud te laus mea in Ecclesia magna, quod alij sic interpretantur. A te hoc habeo, vt te laudem. Tu mihi, & materia, & artifex laudandi. In quo quidem aduertendum valdè est, quòd id ipsum nobis à cœlesti patria descendit bonum; nam ibi in Ecclesia magna ita fit, docenturque in eo senatu consessuque patres illi in ęternitatem conscripti à summo Consule, quonam pacto, ac qua ratione in ipsius laudibus se exerceant. Et ibi datur os, ac sapientia, & laudis verba ipsa instillantur. Vnde non immeritò, Deus mari comparatus, laudatores fluminibus; quę enim in mare se euomunt flumina, à mari prius egrediuntur. Et fortasse propter hoc decet Deum silentium in Syon, quem maximè decet laus, quòd non nostra, nobis excogitata, atque composita, sed sua ipsius decet laus nobis accommodata. Vt dicere possimus, tua tibi damus laudantes, teque tuis diuitijs muneramur. Ipse vtique Dominus nos laudes suas docet, &

Christus Dominus malus inter ligna Syluarum, & quô?

1 Psalm.

Deus Opt. in cœlis docet Beatos laudare, & materiam dat laudis.

ſapientiſſimè docet, cum laudare aliorum docet comparatione. Quod eſt per defectus creaturarum in Creatoris agnitionem aſſurgere. Sed dum in fabula in eo eſt ſponſi comparatio, vt ſignificetur iucunditas, & vtilitas eius ex alijs exſtans, atque eminens; hic in eo eſt Domini, vt eadem ſpiritualiter agnoſcamus. Ceteri filij Adam, [2] infructuoſæ arbores, nemo ſine peccato, [3] Filij iræ omnes; vnde deputati ignibus ſempiternis. Chriſtus Dominus [4] fructus ventris, [5] plenus gratiæ, & veritatis, Dominus gloriæ. Vnde in gloriam etſi patitur, vt ingrediatur, in gloriam tamen ſuam ingreditur. Nec mirere, quod fortaſſe florem legis, non fructum, [5] Et flos de radice eius aſcendet; nam flos radicis eius eſt, cuius flores, vt ipſa ait, [6] fructus, & fructus ſunt honeſtatis. Iucundus ille quidem, vt flos, at idem vt fructus gratus, atque vtilis. Ita decuit, vt omnibus omnia fieret, qui venit pro omnibus offerri, vt & florum, & fructuum eſſet primitiæ. Sed quid eſt, quòd inter dicendum ſponſa mali commemoratione, oſculorum ſponſi, quæ fructus arboris dicit; eandem proſequens tranſlationem meminit? Sanè quia Virgo viſitata ex alto, potita eorum, quę diu optauerat, dum ipſum Dominum laudat à pulchritudine, & vtilitate earum, meminit vtilitatum, & iucunditatum, quibus ſit ab illo in Incarnatione per illius ſummam beneficentiam copioſiſſimè locupletata.

2 Iud epiſt.
3 Paul.
Chriſtus Dominus flos, & fructus, & cur?
Chriſtus Dominus decuit fieret omnibus omnia.
4 Pſal.
5 Io.
6 Sap.

Sub vmbra, inquiens, illius, quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Ac ſi diceret, & ipſa iam potita ſum optatis ex parte, etſi non ad ſatietatem omnem. Optaui, vt Verbum Dei fieret caro, & iam ſentio carnem factum. Iam video mentis oculis. Videtur idem dicere, ac: Iam virtus altiſſimi, vt modò prędixerat Angelus, nimirum filius, virtus patris obumbrat me vmbra lucidiſſima gratiæ, & præſentiæ, ſuæ. Et fructus eius dulcis gutturi meo. Et iam percipio fructus beneficentię ſuæ, & ipſemet Chriſtus Dominus, filius Domini mei, fructus fecit, & ipſe ſecum fructus attulit, atque impertiuit, vt vnuſquiſque aſcendere in palmam, & apprehendere fructus eius poſsit. [7] Gratia & veritas per ipſum. Gratia igitur & veritas fructus [8] eius dati in tempore ſuo humano generi, cum nimirum diuinę prouidentię profuturi magis viderentur. Quòd ſi fructus oſculum ſponſę eſt; oſculum verò Virgini Incarnatio ipſa, vt diximus; ſanè hæc dulcis gutturi Virginis, id animę, & ſapori contemplatricis mentis, quia, & ipſa Incarnatio per ſeipſa iucundiſſima, quę diuinam potentiam, ſapientiam; maximè verò bonitatem, latè fuſeque manifeſtauit, qua tanquam œconomia compoſita omnia Orbis terrarum; quæque ipſa opus maximum, & diuiniſſimum eſſet. Iam verò & vtiliſſima, deinde, à qua nimirum hominum generi, vnde eſſent bona, & agnitio ſui, & agnitio Dei, & remiſſio peccatorum, & inuitatio ad gratiam, & veſtis ad immortalitatem candida, & purpura, immortalitas ipſa; & repudium falſitatis, & veritatis thalamus. Et Maria, & Martha ſorores. Et Ioannes ſtatus Virginitatis, & Petrus dignitatis, ac prelaturę, ſimul omnes in vnum

7 Ex Paul.
8 Pſal.
Incarnatio, quam iucunda hominibus.

ten-

tendentes cursum, nimirum ducentes ad Deum. Et in terris conuersatio cœlestis, & in cœlis despectio terrenorum. Denique Deus ipse in possessionem, & fructum ęternum. Quę quidem omnia, tanquam sua essent, contemplatrix, & mediatrix nostra optima, optimè sapiebat. Mitto quòd ipsimet, propter ipsammet dulcis. Hinc illi pariter [9] omnia bona. Hinc dignitas maternitatis. Hinc candor Virginitatis. Hinc fauor. Hinc gratia. Hinc gloria. Gratiam enim, & gloriam [10] dabit Dominus. Hinc [11] amictus solis in corpore, hinc corona stellarum in capite. Hinc pulchritudo, hinc [12] decor. Hinc byssus, hinc purpura. Hinc prostrati, ac confracti hostes. Hinc Triumphus, à quibus meritò [13] beatam te dicent omnes generationes. Quod si rem perstringere ad id voluerimus momenti, ipsum, quo Verbum caro factum est, quo diximus, [14] Confortatas seras portarum eius, illuminatam faciem ab accessu, inflammatum à colloquio cor, totamque noua luce perfusam, totum orbem terrarum irradiasse; Sanè dulce osculum, dulcis fructus gutturi eius, dulcis Incarnatio, per quam anima Virginis se tunc maior effecta, diuinum sapiens, in tertium cœlum inserta est, ad aspectum arcanorum, quę [15] nobis nunc non licet excogitare. En in Angelum Gabrielem altissimum nuntium, ab Angelo in Empireum redundat dulcedo; vnde in nos nunc, & in scripta nostra distillat. Et fortassis à sapore dulcedinis [16] Exsultat infans in gaudio, vt omittam, quòd à stilla dulcedinis anus ipsa hilarior reddita sibi, in nouissimos cantus, & suauissimos erumpit. Sed quàm dulcis fructus gutturi tuo, ò Virgo? Quis est, qui explicet; quando in seipsam sensit dulcedinem ipsam totam infusam. Quam [17] magna dulcedo Domini timentibus abscondita? quanto igitur maior amanti, & concipienti reuelata? Iam igitur noui, & repperi fontem dulcedinis tuę, ò vita, ò dulcedo? Hinc fauus distillans labia tua, hinc lac, & mel sub lingua tua. Omnia tibi ab hoc capite, ac fonte dimanarunt. Sed quando & ipsa tuę dulcedinis multitudo magna, ò Virgo, ab hoc osculo, ab hoc esu; perge, vt facis, deriua, distilla, impertire nobis, atque, vt maiorem impertiaris, in tua oscula admitte. Nè dedigneris peccatores, quę hunc ipsum dulcedinis fontem nunc peccatoribus debes, & si aliàs non debuisses. An [18] stillantibus dulcedinem montibus, & refundentibus; non dicam nos ieiunos, sed non saturos, & refertos patieris mater dulcedinis ad hoc vnum nobis concessa per diuinum beneficium, vt nos in sinum tuum exciperes, & diuino lacte recreares? Sed iam age, & quando [19] mel inuenisti comede. Gaude tanto isto tuo bono, ac fruere fructu dulcedinis. & iam nihil amplius expete. Satis est: Dulcedo diuini fructus, omninò dulcedo diuina est. Sed vt osculum sponsę, Marię Incarnatio ad perfectam saturitatem satis non est; est & illi, & huic aliud, quod pręterea expetant. Et illi quidem coniugium; huic ęterna beatitas, quorum illi cupiditatem incendit osculum; huic Incarnatio ipsa. Quare, vt illa, videtur nostra dicere, & vsurpare.

Bona omnia in B.V. Ab Incarnatione Verbi.

9 *Sap.*
10 *Psal.*
11 *Apoc.*
12 *Prou.*
13 *Eu.*
14 *Psalm.*
15 *Paul.*
16 *Eu.*
17 *Psalm.*
18 *Sap.*
19 *Sap.*

Intro-

Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me caritatem.

Hæc oscula cùm commemoraret, videretque adhuc felicitati coronidem deesse, amoris postremum, & finem coniugij, quem non liceret palam expetere modestam Virginem, quamuis amantem satis; rursum impatiens destitui incipit viribus (mirantur hęc à Spiritu sancto sic expressa: mirarer ego, si non ita expressa essent, quoniam video tantum ad mystica facere, & quæ in anima fiant, cùm Deum, & æternitatem amat; ita ad viuum exprimere, vt suo loco Deo dante) semidestituta modestè affectum insinuat (Introduxit) quod est ex Hebræo. O si introducat me in cellam vinariam, domum scilicet vini secretiorem, delitijs aptam, & voluptatibus. Non ita [1] illa modestè, de qua diximus.

Quando erit vt mecum, ceteraq;

Et si eodem maritali, & amanti affectu. Subditque eodem sensu. O si ordinet in me caritatem. Est ordinare militare Verbum, sub vexillum cogere. Et est sensus. O si me faciat suam, suumque vnius certò meum amorem. Sponsę, quamdiu mulieres fiant, vt sunt ipsæ leues, semper incertæ sunt, ac sollicitæ, ideoque dissipatos, aut vt milites dispersos putant amores suos, præsertim quas sibi suas multi optauerint, quòd ipsæ sciuerint. Quare fructum optantes amoris, nihil habent antiquius, quàm vt hoc nomine, si qua est, quæ nulla est, culpam prætexant; quòd se inquietas dicant, & animo vagas, quamdiu in vxores euadant. Hunc igitur cęterarum vna exprimens morem, Ait. O si ordinet sponsus meus, & tanquam sub vexillum dux cogat amorem meum, suum recognoscens [2] sub sua signa. An non igitur verè dictum. Quòd habet [3] sua castra amor; & quod omnis amans militat? Sed si hæc quasi præterita (quando sic nostri placet, & placere debet interpretis tam sapiens, & accurata, tanquam nunc ab omnibus recepta versio) voluerimus interpretari, commodior fiet sensus. Vtitur de metaphora in metaphoram, dum loquitur, amanti, aut valdè affecto; qui scilicet senatum cogitationum in animam conuocauerit; sponsa illa eadem oscula, quæ sponsus infixisset, alia à fructu mali translatione læta prosequitur. Introduxit me, inquit, in cellam vinariam. Me osculatus est. Quod est introduci in cellam vinariam; parum enim abest à potu, & ebrietate, nimirum à re osculum, vt parum fumus à flamma. Rursum alia longè diuersa. Ordinauit in me caritatem, & subuexillauit. Idem. Osculatus est me. Egregiè dictum; nam osculo sponsæ fiunt, amorque vagus osculo sub vexillum cogitur, vni militaturus. Sic infixi legitimè osculi, & iucunditatem per fructum, & vicinitatem ad coniugium per introductionem in cellam, & fidem in animo plantatam per subuexillationem, expressit. Qui sunt omnes osculi fructus, & cur sponsi sponsas osculentur, caussæ; nam his & vt propinent dulcedinem aliquam oscu-

[1] *Ouid. in Laod.*

Ordinare militare Verbum.

[2] *Ex Tibul. l. 1. eleg. 7.* Erronem sub tua signa voca: *Amorem alloquitur.*

Amor militia, & inde.

[3] *Ouid. in amor. Eleg. 7. Ad Att.* Militat omnis amans; habet sua castra cupido.

osculari consuetum, & vt ad coniugij complexus faciles reddant, & vt sibi suas declarent, & tanquam subuexillent.

Sed LXX. vt aliter habent, ita his nos expediunt; Introducite me (ipsis, puellas, & pedissequas deficiens alloquitur) in domum vini, vt nimirum vini vbertate reuocer. Ordinate ibi in me caritatem, scilicet cor mihi à me fugiens, ac deficiens profugum; (amoris fontem cor, caritatem, siue amorem dicit) tanquam sub vexillum remedijs cogite. Fauent omnia ijs, quæ sequuntur. [4] Elegus ille.

Adde merum, vinoque graues compesce dolores,
Scipse alloquitur, sibique hæc imperat.

[4] *Tibull. l. 8. eleg. 1.*
Vini in dolore vtilitas.

Fulcite me floribus.

Septuaginta, Cófirmate me in vnguentis. Floribus, Florum odoribus.

Stipate me malis.

Scilicet deficientem, malorum odoribus. LXX. in malis.

Quia amore langueo.

Septuaginta quia vulnerata caritatis ego sum. Eadem vtrisque. Mala adhuc, & ipsa remedio odore sunt, præterquam quod amantibus sunt semper in manibus, & in delitijs, & ad amorem [5] prima iácula, aut pila. Hæc videtur ipsa ille puer senex, & in canitie imberbis, quæ diximus, locutus.

Date [6] mi, date, ò puellæ,
Cyathum, vt bibam Lyæi,
Quia me bibit quoque ipsum
Calor aridus iam, & ægrè
Animam trahens anhelo.
Date flosculos Lyæi.

[5] *Vide Ouid. in Cydippe. Virg. Eclog.* Malò me &c.
[6] *Anacreon.*

Nisi quòd quantum sponsam puellam decent, tantum senem dedecent [7] puerum, amantem non decenter, nec decenti ætate. Nec dubium quin inuersus, [8] vt ille ait apud Euripidem, scyphus ex vultuosis, & tetricis quacumque ratione effingit alios. Sed quid est, quòd quæ sponsa initio oblata respuit, nunc absentia requirit? An muliebre ingenium est? an verò intelligit quidem his corporalem vitam iuuari, non autem amorem.

[8] *Ex Plaut. in Merc.* Vetus puer, nouus amator.
[9] *Hercules apud Eurip. in Acest.*

* Introduxit me, &c. Nimirú; si optantis esse dicamus: ò si introducat, & ò si ordinet, &c. & ò si huic tanto, tamq; diuino beneficio accedat cumulus beneficiorum, nimirum postremum, vt in æternam beatitatem, diuina essentia perpetuò fruitura, introducar. Et ò si me ibi, sub vexillum cogat, & faciat suam. Et rectè, cella vinaria cœlum est, & æterna beatitas. Est enim vinum fœlicitatis symbolum, vt ex sacris, & prophanis; vnde conuiuium Domini, conuiuium vindemiæ est apud [a] Isaiam. Sicut autem cella vinaria, receptaculum est totius in familia vini; vnde deinde depromitur, & distribuitur; ita & in cœlo, atque in æterna illa beatitate, in qua se Deus sanctis spiritibus mani-

Cœlum per cellá vinariam, significatum, & cur?
[a] *Isai.*

Beatitudo essentialis per vinum; & cur? Beatitudo accidentalis per odores, & cur?

manifestat, tota fœlicitas est; alioqui beatitas perfecta non esset. A qua deinde huc in nos, & eò in sanctos ipsos melius deriuatur. Quamquam huc in nos imperfectè; descendit enim gratia in nos, quæ beatitudo incœpta est, non perfecta; quę quidem sponsa illa est, quæ Ioanni in Apocalypsi visitur [2] descendens de cœlo. Rursum sicut in cella vinaria vinum purum est; ita & in cœlo fœlicitas. Vnde dicitur, quòd [3] non esurient amplius, neque sitient beati, quoniam priora transierunt; & ideo canitur. [4] Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quæ duo Vbertas, & Puritas alibi eadem translatione traduntur; nam alibi quidem Deo dicitur. [5] Torrente voluptatis tuę potabis eos, vt copiam, & vbertatem intelligas; Alibi verò [6] apud Isaiam, Conuiuium vindemiæ dicitur, vindemiæ defœcatę; vt puritas significetur: & verò vbera necesse est, ibi sint gaudia, vbi à fonte ipso perenni, atque indeficiente hauriuntur, & pura fœlicitas, quæ coram ab eo imbibitur, qui purissimus est. Rursum adhuc rectè ordinari ibi caritas dicitur in anima, vbi vnicuique ad mensuram, & saturitatem datur, & in finem optimum; nimirum vt in ipsummet Deum refundantur omnia. Et vbi suas facit Dominus animas, suum omnem illarum amorem. Et certò suas æternitate consignatas sibi, & in perpetuum subuexillatas; quibus ait. [7] Ero vobis Deus im perpetuum. Et rursum dicitur, quòd [8] animæ sequuntur agnum quocumque ierit, eruntque vbi ille erit, & ab eo non discedent. Sed dices, præterita sunt hæc sponsa? Sensus igitur erit Virgini, & rerum præteritarum. Quòd si sponsa fructus osculi enarrat, exaggeratque, iam & Virgo Incarnationis enarrabit, atque exaggerabit. Ac si sponsa osculum ita facit, ac tanti, vt se sentiat introductam propè in cellam vinariam, & subuexillatam, idest sponsi effectam; sanè id est, quod ita, ac tanti facit Virgo Incarnationem, vt se sentiat propè in beatitudinem ipsam inductam, & quod beatitudinis est; iam perpetuò sponso addictam, atque deuotam. Familiare est id omnibus beneficia exaggerantibus, & commendantibus, qui se dicant accepto aliquo, quod arrideat, beneficio, in cœlum euectos, insertos sideribus, mixtos Dijs, erectos ad Collegium Heroum, atque ascitos, aliaque. Introduxit, itaque, ait Virgo me Rex in cellam vinariam; me propè beatam fecit; vnde & Helisabeth, beatam salutare, & post illam omnes poterunt generationes. Fortè & ad visionem illam beatam alludit, de qua diximus, transeuntem inquam, hoc ipso tempore, tanquam in cellam vinariam est introducta. Et sanè cum multis fuerit exornata priuilegijs Incarnato Domino Virgo, Domina vniuersitatis effecta, cœli candidata, Regina Angelorum omnium, aliaque. Hæc habuit duo, quæ maximè commendaret; visionem diuinitatis ad eum modum, & certitudinem beatitatis; quæ verè maxima sunt; neque enim habuit quicquam maius, quo aut Moyses, aut Paulus gloriaretur, quàm raptum; neque verò Apostoli maius post recepta fluenta spiritus, certitudine ista. Et quamquam ante hæc tempora fortasse Virgo, & Deum viderit, & certa de salute sua fuerit;

[2] *Apoc.* [3] *Apoc.* [4] *Psalm.* [5] *Psalm.* [6] *Is.* [7] *Is.* [8] *Apoc.*

rit; ante tamen hæc tempora non crediderim, quod & ita viderit, atque ita fuerit certa nimirum tot, tamq; efficacibus argumentis, vt dicere ha c potuerit, atque iactare se, & quòd fuisset in cellam vinariam introducta, & quòd subuexillata. Hæc si verba præterita sunt. Quid si imperantis, vt LXX. Introducite, ordinate, aliaque? Hunc habebunt in historia sensum, vt sponsa in defectionem sensuum; ita Virgo aduentu summi Dei in se, sensit se dari in altissimam mentis contemplationem, & in eum effectum amoris, qui extasis dicitur, quamquam non vt alijs euenit, cum imperfectione, sed officiosè, sed dignè, vt par est existimare, de tanta parente tantæ virtutis; sensitq; ex hoc futurum, vt deficeret sibi vita, nisi diuinitus ad substinendam vim amoris nouo miraculo adiuuaretur, miraculum orbis terrarum. Ideoque vt id explicet, adiumenta quæ quęrat ad vitam, & fulcimenta nostri caussa introducitur; nimirum vt nos intelligamus hinc vim illam, atque efficacitatem amoris. Conuersa igitur ad Angelos, & ministrum, quem diximus Chorum, ait. Introducite me in cellam vinariam, &c. quibus sanè verbis optat in ipsam beatitudinem plenè, atque perpetuò immergi; ibi enim in cellam vinariam, vt dixi introducimur, ibi ordinatur in nobis caritas ministerialiter quidem ab Angelis, efficienter à Deo, propter quod dicitur, quòd ille nos [9] docebit ad vnum omnes, atque formaliter ab ipsomet vino, quod ibi sine mensura bibitur, sine modo gustatur cum modo. Vnde dicitur, Tunc [10] satiabor, cum apparuerit gloria tua, & rursum: [11] Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. Ibi Deo perpetuò militaturi subuexillamur, atque ibi amores nostri omnes, qui in hac vita in diuersa insperguntur, in vnum simul coguntur, & Deo subuexillantur; neque enim ibi aliud amatur præter Deum, in quem omnia amoris flumina, tanquam in mare se colligunt, & tanquam ante pedes Regis se prosternunt in obedientiam. Hoc igitur optat Virgo remedij in amoris, & caritatis magnitudine. Et sequitur.

[9] *Is.*
[10] *Psal.*
[11] *Psalm.*

Fulcite me floribus, &c. Quibus sanè verbis videtur sapientissimè gloriæ, & locum, & essentiam, & accidens describere, siue gloriam essentialem, & accidentalem, quod aiunt; nam dum cellæ meminit, videtur Empyreum intelligere. Curiam, & Templum beatitudinis; Dum verò ait vinariam, gloriam essentialem, quæ rectè vino comparatur, siue lætitiam, siue soliditatem, & firmitatem spectes interioris lætitię, omnia peruadentis, & in omnia se insinuantis. Denique dum meminit odorum, gloriam accidentalem, nisi dicere velimus, quòd essentialem gloriam semper intelligit, quam vtpotè perfectissimum bonum, & animę omne bonum, multis exprimit, & ijs omnibus, quibus in deliquio homo deficiens confirmari in hac vita potest. Sed rectè accidentalis gloria per accidentia odores exprimitur; non enim vt vinum odores confortant, ac confirmant; neque vt essentialis, accidentalis gloria replet lętitię voluptate.

Mirabitur autem fortasse quis, quòd Virgo amore languens diuinorum, diuinitatem ipsam optet, qua confirmetur in vita, & à mino-

re

re contemplatione quærat maiore corpus, animamque recipere? Sanè id mirabile; sed qui hæc miratur, miretur idem, & sponsam amore languentem, fugiens cor in deliquium, & in somnum reuocare vino contendentem, & odoribus, quæ magis somnum inducant, faciantq; si copiosa sint, velocius fugere cor. Sanè ita habet, itaque in diuinis fit; vt maius lumen magis confortet, sitque maior gloria, maioris corpori soliditatis. Corpus certos contemplationis gradus sustinere nequit, siue animam ad certos contemplationis gradus euectam, quam tamen in Deum immersam, & ad Deum euectam in gloria sustinebit; ita vt illa exsultante, fit & ipsum exsultaturum: iuxta illud: [12] Cor meum, & caro mea exsultauerunt in Deum meum. Non igitur remouete lucem, ò Angeli, si contemplationem Dei substinere nequeo, & raptus, & illapsus in hac vita, atque extases, & visiones; neque amouete ignem, quo vror; magis autem illis, ac propius adhærere me facite. Viuifica illa lux, atque vitalis ignis, quo magis ad ipsa acceditur, magis magisque confortant. quo fit, vt & si viuentibus non sit illa videre concessum, secundum illa: [13] Non videbit me homo, & viuet. quod est, non videbit me homo viuens; videntibus tamen illa viuere concedatur. Quid enim fons vitæ, nisi vitam effundat, & impertiatur? Et quid viuentes, à vita nisi vitam hauriant, & potiantur? Accipis igitur optimè philosophantem, & paradoxa rectè probantem.

[12] *Psalm.*

[13] *Exod.*

Illa dum sponsa refert, adsunt puellæ statim, quæ ruentem sustentent, scœnæ magno decoro; hæc dum Virgo loquitur, adsunt illa omnia, quibus confici chorum diximus, ipsamque Virginem consolantur officijs, & excipiunt ruentem inter brachia, fouentque; nimirum quæ maiora ad leniendum desiderium proferunt adiumenta, nituntur omnibus viribus, si valeant, consolari. Mentior, ruentem fouent; quam ipsi ruituram, nisi diuino fulciatur auxilio, certò augurantur. Sed & si sponsa ruens in scœna fingitur, iam non ruit Virgo fortissima, quam intus diuinum ipsum numen ad desiderij vim sufferendam corroborat; ni fecisset, ruisset vtique. Quo fit, vt ruens sponsa non ruentem adumbret; magis autem à cupiditatis magnitudine æstuantem exprimat; quæ quidem cum casu, vt plurimum, & in alijs solet accidere. Atque hæc quidem regula in omnibus aduertenda est, & diligentissimè obseruanda, vt si aliquid, quod secum imperfectionem ferat, acciderit, iam non id nos referri in Virgine, atque exprimi intelligamus, quod cum imperfectione sit; sed cum hæc magnitudinem, atque excessum affectionis alicuius significent, id potius quam illud nobis exprimi agnoscamus, vt per effecta in caussę tantummodo agnitionem deueniamus. Sed puellæ in scœna sibi in obsequium sponsæ offitia partiuntur; quia ad afferendam consolationem Virgini, quam possunt, scripturę, creaturę, Angeli, qui chorum efficiunt, conueniunt, & vt afferant omnibus viribus contendunt. Concordes inter se sunt, quia omnes ex eo consolantur capite, quòd spem habere suadeant. Iam verò aliæ interdum maxillam attin-

attingunt manu; vnde ad optandum vt sit sponsi manus excitatur amore sponsa; quia aliæ ex illis eò vsque consolationem suam afferunt, atque protendunt, vt Virginem ad optandum manifestò beatitatem inflamment. Vnde & ipsa ait.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Puellæ, quam prius sollicitiores, prestò statim sunt, ruentem sustentant, & [1] ex mandato collapsam sub tecta reponendam stratis, inter manus accipiunt, hac, illacque; inter sese sibi fortuitò offitia partitæ. Aliæ interea ex ea parte subleuabant, qua maxillæ attinguntur. Ad harum tactum sponsa, sponsi memor, optat hæc à sponso sibi aliàs fieri, præcipuum mali leuamen. Læua eius, inquit, sub capite meo. O si manus hæc, quæ me nunc complectitur, sponsi esset manus. Et inter singultus. Et dextera illius amplexabitur. O si amplexetur, scilicet me. Rotundi, perfecti complexus poëtica significatio.

[2] Quorum suppositus colla lacertus habet.

* O si consolatio hæc non Angelorum sit, neque creaturarum, aut scripturarum, sed Domini ipsius mihi se gloriosum in Empireo tanquam in thalamo reuelantis. Sed erit, erit aliquando illa dies, cùm hæc erunt, & in amplexibus erit sponsi sponsa, nimirum anima mea in visione diuinitatis in æternum. Ex quibus licet inferre nullam aliam à Deo tantam Virgini rem quamcumque è desiderio consolationem, tantumque afferre potuisse leuamen, quantum ipsamet sibi afferre potuit, primogenita creaturarum, & Domina Angelorum. Optima autem per amplexum gloriæ significatio, & per perfectum, atque rotundum amplexum; in quo & apprehensio, ac comprehensio est, & tota sui communicatio; nam etsi anima apprehendat, comprehendatque Deum ad beatitudinem, non prius tamen ipsa apprehendit, comprehenditque, quàm apprehendatur, & comprehendatur; vnde & illa: Comprehendam, sicut & comprehensus sum: nec prius oscula infigit, quam vt infigat, vocetur. Ipse prius amplectitur, complectiturque animam Deus, gloriæ lumen circuminfundens, & dulcissimè irretiens, à quo anima amplecti, complectique suauissimè coacta; nam cum in operatione beatitudo sit, non prius anima operatur, quam habeat Deo dante, in quo, & circa quod operetur.

Atque illa cum diceret, sponsam somnus arripuit, quia hæc cum cuperet Virginem, siue nunc primum; res enim incerta, siue denuò in hoc mysterio, atque iterum, visio Dei videntis, & viuentis perfundit totam, atque allicit ad sese, & conglutinat, qui altissimi amoris esset altissimus, atque postremus effectus. Age sic somnum capientem nè excitent adiurat sponsus puellas, ac sic altissimè contemplantem, nè reuocent Dominus creaturas, aitque.

Adiuro

[1] *Ex Virg. 4. Æneid.* Collapsam accipiunt, &c.

[2] *Ouid. in Laod.*

Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas, ceruosq; camporum, nè suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Iamque domum referebant puellæ primo actui finem impositturæ. Iucundum aspectui, mentique. Cum videns omnia sponsus, ratus dormientem (quod erat) ex deliquio enim ad somnum perrexerat, maturandumque sibi adhuc æstimans ad noctem, vt fit, interea amores mora exstimulaturus ex ingenio, & instituto; puellas alloquitur. Et Filias Hierusalem dicens honorifica appellatione, vt decebat (decus enim Hierosolymitanas dici villarum habitatrices) precatur, nè, vt antea fecissent, quicquam remedijs, verbisque reuocent dilectam, molestiæ nè sint. Adiuro, inquit vos.

Filiæ Hierusalem dictæ, cur è choro puellæ.

Per capreas, ceruosque camporum, &c. LXX. in virtutibus campi. Ex Hebreo, per exercitus, & fortitudines agri; nam quod Hebreis capreas, idem exercitum, quodque fortitudinem, idem ceruum significat. Idem autem; nam capreę, exercitus, & fortitudines agri sunt, ornamentum scilicet, & in agris plurimum posse, & dominari videntur. Et fortè ob hanc causam [1] pulchritudo agri mecum est, pro bestijs terrę, dictum est. Rusticana adiuratio, ac decens, at cuius multiplex sit sensus. Vel per hos. Sic scilicet vobis ex sententia horum eueniat venatio, cui studetis, (studebant, vt vicinæ [2] Tyriæ Palestinę, Virgines pastores venationi.) Ita Phædra Hippolitum adiurat.

Capreæ exercitus & fortitudines cāpi, & cur?
[1] Psalm.
[2] Virg. Virginibus tyrijs mos est gestare pharetram.
[3] Ou. in Phæd.

> Sic [3] tibi secretis agilis Dea psaltibus adsit,
> Syluaque perdendas prodeat alta feras.
> Sic faueant satyri, montanaque numina Panis,
> Sic cadat aduersa cuspide fossus aper.

Vel sic vobis delitię vestrę capreę, ceruique, quibus scilicet maximè delectamini (mos idem semper omnibus præsertim feminis, non Virgilianę modo Syluię, istas animantes ad delitias nutriendi. Vnde illud. [4] Quantum capreę mihi dilectę, ex ingenio. Vnde & Prouerbium. [5] Qui pascit alienas oues, aliquam habet peculiarem, qua spem soletur suam.) Sic, inquit vobis ex sententia, affectuque vestro seruentur; ne aliquid vobis ex illis sit mali, ita ille.

Capreæ mulieribus carissimę.
[4] Theoc. Idyll 4
[5] Plaut. in Asin.

> Sic [6] tua Cyrnęas fugiant examina taxos.
> Sic cythiso pastæ distentent vbera vaccę.

[6] Virg.

Vel scilicet per amasios sponsos vestros, si quorum detinemini Pastorum in agris amore, quos ingenio è illis laudat, si fortitudines, (vt LXX.) dicit. Sic scilicet illi vos ament, & in amore respondeant. Ita [7] Paris Helenę.

[7] Oui. in Parid.

> Sic habeas faciles in tua vota Deos.

Et [8] Phœdra translatè melius.

[8] Ouid. in Phæd.

> Sic tibi dent Nimphę, (quamuis odisse puellas
> Diceris) arentem quę leuet vnda sitim.

Nè suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam. Scilicet meam.

He-

Hebrei, amorem, seu dilectionem (Patheticè) à somno.

Donec ipsa velit. Donec spontè euigilet. Quod est [9] apud historicum à Regina Romanorum super Seruio Tullio, puero iussum. Atque hic mihi primi actus finis, & iucundus, & principio respondens, &, quod maximè è fabula est, sustinens exspectationem, & protrahens. In quæ explicanda hactenus illud vnum miror, cùm multæ vnius rei sint interpretationes, ita quadrare omnes, vt meliorem ignores. Quod argumentum Diuinitatis sit, & sapientiæ auctoris in plurima vno iaculo collimantis, nosque ad sapientiam in insipientia, & ambiguitate instituentis. Preclara omnia, sed quæ sint in applicatione ad mystica: vt sit propterea paululum sustinendum: preclariora futura.

[9] Tit. Liu. 1 Decad. l. 1. c. 34. Sic illa ait: Donec spontè euigilet.

Liber Cant. quod sit à Deo, nouum argumentum.

*Adiuro, &c. In quibus sanè verbis, vt cōcētus exaudiatur vtriusq. & scœnæ, & litterę; multa adnotanda sunt; nam in primis quidem creaturas, scripturas, Angelos filias Hierusalem appellat; & rectè, si quidem [1] omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. [2] Rursum omnis scriptura, & omnis prophetia diuinitus est inspirata: habent præterea creaturæ omnes aliquid, quod ęternam illam beatitatem, tanquam filia matrem repręsentet. Vnde illa cœlestis Hierusalem meritò [3] mater nostra est, & hæc militans Ecclesia ornata, sicut [4] Sponsa desuper descendit.

[1] Iacob.
[2] Petr.
[3] Paul.
[4] Apoc.

Ad hæc arbitrio ipsius Virginis spatia contemplationis committit; vt tamdiu contempletur, ac tamdiu euigilet à contemplatione, quamdiu ipsa velit, & spontè euigilet. Et rectè; Nam ipsa moderatissima lex, & regula moderationis, ipsi præterea debita erat hæc omnis contemplatio, ac contemplationis sublimitas, vbi semel in matrem ascita est, & in societatem diuinitatis. Sed quæ benè intelligebat viatricis statum, benè voluntatem diuinam adimplebat; tamdiu in contemplationem defixa, quamdiu & diuinæ placere voluntati intelligeret, & ferre viatricis statum videret; nolebat præterea in hoc esse se æqualem filio, qui se matri prę humilitate in carne fecisset æqualem. Sed quid est, adiurat hac in re filias Hierusalem? Sanè meo iudicio nihil aliud, nisi velle significare, quod diximus, quòd singulare vnius esset, spatia contemplationis, gradusque ipsos ab ipsamet Virgine pendere, vt quantum vellet, ac quæ vellet contemplaretur: nisi dicere velimus, quòd adiurare illas, nihil aliud sit, nisi in ratione conditoris excludere, innuereque per hoc ipsammet visionem Dei, quæ purissimę naturę visio est, & simplicissimæ substantiæ; in qua partem nullam creaturæ, neque scripturę sibi habent; nam cessant prophetiæ in aspectu Dei, sicut [5] lucerna lucens in caliginoso loco, in aspectu Solis opprimitur; atque Angeli non habent aliud, quod afferant in consolationem, vbi Dominus cernitur Angelorum. Creaturę verò deficiunt, vbi facies visitur Creatoris. Itaque id ipsum est. hæc adiurare; ac innuere velle, quo Virginis res loco sit, ac quò mens optimæ contemplatricis euecta. Id, quod non tam ipsorum

[5] Petr.

caussa sit, quàm nostra, vt nobis hæc exprimantur. Rursum autem, quid est, illas per capreas, ceruosque camporum adiurare? Sanè est enixè, sollicitèque precari; nisi dicere velimus, quòd cùm tria hæc, Angeli, creaturæ, scripturæ, hominum sint vtilitatibus, atque opportunitatibus deputatæ, seruiantque hominum amori, si possint ad Deum sustollere; nihil aliud sit adiurari per capreas, ceruosque camporum, nisi per homines viatores, ornamenti camporum, nimirum militantis Ecclesiæ, & ipsorum amores, delitiasque. Vt sit sensus, quando vos vtilitati hominum seruitis, eidemque inuigilatis; vt per ipsammet vtilitatem, & beneuolentiam vestram, qua erga homines estis, id agite. Id huic homini, nimirum Virgini expedit, atque id conueniens est eius statui, ac dignitati recens acquisitæ, vt vestro non egeat, neque ad contemplationem subsidio, neque ad opus excitamento. Alios illa habet Angelos, quorum iuuetur collustrationibus, alia vestigia Creatoris, quibus in Creatorem ducatur, atque alias denique scripturas, in quibus consolationem habeat; nimirum ipsam met diuinam essentiam, quam nunc pro statu, & Dei ipsius voluntate intuetur, & à qua sibi haurit consolationem. Si vos hominibus seruitis, in hoc huic homini seruite, nè seruiatis, atque in hoc consolationi sitis, vt vestra consolatione non indigentem prædicetis. Atque hic finis Actus primi, quia hic finis eorum, quæ in Incarnatione præcipua gesta sunt. Et præclarus quidem, ac iucundus finis, dum finis principio respondet; nimirum dum à deliquio incipitur, & deliquio finitur: quæ quidem in Virgine sic respondent, dum illa immensitate Virginitatis orsa est, videndi scilicet Deum in carne, & eadem, ac maiore desinit, eumdem in gloria videndi; sic enim sponsa in deliquium incidit in fabula ab initio præ ardore osculi sponsi: & in deliquium eadem in fine præ ardore coniugij. Ex quibus sanè licet tanquam in principio intueri diuinæ poësis artifitium, & fabulę respondentem in omnibus veritatem. Equidem obstupeo admirans; & mihi non tam scœna illa, ac drama, quam historia diligentissimè conscripta de gestis Virginis, & Verbi æterni videtur. Quo fit, vt & quòd habeamus, hic teneamur ad gratiarum actionem maximam, & quòd tanto decore, ac lepore conscripta habeamus.

Vox dilecti mei.

Actus Secundus Scœna Prima. Sponsa.

Amor præsagit. Somniant multa, qui vehementer animo defecerint [a] *Arist. l. de somno, & vigil. c. 4.*

Sponsa intus per quietem, quę euigilanti obuenissent, vt fit, itemq; alia multa, quę mox euentura essent, vt præsagit aliquando, & diuinat amor, somniare cœpit, permixtim, ac confusè; vt ferunt somnia, maximè eorum, qui vehementes animo defecerunt, & qui visi sunt mortui esse, de quibus dicit [a] Aristoteles libro de somno, & vigilia, quòd multa somniant, & dicunt; Visa sibi est vocem sponsi audire; cum per vigiliam fieri imaginans, vigil, vt erat semisopita, prodit in scœnam curriculo ad vocem. Secesserat paululum sponsus. Vox inquit, dilecti mei, scilicet ad me facta est. Quid hoc initio melius? Quid quod exspectationi magis respondeat? Quid quod scœ-

scœnam magis deceat, vt loquatur quis intus, cum [2] Euripidis Medea? aut dum egreditur, forisque facta aliqua dicat, quę nusquam spectantibus facta sint, cum [3] Aiace sophoclis? Iam somnia quantum ex arte sint, ex fabularum auctoribus didicimus, quorum videtur ille alijs excellere, qui meliora, ideſt veriora somnia somniarit. Quantum verò omnia ad mystica, quorum ex modo, atque ex hinc possumus lucem aliquam intueri. Ab amore autem somnia. Et Laodamia, & Herone, & Ariadne, & Sappho somniant, poëtaque ipse. Ea autem somniant, quę volunt ipsi, dum amant; Propter quod ait illa. [4]

[2] *Eurip. Med.*

[3] *Soph. Aiac. Flagellif.*

Somniare facit amor.

[4] *Laodam. apud Ouid.*

Dum careo veris, gaudia falsa iuuant.

Et alia. [5]

[5] *Sappho apud Ouid.*

Illic te inuenio, quamquam regionibus absis.

Ab somno autem rerum sus, deque perturbatio, ac confusio. Vnde illi [6] incerto sunt somnia nigra pede.

[6] *Tibull. l. 2. eleg. 1.*

* Vt hęc commodius, & melius interpretemur, maneat, quod sępius repetiuimus, quod aliorum sit basis, ac fundamentum, Virginem ante Incarnationem quidem osculi, nimirum Verbi Incarnati cupiditate ęstuasse, tum coniugij, nimirum Beatę visionis, & ęternę illius vitę, atque immortalis, quod est ipsummet Verbum faciem ad faciem videndi. Hinc enim & qui accessus, & qui recessus sint sponsi; ac qui finis illorum, ac quò tandem tendant omnia, facilè percipietur. His ita iactis, ad interpretationem redeamus. Diximus in superioribus sponsam, quę in somnum inciderit, Virginem esse, quę ad Dei vsque visionem, & fruitionem sit elata. Id postremum, atque id finis superiorum. Nunc eadem prosequamur, atque ijs hęc coniungamus. Sponsa adhuc in somno multa somniat, vt eorum esse diximus, qui vehementer animo defecerint; & Virgo multa videt, intueturque in altissima illa Dei contemplatione per quietem; vt est eorum, qui ad tantam, tamq; celsitudinem euocantur; propter quod dicit de se [1] Paulus, quòd raptus vsque ad tertium cœlum, vidit arcana verba, quę non licet homini loqui. Iam somnus; vt in expositione dramatis, & fabulę dicebamus; actionis optimum, atque optima Marię actio, siue optimum donum huiusmodi contemplationis gradus; quòd si in fabula in actionibus sponsę repręsentantis, nihil potuit somno melius repręsentari; certè nobis ex Marię actionibus, ac donis, quę à Deo affatim accepit ad venerationem, & amorem, nihil hac potuit contemplatione dignius enarrari. Quare vt fuimus optantes audire quid sponsę somnia tulerint, quęque illa somniarit, & quę illorum interpretatio; certè auere, atque optare, & nunc maximè debere videmur, & quid Virgo in hac contemplatione viderit, quę illi fuerint reuelata, & quam habeant interpetrationem. Agamus igitur dum, & ad audienda pręclariora vehementius incendamur. Sed à quo nam hęc audiemus tam pręclarè visa? ibi sponsa, hic decore Virgo ipsa enarret. Quòd si ibi sponsa vbi euigilat, semi adhuc sopita, inter dormiendum, vigilandum, adhuc somni imbuta

[1] *Paul.*

dulcedine; certè hic Virgo vbi à contemplatione illa redit, adhuc inter videndum, non videndum, recenti memoria visionis. Videamus autem quid illa somniarit, & res rebus diligentissimè conferamus. Ab amore in somnum acta sponsa, ea somniat, quę ad sponsum ipsum, vel ad se, cum sponso pertineant; cętera aut non somniat, aut somniata non euulgat. Ab amore igitur & ipsa Virgo in altissimam visionem acta, ea videt, quę ad Christum Dominum, vel ad seipsam cum Christo Domino spectant; cętera autem non dicam non videt, at visa nobis non exprimuntur: neque enim alia enarranda nobis erant, & proponenda, nisi quæ ad Christi amorem quoquomodo prouocarent. Notandum autem est valdè, quòd vt in somnia aperta ipsa quidem sunt; nihil enim tam benè cernitur, quàm quod in somnis, omnibus occlusis sensibus; vnde auferri posset imago, aut tolli aspectus eius. Sed non est ipsorum ordinata visio, vt ea, quę prius gesta à nobis sint, videamus, tum quæ posterius, sed simul omnia; ita & in Diuina essentia ea, quæ cernuntur apertissimè videntur; & simul omnia; omnia scilicet repræsentante illo diuino speculo animæ in vnum collectæ, & ab extrinsecùs in Deum ipsum suauissimè quiescenti. Sed iam tandem quid Virgo viderit videamus. Sanè sponsa ea somniauit, quæ modò per vigiliam gesta essent, & de aduentu sponsi, & actis, gestisque per eum: videre igitur, & hæc debuit Virgo in Deo, atque hæc ipsi repręsentari fas fuit, quæ modò in Incarnatione Verbi gesta essent; vt ibi ore sponsæ quid sponsus egerit, & quæ ratio aduentus eius accipientes; hic ore Virginis, quid Verbum fecerit, ac quo pacto se carnem fecerit, accipiamus. Compendio sponsa se vocem dilecti accepisse ait, & Virgo se Verbum Dei accepisse. Hęc summa rei, hic finis, hęc epilogus. Sponsa igitur in somnis vocem audit dilecti, quam audierat vigilans; & Virgo in Deo videt se verè Verbi Dei matrem effectam, & ad ipsam Verbum factum, atque ex ipsa carnem assumpsisse, sicut factum erat. Sanè quæ credidit, & quæ quia credidit, beata, id quod credidit, quod vtique credere maximę fidei fuit; id primum, videre, atque intueri per diuinam beneficentiam, & virtutum remuneratricem bonitatem debuit, vt tantæ fidei, tanto merito sua responderet merces, & operę suum pretium; nec differri debuit in diem retributionis communis opus singularis virtutis; nimirum se vt sponsa vocem in aurem, Verbum in ventrem accepisse; Ac de hoc, de quo certissima foret, fieri planè sciens, & videns. An cum in castigando sit Deus velox, non sit in retribuendo? quique vitium egregiè deforme non toleret, virtutem in apice perfectionis non remuneret? Ecquid tandem maius à fide Virginis exspectari poterat, quàm vt crederet se, quàm indignissimam putabat; quæque Virginitatem vouerat, Verbum æternum, illud tot sæculis promissum, tot exspectatum prophetis, mox in vterum suscepturam, & iam iam fide continuante, ac se Verbum carnem efficiente suscepisse? Age dum pater luminum, vt facis, & huic tantę Virgini, quę in ipsa gesta iam sunt, iam tuo lumine manifesta. Et quam pater,

ter, matrem efficere dignatus es, benefica, sempiterna communicatione filij tui, tui communicatione pater luminum, matrem luminum effice; vt se suique omnia videat imitatione tui, qui te, tuaque omnia vides. Et tu [2] lętare sterilis, quę non paris, quando tibi sterilitas ista tua in tantum tibi bonum erupit. Et non porrò videns, at coram in [3] habitatione sancta ministra. Sed hæc summa rerum, & compendium, vt dicebam. Iam nunc modum, & processum exprime. Ac primum quidem, vnde venerit, qui, quà, quid egerit, quidvè fuerit locutus; nondum enim plene, vt erat in votis, accepimus.

[2] *Is.*

[3] *Sap.*

Ecce iste venit saliens in montibus, & transiliens colles.

Videre sibi visa per somnium, sponsum, per montes ipsos, collesq; (in somnij monstra) sat grandes grandientem passus; tum aduentasse, at noluisse statim ingredi, stetisse post parietem; inde per fenestram, per cancellos prospexisse; tum demum allocutum dedisse vocem, ipsam vocasse. Hęc dormiens, vigilans, dum per vigiliam fieri certò imaginatur, miratur ad vocem progressa, nullum esse sponsum, & cur nullus sit. Ecce iste venit, ac si dicat. Quid est, quòd nullum reperio delusa? modò venisse animaduerti, & quà, & mirata mecum sum (hinc, ex hoc in somnio sponsę summo artifitio hic insinuata, quę dubia in primo actu sunt, cum primum, ac quę sponsus locutus fuerit, qui venerit, qui in scœna steterit: quod fieri in alijs fabulis artifitiosè videmus, vt progressu multa initio obscura elucescant; peti possunt: est enim præteritorum enarratio, quæ somnianti obuenerint) mirata, inquit, mecum sum, quo nam pacto tàm citò venire potuisset. Eodem autē sensu aduentus certitudinis sponso adhuc non reperto, reijcit in fugam omnia, aut lusum, eodem ingenio. Quare ait.

somnium in fabula quo artifitio inducatur?

* Modò salientem in montibus, & transilientem colles vidi, & iam amplius non video: ad statum viatricis reuerterat. Innuit his, & vnde venerit; nimirum è longissima regione, nam si saliendum in montibus, transiliendi colles, certè non parum aberat; vnde gressum ferebat. Et quadrat in eum, qui nobis descendit de cœlis, vt incarnaretur de Spiritu sancto, exiensque de patre, venit in mundum; à quo nos infinitate prope quadam, & immensitate aberamus, non corporalium spatiorum, sed morum diuersitatis, ac si pater ille noster: nos in dissipationem tamen substantiæ nostræ in regionem longinquam inscij, & impotentes reditus discesseramus. Vnde rectè canit Ecclesia venienti, Ecce nomen Domini venit de longinquo. Atque huc tendunt illa. [1] Rorate cœli desuper, & excita potentiam tuam, & veni; non enim minor beneficentia postulabatur, quæ miseriæ nostræ prospiceret; & sapientia, quæ prouideret, quàm & potentia, quæ ita inter se diuersa, longissimisque spatijs disiuncta simul æquaret, simul, & conglutinaret. Vnde illa confitentis Ecclesiæ. Aspiciens à

[1] *Is.*

longè ecce video Dei potentiam venientem, potentiam Dei venientem vidit, quia vidit venientem à longè. Atque hæc caussa est crediderim, cur initio aduentus Ecclesia [2] Isaiæ verba legat ea, quibus hominum malitia commendatur maximè, vt per hoc disparitas, & longinquitas intelligatur, in longinquitate autem potentia longinqua spatia superantis. Dominus locutus est. Filios enutriui, & exsaltaui, ipsi autem spreuerunt me, abeuntes scilicet aliò à me, & in longinquam regionem; facitque aberrantiores homines belluis. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Itaque hoc primum innuit; vnde venerit. Tum celeritatem in veniendo, vt ostendat ab operationibus Deum. Saliens, inquit, in montibus, & transiliens colles, quod est, vt diximus grandes gradiens passus; in quo adhuc hilaritas, qua venerit, & festiuitas continetur; nam grandire sponte passus lætantium est, & accurrere exsultantium, vt est lætitia eleuans, cuius propterea ignis symbolum, & exsultatio dilatans cor; vnde dicitur, [3] Exsultauit vt Gigas ad currendam viam, vt lætitia significetur; & lætos afferentes nuntios præcurrunt. Atque hæc duo in aduentu Domini eiusdem alij innuere; nam ad celeritatem quidem pertinet, quòd nomen eius Accelera, Festina, vocatum est; & ad exsultationem, quod dicitur, Exsultauit vt Gigas ad currendam viam; nam quod ibidem subditur. Et occursus eius vsque ad summum eius aliò pertinet; nimirum ad distantiam, & semota spatia; de quo initio dicebamus. Rursum ad celeritatem, quòd rori, quòd pluuiæ in aduentu fit similis; ad exsultationem verò, quòd sponso. Iam, & celeritatem innuunt eius, [4] Hierusalem citò veniet salus tua; & exsultationem, [5] Adducentur Regi Virgines post eam, afferentur in lætitia, & exsultatione. Et sanè magni consilij Angelo magna celeritate festinandum, ad obuiandum magnis malis, & magno bello exstinguendo, magnoque pacis Principi cum exsultatione veniendum ad pacem in sinum ferendam, & in animis inferendam, à quibus canticum nouum, & exsultatio exspectaretur in Deum; vt omittam quod Patri futuri sæculi venienti ad Oeconomiæ institutionem futuræ, & sibi parandum regnum immortale, celeriter, exsultanter veniendum fuit; quorum altero veniret, videretque; altero vinceret; ac quorum hoc animos sibi conciliaret, illo deterreret hostes impedientes. Sed dum in montibus saliendis, transiliendis collibus descensus designatur, humilitas venientis innuitur; qui paulo minus ab Angelis minorari se voluit ad gloriam, & honorem, tùm nostram, tùm deniq; eius, & quæ eadem est Patris, ac Spiritus sancti, quod alibi per retrocedentem in signum Solem, aut retrotractum, nouem gradus adumbratum est. Et rectè gradus Angeli nouem, qui in nouem ordines per gradus, ordinemque distincti; ac rectè ijdem montes, collesque simul, qui ex maioribus, minoribusque tanquam ex senatoribus, & equitibus, aut ex patritijs maioris, minorisve gentis in suos ordines ad Deo militandum digesti: quamquam florentes omnes, omnes nobiles,

[2] Is.
[3] Psalm.
[4] Is.
[5] Psalm.

biles, omnes dignitate, & amplitudine, tùm naturæ, tùm gratiæ sublimes, atque erecti tanquam montes, collesque. Atque hoc est in parabola fortasse, Christum Dominum reliquisse nonaginta nouem, vt vnam ouem ad quærendam descenderet. Accepimus iam Virgo, & iam habemus gratiam de Incarnatione filij tui, & per compendia quidem, & paulo fusius, quòd à patre venerit, & de cœlo, quòd exsultans, quòd celeriter, quòd humilians sese. Iam si tanto animo, tantaque voluntate ad te desuper euolauit, manifestaturus seipse tibi; teque vt viatricem decoret, visione sui donaturus, donauitque, vbi nunc locorum est? quid agit? quò se tam citò proripuit sese; reliquitque te somnus subito, nimirum illa contemplatio?

Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.

Ac si. Certè caprea mihi hic est, aut hinnulus ceruorum. Vulgaris in casu locutio. Præstigiator mihi hic est, aut hoc, aut illud, rei significandæ accommodatum. Et habent hoc capreæ, ceruique, vt sunt à natura timidi, si syluestres, vt eadem qua confecerint spatia celeritate, si à quo occurrente timuerint, remetiantur; vt vix aduertas, si videris: si domestici, currentes, recurrentesque, vt ludere videantur. Subdit autem.

Caprearum natura in eundo, & redeundo.

* Id à natura, & ingenio dilecti huius mei est: similis ille mihi est capreæ, hinnuloque ceruorum, nimirum natura, & ingenio celer, pertransiens, magna scilicet celeritate se visendum exhibens, atque idem subtrahens ab oculis proprius. Quin & ludens adhuc, & iocans, vt capreas facere diximus, & naturam esse hinnulorum, ceruorum: in hoc similitudo, in qua rem attigit, & diuinissima philosophata est. Id est ingenium manifestantis sese Dei, & reuelantis in hac, non in alia vita, ibi enim aliter agit, & longè aliam tenet manifestandi se rationem; in hac quidem id est, vt rapiat ad sese contemplatricem animam, illico, illicò abijciat, statim veniat, statim discedat à mente iusti contemplante, subito appareat, disppareat subitò; vnde exstases, raptus. Atque id est fortasse, aut esse potest, quod dicitur in contemplantium persona. [1] Porro ad me dictum est Verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius. qui & sequitur, In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ; nam in quo de Verbo meminit dicto, de contemplatione sermo est, siue visione aliqua desuper; id enim loqui Dei est, atque id Verbum eius accipere. Propter quod & Paulus, [2] Audiui, inquit, arcana verba: & prophetia sermo Domini dicitur. Dicit autem contemplationem Verbum absconditum, siue quia de rebus absconditis, & arcanis est, siue quia in absconditis, in corde contemplantium fit. Vnde alijs locutio in solitudine ad cor, siue quia caligino-

[1] *Iob.*

[2] *Paul.*

3 Paul. ginosa visio, & 3 per speculum in ænigmate; non enim reuelata facie videmus hic, neque transfiguramur de claritate in claritatem. Iam verò in quo deinde ait: quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius, id, quod dicebamus significat, in decursu fieri, furtiuè suscipi contemplationem in hac vita, visionemque diuinam, quam cum dixisset Verbum modò, mox susurrum dicit, vt id ipsum explicet; neque enim Verbum susurrum est, sed verbum semipronuntiatum, & quod fortasse ibi est absconditum, vix auditum. Quamquam non est prætermittendum, quòd non iam susurrum se furtiuè accepisse ait, sed venas susurri; quia nimirum in hac quacumque contemplatione, sapientia tamen est, & principia scientiæ diuinæ, ac perennis quidam fons consolationis; vt melius propterea sit haurire venas susurri eius, quam audire verba quæcumque aliorum. verissime enim melius esse dictum est, superiorum pauca delibare, quam plurimis saginari inferiorum. Rursum aduertendum est, quod ait, Et cum spiritus me præsente transiret: nam eo tendit, vt idem diuersis significet, quasi momento cœlestium contemplationem transire. In quo adhuc non leuiter notandum est, quòd non defectu accipientis transit interdum, sed transeuntis voluntate. Spiritus me præsente, transiret. nam & si raptus, & si exstases sint aliquibus interdum, quæ supra naturam nostram sunt: non sunt tamen supra naturam, aut vires facientis, vt diu durare non possint; sed hæc est voluntas eius, qui facit, siue id propter nos ipsos faciat, siue ita propter semetipsum; vt nos in statu nostro viatorem degere faciat, itaque in humilitate conseruet: & sciant homines, quoniam homines sumus. Atque id rursum fortasse est, quod dicitur, 4 Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Vt visitatio diluculò sit visio, aut raptus, probatio, discessio, aut disparitio visionis: quæ quidem subito fit, subito spiritu discedente. Et rectè visio, aut raptus visitatio in diluculo; est enim ab amico cum amico collocutio; ab amico autem parente luminum animam ad immortalitatem excitante, & diuinarum rerum luce penitus irradiante. Rectè & discessus probatio; nihil enim tàm amicum probat, quàm desolatio, & desolatio post consolationem. Cum enim omnis desolatio grauis, tùm ea maximè, quam consolatio antecesserit, & consolatio, quæ nondum satietate sua expleuerit, quò pueris ab vberibus distractis modò arreptis, & in os insertis grauior accidit à priuatione molestia. Sed, quod à similitudine habetur capreæ, ceruique, hos accessus ad animam Dei, recessusque subitos, subitosque rursum aduentus, discessusque; & illos tanquam lusus diuinæ prouidentiæ, non sine delectatione, venientis, discedentis, siue melius fulgurantis, aut coruscantis animam; melius habebimus in progressu horum in moribus sponsi, sic cum sponsa ludentis. Sed si ita est Virgo, atque ita tecum sponsus iste tuus agit, rectè quæris, rectè & quereris piè, atque offitiosè tamen, rectè & miraris. Sanè ita habet.

4 Tob.

En

En ipſe ſtat poſt parietem.

Septuaginta, *En hic poſt parietem. Admiranti accommodatius. Ac ſi, quid igitur? vbi nam ille? ludor?

* En ipſe,&c. En modò mihi poſt parietem ſtare viſus. Quid eſt, quòd non mirer, cum me luſam intelligam? ita me videre memini, vt iam videar videre. Mihi quidem nunc eſt.

Reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

Sic veniſſe, coniectare ex hoc eſt. Ignotum, furtiuum, cupientem ſe ante videri, interea nutrientem, & condientem amores mora, luſibus, ſpeculis. Noſter autem propriè, & ſimpliciter vertit feneſtras, cancellos. Hebræum translatè poſitum, & eleganter; nam proprium de roſa, & floribus eſt, cum è folliculis erumpunt. Per ſimilitudinem autem ad ſenſum refertur à ſponſa, ex ingenio feminarum, ſua ſæpè comparationibus exprimentium, & amantium, quæ ſemper laudant. Roſeum viſum eſt ſponſi caput, & illa capitis per feneſtram illatio roſæ è folliculo eruptio.

* Reſpiciens,&c. Iam notum, ignotum video, furtiuum, cupientem ſe ante videre, & videri. O præclara myſteria, ò ſuauitudinem, & dulcitudinem rerum diuinarum. Mirentur alij alia diuina opera, equidem in hoc vno totus defigar: cumque alij ex aliorum contemplatione ſurrexerint ad ſacrificandum Deo ſacrificium laudis, ego ex horum conſideratione euolabo? Tanta nè Deo cura, tam exactè, accuratèque diuina tradere hominibus; idque tanta ex artificio, atque poëſi ſuauitate? Tantæ nè Deo cum filijs hominum delitiæ, & illis complacendi cupiditas? His aduentus ipſe Dei ad Virginem in carne belliſſimè depingitur, & ipſius in carne in Virginem illuſtrationes. Sanè ſtare poſt parietem ſponſum, nihil aliud eſt, niſi eſſe Verbum in carne. id, quod per effectum aliqua ratione declaratur; nam ſicut eius, qui poſt parietem ſtat, per parietem facies non videtur; vnde & non agnoſcitur de facie; ita & Verbum in carne, neque viſum eſt ab aliquo mortalium vnquam; neque agnitum ex manifeſta viſione. Et rectè paries caro, ſicut enim paries compoſita ex multis res, atque artifitiosè coagmentata, ita & caro; neque enim quid homogeneum eſt, artifice natura: ac ſicut paries quid ſolidum, & tenebricoſum, ita & caro. Sed dices, Paſtores tranſierunt dicentes, Tranſeamus, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt? Et rurſum Dominus dicit, Philippe, Qui videt me, videt & Patrem meum? Sanè neque ibi Verbum, Verbum ipſum diuinum eſt; eſt enim opus, facinus, quod factum eſt: præterquam quod videre, non eſt videre facie ad faciem; neque præterea Domino, aut de carne ſermo erat, aut de viſione, quæ iam fieret, vt innueret propterea, & qui videret carnem, & ipſum Verbum videre, aut ipſum iam videri ſupponere; neque enim ad hoc Verbum caro factum eſt, vt per hoc hominibus [1] reuelata facie innoteſceret; magis autem vt Verbum eſſet abſconditum; tan-

[1] *Paul.*

quam

quam & hamus tectus esca ad [2] extrahendum Leuiathan, aut Sol nube ad oculos in clarissima luce confortandos, vt [3] per visibilia agnoscerentur; nec opprimeret maiestatis gloria, quos ad se allice-ret caro. In quo quidem, carne contecto, atque velato Verbo, diuina magis prouidentia, sapientiaque reuelata magis resplenduit. Vnde meritò illi dicebatur, Ostende faciem tuam; nam facies non videbatur, audiebantur quidem verba, ex quibus agnosci posset quis esset, quæcumque cognitio sit, quæ ex verbis est; vnde illi confitebantur Apostoli. [4] Verba vitæ æternę habes. Sed vt qui post parietem stat, in quo cancellata fenestra sit, per quam aliquando se videndum prębeat, non ita, non videri, atque agnosci de facie dici potest, vt interdum non videatur aliqua ratione, non agnoscatur; ita & Verbum in carne, non ita se à carne tegi, velarique passus est, vt interdum tanquam rosa è folliculo non eruperit in manifestationem aliquam sui, & ex parte, si non totus colluxerit; videns ipse omnia per cancellos à se distantia, non omnino ab ipsis distantibus visus. Sensus igitur Virgini est. En modò venit, modò ego vidi stantem post parietem, nimirum in carne; respexique per fenestram cancellatam respicientem, nimirum sensi præsentię, & diuinitatis eius virtutem: agnouique volentem, nolentem per lusum agnosci, & videns in amorem exarsi. Sanè vera, & concinentia omnia: nam in quo Deus [5] Emmanuel est, quòd est, nobiscum, post parietem nostrum stat, iuxta nos. In quo autem Deus absconditus, non cernitur propter parietem, & in quo adhuc Sol est nube contectus. In quo verò in carne pertransiens est, & benefaciens omnibus, & respiciens per fenestras, cancellosque. Rursum in quo mox in carne apparens plorabit, post parietem erit, in quo canent illi Angeli, adorabitur à Magis, & pastoribus, prospiciens erit per fenestras, prospiciens per cancellos: in quo deinde circumcidetur, erit post parietem, in quo augusto apparebit dignus nomine, prospiciet, ac deinceps; longum enim esset prętexere, aut prosequi omnia, prærerquam quòd inutile, cum omnia vno concludi possint. In singulis ipsum actionibus huius vitę semper se vna significasse, & post parietem esse, & per fenestras, cancellosque prospicere; nimirum esse hominem, & Deum, quod esset, vt quod esset, exhalaret, suique qui esset in omnibus relinqueret vestigium. Nam vt sapiens homo in actionibus quibusque suis, se & hominem, & sapientem ostendit, ita ille cum Deus homo esset, sui in omnibus hoc specimen dedit, siue id ostendit hominibus, & Deum esse & hominem. Quamquam Deum quidem esse, alijs palàm, & apertè apparuit, alijs subobscurè, & incertò, aut melius cum certò omnibus, alijs plus, alijs minus certò, prout modò per fenestram alijs, alijs modò per cancellos apparebat; quo fit, vt non frustra sint illa, Per fenestram, per cancellos, neque idem putarim, sed duo in pariete fabulæ, quod omisimus. Et Virgini quidem vtroque modo apparuisse fas est existimare ludentem sponsum, & visiones sui variantem. Et modò quidem per fidem, quod est per cancellos; modò per speciem, quod est per fenestram, atque

[2] Iob.
[3] Paul.
[4] Eu.
[5] Is.

Sapiens se in omnibus sapientem ostendit.

Christus Dominus in omnibus in hac vita se verũ Deum, & hominẽ ostendit.

atque id cum in omni vitæ progressu, tum hoc tempore maximè, cum ad sponsam venit ludens; nimirum in Incarnatione, quo existimarem in hoc mysterio, siue hoc toto tempore, quo tantum est peractum diuinitus, humanitusque mysterium Dei, hominis, Virginem pluries ad altissimum gradum contemplationis erectam à Deo; pluries quidem, vt non sæpè per longa spatia, nisi semel sponso ludente, & modò per fenestram, modò per cancellos prospiciente. Id, quod à fabula petere licet ipsa, vt cetera; in qua cum per fenestram ludens, per cancellos prospexisset sponsus aliquandiu, & modò hàc, modò illàc pluries, videtur tùm demum stetisse, atque sponsam pluribus inuitasse; vt dicat memorans, En dilectus meus loquitur mihi; & iam longissima prætexit, recensetque multa, quæ ille fuerit locutus. Fortè animæ suæ Christus Dominus, vt Verbum, dum seipsum plenè videndum videt ab initio (si quidem ab initio anima illa beata) id fuit Virgini dilectum per fenestram prospicere, seque apertè prospectantem dare. Id, quod reuelatione scire potuit ipsa, aut scientia adhuc, & visione; dum verò sibi per transennam, prospicere per cancellos; vt ab initio Virgo Deum hominem factum non solum viderit, verùm hominem Deum ab initio operantem, siue largientem beatitudinem. Sed iam vbi diu multumque tibi sponsus tuus lusit, ò pulcherrima sanctorum; nimirum ita tecum egit in vtero filius, cum tui lætitię voluptate, qui tandem horum lusuum finis?

Christi Domini anima ab initio Beata. Et id cognouit B. V. & qua rationem.

En dilectus meus loquitur mihi.

Eodem sensu prolata, eademque admiratione. Subijcit autem verba, quæ audisset, vt intelligatur vera loqui, facit enim fidem si proferre possis verba, quo cum te dixeris fuisse. Videas apud Plautum verba relata à Sosia, vt credatur ipsi, se Amphitrionem, qui fuisset Iuppiter, allocutum, & ab Erotio Menchmi, maximo vt hic artificio.

Verba proferre eius, quo cum te dicas locutum, fidem maiorem facit.

* En dilectus, &c. Loquutus est mihi sistens parumper. Habemus nunc optimam fidem, cum possis verba proferre. Sanè ista locutio, inuitatio fuit ad diuinitatem videndam eo modo. Et quidem in instanti peracta omnia, nimirum Verbum caro factum, anima ipsius domini beatitate donata, erecta Virgo ad sublimiorem gradum contemplationis, vsque in visionem viuentis, & videntis Dei. Ceterum nostri caussa in fabula; vt fieri res hominum certis spatijs, & modis solent; narrantur, vt hinc naturæ, quas aiunt, prioritates saltem agnoscamus; nam primum quidem Verbum caro factum est, quod est fuisse post parietem; tùm operatum intelligitur ea omnia; quod est & prospicere, & loqui, & inuitare. Forsitan, cum sæpius dixerimus Virginem à Verbo prospectam, id spacijs temporum peractum est; vt inter visionem, & visionem, aliquid distauerit. Incertæ res, [a] verbum enim absconditum illa accepit, hausitque venas ipsas susurri. Quis cognouit præterea sensum Domini, aut quis consiliarius hac in re præsertim eius fuit? Multa nos excogitamus, quia multa in proxi-

In instanti illo Incarnationis Dñi, multa dignissima peracta.

[a] *Ex Iob.*

mum

mum aquæductum, ſemel erumpentem foras fontem deriuaſſe certò credendum eſt, imò & refudiſſe, & perſoluiſſe accepta carne ei, à qua accepiſſet, vinci neſcium beneficio.

In rebus B.V. non poteſt meta tranſiri, declaratur multis ſimilibus.

Dolemus, quod plura, atque maiora non veniant in mentem, quan do tranſiri metam requiri hac in re certò ſcimus: quo fit vt probationibus non egere, quę dicimus, videamus, præter ea, quę in fabula ſunt, quibus meritò ad excogitandum, & dicendum mouemur, quę fundamenta ſunt vt nobis, ita & omnibus excogitandi, quę illis reſpondeant, & quæ ad litteram ſit ipſorum expoſitio; nam vt qui iaciunt in cœlum lapidem, non timent nè cœlum, aut feriant, aut tranſiliant, certi quod longiſſimè aberit eorum iactus; ita & nos dicendo de Virgine non timemus, nè laudem, aut expleamus, aut tranſiliamus; certi enim ſumus, quod quæcumque dixerimus, ijs ſemper erit Virgo ſuperior, noſque longiſſimè aberimus, vt qua illa digna eſt laude, attigerimus. Aut ſicut, qui Romani Pontificis maieſtatem exponit, eiuſq; Curiæ, non requirit teſtimonium rebus, quæ enarrat, ſi quidem & illa, & illis longè maiora fas eſt vnumquemq; exiſtimare de amplitudine Vicarij Dei, & ſummi Principis; ita & nobis agitur hac in re; nam & neque nos requirere, neque à nobis requiri debet teſtimonium ijs, quæ de ſumma Parente, Principe vniuerſitatis, matre gratiæ, ac ſpei, ipſo dicente ſpiritu, qui ſibi illam exornandam ſumpſit, & prouehendam, dicimus; cum longè ijs maiora, quæ vt humana mente cogitari, atque enumerari poſſint, fas ſit exiſtimare conceſſiſſe eum Virgini, & dona, & priuilegia, & bona, qui ſibi in vtero illius nouem eſſe menſes corporaliter cum diuinitate, complacuit: qui adhuc pauca fuiſſet elargitus, ſi quæ dediſſet, humanę, aut Angelicæ adhuc mentis limitibus definienda dediſſet. Sed cum hoc loqui ſponſi ad ſponſam, ſit Dei inuitare Virginem ad beatam viſionem ſui, videamus, quibus ipſam verbis inuitarit. Sanè ni fallor, ijſdem, quibus non iam ad videndum per tranſennam, ſed perpetuò, vt ciuem, & domeſticam fuiſſet inuitaturus. Ijſdem verbis, verborumque & copia, & dulcedine, & in quo ſunt omnia amoris ſignificatione. Surge, propera, amica mea, columba mea, aliaque. Eo crediderim conſilio, vt duo per hæc ſignificentur, & alterum quidem, quod eſt, Beatitudinem per tranſennam, verè eſſe beatitudinem; Deumque pertranſeuntem videre, idem eſſe, ac ſtantem, videre, & manentem; cum per actum ſemper ipſe Deus videatur per eſſentiam, niſi quod ab illis, quod ij aiunt per actum, ab his per habitum. Alterum deinde Virginem per ea, & quæ ante geſſiſſet, & quę in ipſa Incarnatione; latè fusèque, & beatitudinem, & beatitudinis permanentis ampliſſimum, celſiſſimumque gradum promeruiſſe; quę ſic peramanter inuitaretur. Quod ſi non fuerit aſſecuta tunc, id illi per diuinam prouidentiam belliſſimè contigiſſe multas ob cauſas; & vt adiuuaret filium in negotio ſuſceptę prouinciæ ſalutis hominum, & vt latius excurrens campum virtutum, & gratiarum, ampliorem adhuc ſibi gradum in beata vita promeretur.

Deus Opt. quot modis videatur.

Sur-

Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

Amatoria nominum conglobatio. Sic [1] illa.
Nerine Galathea Thymo mihi dulcior Hyblę,
Candidior Cycnis hedera formosior alba.
Et illa: [2]
Mea vita, mea mellila, mea festiuitas. Sed nihil nostris, neque breuius, neque dulcius. Columbam videtur [3] ille dixisse suam, impuram immeritò.
Amabilis Columba.
Vnde vnde pergis, aut quò?
Sed hæc non tam mirum, quòd somnians somniarit, quàm quòd ea sint, quæ prima loqui debuisse ille videatur. Iacenti enim in primis, vt surgeret suadendum, tùm vt properaret, ad hæc amicis appellationibus, vt ab amante inuitari intelligeretur. Tum noua quædam, & peculiaria profert, quæ nunquam dicas somniasse.

* Surge propera, &c. Hæc sponsi verba, atque in his inuitatio, quæ omnia plenissima decoro; nam quòd, vt surgat, inuitat, terminus vnde euocamur ad statum gloriæ, significatur. Dum vt properet, medium, siue lętitiam, quę in nuncio felicitatis accipi fas est à quocumque. Dum verò amicam dicit, gratiam innuit. Dum columbam, operationem. Dum denique formosam, merita operantis. Rursum dum hyemem iam exactam: dum ver incipiens, gratias quę quidem tradendę fuerunt ab inuitante in beneficij commendationem. Hęc enim commendabilius faciunt bonum, vt à malo quis in bonum, à miseria ad felicitatem, ab hyeme ad ver transitum faciat. quod in humanis fieri videmus. Ad hęc dum repetit eadem inuitans, inuitationem amicam ostendit ab amore procedentem; dum verò inuitat in foramina petrę, in cauernam macerię, terminum, vel finem insinuat; nam dum ostendi sibi faciem ipsius poscit, & vt faciat vocem audire, operationem beatitudinis quærit; est enim in operatione beatitudo animę operantis. Vide quę rerum series, qui diuinus ordo, & quàm decora omnia. Et terminus quidem is est, vnde euocamur in beatam vitam, vt nos inde surgere oporteat; est enim humus, vita mortalis, carcer mortis huius, custodia, à quibus liberari poscebant, qui dicebant. [1] Educ de custodia animam meam. [2] Et quis me liberabit de carcere? Lętitia vero tanta accipi debet ex nuncio felicitatis, quanta non antea simul maior; nam qui lętior nuncius eo afferri potest, quo dicatur. [3] In domum Domini ibimus? vnde cum [4] Propheta in his, quę dicuntur nobis, lętemur. Iam verò gratia, & caritas amicam animam Deo faciunt, vt alibi sæpè dicimus, operatio columbam, fœcundam scilicet, & amori satisfacientem; vt omittam, quòd merita formosam; vt propterea dicatur. [5] Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Do-

[1] *Virg. Ecl. vij.*
[2] *Plaut. in Casin.*
[3] *Anacreon. de columb. H. St.*
Vitæ huius mala.
[1] *Psal.*
[2] *Paul.*
[3] *Psal.*
[4] *Psalm.*
[5] *Eu.*

Tẽpus legis hyẽs, tẽpus gratiæ ver.

Domini tui. Sed & tempus legis hyems fuit, tempus verò gratiæ ver, vt dicemus. Sed & est in repetitione verborum dulcedo, & amicitiç significatio, vt nos ipsi à nobis petere possumus. Rectè verò terminus, in quo anima est, per cauernam maceriç, vel foramina petrç, significatur; est enim [6] domus hçc lutea, & terrena inhabitatio, saxosa propter difficultates, cauernosa propter tenebras; si quidem in hac vita [7] angustię sunt nobis vndique; [8] semitas inambulamus, & duris in rebus versamur. Et præterquam quod à [9] Principe harum tenebrarum obsidemur, in tenebris sunt nostra omnia, [10] lumen Solis dum non videmus; quo non viso, [11] qui videt omnia, quid tandem ab illo aliud dici possumus videre? Quod si aliter hçc interpretari voluerimus, & non iam terminum à quo; quod Philosophi loquuntur, sed ad quem intelligere, vt non sit sensus, O quæ es in foramine, &c. Sed, Veni foramen petrç, aliaque, vt ibi annotauimus; adhuc & hic in foraminibus petrç, in cauerna maceriæ significatur beatitudo, in hoc, quòd aptus amoribus, quòd sepositus à perturbationibus, quòd vacans à molestijs, ac curis, & ab iniurijs cœli liber, propter quç & in Euangelio locus seorsim dicitur, in quo Christus Dominus transfiguratus est, & rursum [12] vbi neque esuritur, neque sititur; neque aliquid aliud patiantur loci habitatores in Apocalypsi, atque alibi; propter quç adhuc in [13] Psalmo nidus dicitur: Inuenit passer locum, & turtur nidum; nimirum Christus Dominus cœlum, vbi poneret nos filios suos, & ad felicitatem collocaret. Et reuera ita habetur res; nam ibi in cęlo suauissimè diuinis amoribus indulgetur à beatis, & tranquillissimè, quò nimirum non [14] appropinquant flagella, verita Dei tabernaculum; vbi beati extra omnem ictum, & iactum sempiterno bono [15] in sęculum sęculi laudantes fruuntur. Hic quidem sub dio degimus, & Ioue frigido; quod [16] ille ait; aut [17] in tentorijs, & tabernaculis, quibus est [18] militia vita super terram, [19] viuere labor, labor angustię; qui propterea nunquam in eodem statu permanemus. Sed dices, non in his miserijs Virgo fuit vnquam? Sanè suo modò in his, dum Deum non vidit; hçc enim omnia est status ille, quicumque, in quo vtique Deus non videtur. Comparatione autem res, aut crescunt, aut decrescunt, & comparatione quis, aut miser, aut felix est. Sed hçc in vniuersum, placet nunc singula expendere, & ad Virginem sic referre.

Vita hæc cauerna maceriæ, & cur?

[6] *Iob.*
[7] *Daniel.*
[8] *Psal.*
[9] *Paul.*
[10] *Tob.*
[11] *Ex Greg.*
[12] *Apoc.*
[13] *Psalm.*
[14] *Psalm.*
[15] *Psalm.*
[16] *Horat.*
[17] *Reg.*
[18] *Iob.*
[19] *Ex Aug.*

Beatitudo cauerna maceriæ, & cur?

B.V. non absolutè, sed respectiuè, quatenus non dũ Beata miserijs tacta in hac vita.

Surge. Sic ego mihi loqui modò sponsum, nunc rectè memini me inuitantem. Virgo loquitur. Surge, è gratia nimirum ad gloriam, vel vt philosophicè agamus, à non visione ad visionem.

Propera. Idque summi beneficij loco habe, atque arripe.

Amica mea. Plena gratiæ, & veritatis tuo modo, quç sunt amicitiæ fundamenta.

B.V. amica, & in quo? & cur colũba, & formosa, &c.

Columba mea. Operatrix amorum, & dilectionis.

Formosa mea. Plena meritorum, si quidem & me meruisti portare, & nunc meres in aspectum meum intueri.

Et veni. Ad videndum me.

Iam

Iam hyems transijt, imber abijt, & recessit.

Meminerit Hyberni temporis iam exacti. Iam hyems transijt. Penitus desæuijt, vel penitus excisa est.

* Iam hyems,&c. Tempus scilicet legis illud durum, atque asperum, cui non vtique patebant regna cœlorum, neque visio Dei.

Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit,&c. (*vsque ad* Columba mea.)

Veris descriptio. Putationis. Alij cantillationis. Ex eodem fonte vtrumque, quod [1] putantes cantillare soleant. Vtrumq; veris.

[1] *Ex Virg. in Eclog.*

Vox turturis audita est in terra nostra.

Turtur hyeme pennas amittere, occultariq. solet, teste [2] Plinio, [3] Athenæo, [4] Isidoro. Quando verò ex auditur, exactę iam hyemis signum est; Si quidem vocalis redit post hyemem. Vnde ad veris significationem [5] Poëtæ.

Nèc gemere aëria cessauit Turtur ab vlmo.

[2] *Plin. l.* 10. *c.* 24.
[3] *Athen. l.* 9.
[4] *Isid. l.* 12. *c.* 7.
[5] *Virg.*

Ficus protulit grossos suos.

Et hi veris indices, non quicumque, sed qui maturescunt, nam præcoqui pro flore sunt.

Vineæ florentes dederunt odorem suum.

Idem. Surge amica mea, (cum [6] Patre scilicet florum florida) speciosa mea, & veni. Crediderim coniugio exspectatum ver, ideoq. somno datam, hæc de vere sponsam somniasse, quæ de vere vigil sæpè cogitasset. Nescias autem, aut quanta somniare potuerit, aut quo spiritu cuncta proferre.

[6] *Ex Anacreon. verba.*

* Flores apparuerunt, &c. Tempus nimirum est veris, tempus gratiæ placidum, hilare, exoptatum omnibus, atque amabile; vt mirari non debeas, si à gratia ad gloriam euoceris; [1] Gratiam enim & gloriam dabo Dominus. Et notanda veris descriptio, quæ gratię est pictura; nam ver à signis aduentasse iam ostendit. Et quidem signorum duo genera profert, alterum, quod à natura est, alterum, quod est ab arte. Ab arte enim est illud, Tempus putationis aduenit; nam cetera à natura, tria. Eruptio florum. Flores apparuerunt. Vox animantium. Vox turturis. Et germinatio fructuum. Ficus protulit grossos suos. Dices, quæ nam hæc signa gratię aduentantis? Crediderim (quod antea Angelus fecisset) voluisse per hæc Domini Matri de Ioanne Baptista significare, qui præsentia sua mox esset sanctificandus; vt sit sensus, Iam præcursor in vtero Matris est, Flos quidem, non dum fructus terræ Elisabeth matri suæ, ac grossus, non ficus; non dum scilicet muneri suo pręcursoris aptus, atque maturus; atque idem per ea, Vox turturis audita est, vt turtur Ecclesia sit, vox clamans

[1] *Psal.*
Gratia ver, & cur?

clamans Ioannes; vel turtur ipsemet Ioannes, cuius vox, ipse ortus in vtero. Nisi dicere velimus, quòd prophetica sint hæc, vt multa alia, sic per præteritum prenunciata, vt sit sensus: iam mox apparebunt flores innocentes, scilicet flores, & Martyrum, & Sanctorum gratiæ, iam vox audietur turturis cantantis, & exsultantis ad meum aduentum Ecclesię, prophetantis Elisabeth, exsultantis in vtero infantis: iam & adueniet tempus putationis vitiorum, & verę circumcisionis cordis; & ficus Synagoga, siue lex sterilis, in fructus, nimirum in gratiam erumpet. Quicquid sit gratię descriptio, est in verè; cuius quidem interpretationem optimam, vt aliorum, cùm reperire ipsi non valeamus, aliorum omittimus gratiæ, & deuotioni; neque enim omnia omnes possumus, & distributor est Dominus gratiarum; præterquam quod nos hisce, non tam eò intendimus, vt rem attingamus, quàm vt viam faciamus, quò attingatur; nec tàm vt absoluamus ipsi, quàm vt alijs adumbremus. Sed si ad Ioannem referamus omnia; sanè in Ioannem quadrabunt, quę veris sunt; ille nimirum primitię, aut signum gratię aduentantis, cuius nomina omnia id ipsum significant, quòd gratiam, siue largitorem gratię prenunciarit; nam quo tendunt ea nomina Angeli, precursoris, nuncij, & quę de eo à Prophetis dicta sunt?

Ioannes ver, & cur.

Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.

(Columbationi accommodum verbum) amans animal Columba; vnde amoris symbolum. [1]

Non me Chaoniæ vincant in amore columbę.

In foraminibus petrę, &c. Incertum sensum facit status. Alij, eris; subaudiunt, vel erit tua mecum habitatio. Reperias pastorem sic inuitantem ad se Ecloga ix. [2]

Huc ades, ò Galatæa, quis est nam ludus in vndis?
Hic ver purpureum, varios hic flumina circum
Fundit humi flores, hic candida populus antro
Imminet. Alius. [3]

Æthna mater mea; & ego pulchrum antrum inhabito concauis in petris. Non in antrum alius, at ad vmbras eodem consilio.

Et lentę texunt vmbracula vites
Hùc addes. Sed alijs aliter sensus. Iunguntur hęc cum columba. Columba mea, quę nunc es in foraminibus petræ, in cauerna macerię, iam egredere, & veni. Sponsa iacebat in lecto stragulis cooperta, vt eius facies videri tota non posset; vnde sponsus illam apta comparatione similem dicit esse columbę, quę in foramine, aut cauerna residens tota spectari non potest. Pro foraminibus LXX. tegumento petrę, vel tutela, quòd aues in his tegere se, ac tutari soleant. [4] Placet illa in vnum nidum conspiratio.

* Columba mea, &c. Vel scilicet, quę es in foraminibus petrę; ita

[1] *Prop. l. 1. ad Pontic.*
[2] *Virg. Ecl. ix.*
[3] *Theocr. Idyl. 9.*
[4] *Plaut. verba in Merc.*

ita ſtragulis tecta, ac coo perta, vt columba in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ videaris, nimirum in carne bellè aſpiciens cœleſtia, & in mortalitate decorè diuina contemplans. Vel ſcilicet veni, vt mecum ſis in foraminibus, in cauerna; mecum ſcilicet in amoribus meis; coram [1] me miniſtrans, quieſcens in me, & procul à moleſtijs terræ degens feliciter in cœlo.

[1] Ex Sap.

Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.

Septuaginta auditam fac mihi vocem tuam. Fac ſcilicet, vt audiam loquentem, vel canentem.

* Oſtende mihi, &c. Pulchritudinem animæ, & gratiæ tuæ, quam lumine gloriæ inſuper incendam, atque colluſtrem; qua ita incenſa, atque colluſtrata delecter. Id, quod Propheta ait. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

Sonet vox tua in auribus meis. Veni ad laudandum me coram, ad loquendum comminus, ad cantillandum cum Angelis, longè Angelis ſuperior. Vel, operare beatitudinem, quæ in intelligendo eſt, & in amando, quorum vtriuſque vox effectus; nam & per vocem, quæ intelligimus exprimimus, & quæ adhuc ſentimus. Vnde oratio interiorem exprimit orationem. Cantillatio verò cantillationem, quæ in corde fit; eſt enim cordis quædam exſultatio. Et in intelligendo quidem Deo, atque amando, beatitudo eſt rationalis creaturæ, vt latius alibi.

Beatitudo in intelligendo, & amando.

Vox enim tua dulcis.

Septuaginta ſuauis, [1] medicina noſtris malis.

* Vox enim, &c. Nūc quidem per gratiam dulcior in gloria futura.

[1] Prop. rt. l 1. Ad Gal. nec leuis in verbis eſt medicina.

Et facies tua decora.

Quantum hic, & alibi, in voce hac, decori. Longè aliter ille laudator apud [1] comicum.

Cum faciem videas, videtur eſſe quanti vis pretij.

At non decori. Decorè autem & vox, & facies ſimul iuncta, ipſorumq; laudes. Sic & alij. [2] Dulcis quid os tibi, & deſiderabilis ò Daphni vox, melius modulantem te audire, quam mel lingere. Quin viſa alicuius facie, ſtatim inceſſit illud, loquere, & cognoſcam.

[3] Hac ego compulſus non eſt mirabile (inquit ille) forma.
Si pignus volui vocis habere tuæ.

Crediderim ideo coniuncta, quòd rara; vnde maxima laus cantantis, cuius tamen facies nihil indecori patiatur, ſiquidem argumentum naturæ plurimum, cantu valentis. Vnde & auium, quæ ita valeant nulla contorſiones oris, contrà quæ non valeant multæ. Id quod & in hominibus cernere eſt, quamquam raro, nec ſine nota.

Hactenus per ſomnium ſponſi in auribus ſomniantis verba.

[1] Ter in And.

[2] Theo. idyll 8.

Vox, & Facies in re muſices decorè coniuncta, & in quo aut Cur?

[3] Ouid. in Aten.

* Et facies, &c. Apta maiori lumini ex præsentia diuinitatis. Dulcia, & decora omnia. Audire mihi à latere videor, quibus non placeat anagogia, qui allegoriam magis sapere velint; inuitantis quidem hæc videri, non tamen ad gloriam, sed ad gratiam. Sanè horum gratia, quibus nos adhuc debitores sentimus, ad gratiam referamus, naturæ stupore, & admiratione, quòd ita in gloriam quadrent, vt & ad gratiam commodissimè referantur; nec ita angusta sunt, & definita, vt vno circumscribantur. In quo optimè, quem auctorem habeant, nimirum quòd is sit Deus, ostendunt; eius enim [1] erit facere vtraque vnum, dimetiri vno plurima, & vno in plura collimare.

[1] *Apoc.*

Sed ad gratiam referentes retexamus historiam.

Ecce iste stat post parietem. Recolamus autem pauca de fabula, & de historia simul. Sponsa igitur, quæ per vigilias viderat, somnians per quietem, semi adhuc sopita, ac si iam videret, enarrat de sponso, & sponsi aduentu. Et Virgo, quæ antea quàm verbum carnem indueret, gesta essent, videns in verbo, & per somnium altissimæ contemplationis, vigil, modo tamen à contemplatione illa reuocata, inter cælum, quod aiunt, terramque, pronuntiat. Et dum illi modo adfuisse sponsus videtur post parietem &c. huic modo vidisse in verbo Verbi aduentum videtur. Vnde ait.

Ecce iste modò stat post parietem, prospiciens per fenestras, respiciens per cancellos. Secundum quod, non possunt hæc intelligi de Incarnatione ipsa, sed de gestis ante Incarnationem. Et quadrat, nam hæc, quæ ante gessisset desiderari poterat, vt enarrarentur. Intelligit igitur aduentum verbi ad ipsam, non dum in ipsam ingredientis, sed ad consensum præstandum inuitantis. Et fingitur quidem ita nobis, atque ita depingitur; vt per hæc intelligamus, verbum quidem optasse, atque voluisse carnem fieri de Virgine, at non de nolente, aut de nesciente, sed de sciente, & edocta, quid ageretur. Secundum quod fuerat prophetatum, [2] Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiscet Rex speciem tuam. Sensus igitur est. En iste modò mihi stare visus est post parietem, longè scilicet à me, non dum me osculatus, quamquam prospiciens per fenestram, respiciens per cancellos; nimirum irradians in animam meam, meque consideratione pulcritudinis ad beneuolentiam, atque amorem alliciens, & ad consensum in osculum. En ego ita loquentem, atque hæc ferentem accepi: Surge è sterilitate, & sterilitatis proposito, quamquam non è virginitate; ac propera lætanter, ac festinè &c. Iam hyems transijt. Eodem sensu tempus legis, ver venit, tempus gratiæ. quod [3] in Psalmo, Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, dicentis scilicet: [4] Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum. Hæc si ad gratiam referamus. Siue autem ad gloriam, siue ad gratiam referamus, vtrobique de Ioanne Baptista vera sunt. Quod quidem non leuiter aduertendum est; nam & ad intelligendum, quæ sequuntur maximè faciunt, & præterea principalis Virginis actio, quę fuit

Verbum voluit ex Virgine volente, & consentiente carnem assumere.

[2] *Psal.*

[3] *Psal.*

[4] *Euang.*

fuit in Ioanne sanctificando, non fuit tacitè prętermittenda. Quòd igitur Angelus monuerat Virginem, filium è sterili, & sene conceptum divino miraculo; id ipsum verbum eandem monet sub veris descriptione, vt ver ex hyeme, Ioannem ex Elisabeth conceptum, præcursorem, Angelum, nuntium suum; qui esset lætitiam multis allaturus. idque eo consilio, vt ad inuisendã Elisabeth, & ipsum Ioannem sanctificandum, quod illa sensit, inuitaretur. Atque hoc est, quod sibi idem propheta per os alius prophetę iactat summæ glorię loco. 5 Dominus ab vtero vocauit me: De ventre matris meę recordatus est nominis mei. Hactenus per somnium sponsi in auribus somniantis verba; quia nimirum hactenus per contemplationem, & visionem in anima Virginis reuelata mysteria, quę quidem sponsa loquitur, dum adhuc sibi iam videre videtur, quia Virgo commemorat, dum postquam destitit diuinam videre essentiam, meminit adhuc illorum, quæ in illa visione cognouerat per aliquas intelligibiles species habitualiter ex hoc in eius intellectu relictas. Sed hęc dum sponsa agit, aut refert, vulpibus inclamatur, illis.

5 *Hierem.*

B. Virg recordabatur visionis Dei & quo pacto?

Capite nobis vulpes, quæ demoliuntur vineas.

Scœna Secũda. Aliqui Intus clamãtes, siue Chorus Puellarum, siue alij.

Incertitudo, cui nam hęc tribuantur personę, facit, vt omnibus tribui posse videantur. Videntur ipsius sponsę, quæ per idem ipsum in somnium, audiens illa (Vineæ florentes,) surgere nolens, iocata cum sponso sit, & quasi de florente vinea sua sollicita, illum ad vulpes capiendas remiserit. Ac si dixerit: Vtquid igitur tam securus es, si floruerunt vineæ, non magis de vulpeculis cogitas capiendis. Iam si vacat, quando & vacat, & mihi floret vinea, has cape. Hæc autem nunc ita interrupto refert ordine, itaque nullo contextu; quòd adhuc non probè sit è somno excita.

Videntur & sponsi, qui à vocanda ad se sponsa nouo sit incommodo reuocatus, & ab amoribus aspectu vulpecularum ad bella coactus. Videntur adhuc intus maximo decoro dici, à quibuscumque. Dum enim hęc sponsa refert, & vigilijs tribuit, pro scæna: Ecce intus rumor excitatur à rusticis, & bubulcis, opem, auxiliumque implorantibus; vt nunc fit, cùm lupo, aut vulpibus inclamatur. id quod magis crediderim. Atque id magis decorum. Plura sponsa dixerat, plura dictura erat. Fit interruptio; At quàm ad rem! vt ver significetur, & vera quę de vere in somnijs dicta videantur, quaque de florentibus vineis, & vt defixa in amore sponsa exprimatur. Et fauet quòd Hebræi vulpes, vulpes habent ingeminato nomine. Atque si hoc est, noua scœna vtique est, breuis illa quidem, at quàm iucunda? Sed fortè ad vocem sponsam ipsam festinantem accurrisse (sanè id mysterio accommodatius) & capiendis vulpibus maximam partem extitisse.

Sed & ipsis puellis vt tribuamus, decori eadem facit ratio, quæ rideant somniantem, & audito de florentibus vineis, se suis propterea timere ostendant à vulpeculis; qua occasione interrumpatur ex vnius loquela fastidium. Quodcumque horum sit, exstat decorum, nec vul-

[1] *Iud.* 15.
[2] *Idyll.* 5.
Vulpibus frequēs Iudæa.
[3] *Adagium.*
Vulpes perniciosæ vineæ, vnde Consilium paruulas capere.

peculæ abs re. Frequentem Iudæam vulpibus ostendit [1] Sampsonis historia; has autem perniciem vineis florentibus [2] Theocritus, poëticè. Consilium autem paruulas capere, nè annosiores non capiantur, consilium, & clamor vt aufugiant saltem territæ: Fures enim, vt est adagium, [3] clamorem maximè timent.

* Capite nobis, &c. Quia nimirum à peccato originali Ioannem Baptistam sanctificandi fit sermo, siue ab ipsamet Virgine audito de illo, vt in fabula à Sponsa, audito de vineis florentibus; quæ scilicet ipsum sponsum Dominum roget, vt vineam florentem à vulpium incursibus, nimirum Ioannem à peccato mundet; siue à sponso ipso, nimirum Verbo, & Deo homine, qui sit ad Ioannem sanctificandum vulpium aspectu, nimirum scientia peccati originalis, quo ille tenebatur, commotus, & ad idem post se sponsam studium incitarit, nimirum, Virginem, à contemplatione reuocans ad actionem, nosque interea docens, atque instruens: nam ipse præcipuè ad sanctificationem præcursoris accurrit, à quo omnis est sanctitas; tum post ipsum Virgo Diuinorum ministra optima, atque proxima, non effectrix. Siue à rusticis intus, nimirum ab ipsis parentibus, alijsque, aut si malis Angelis, qui id sibi postulare decore sit, vt introducantur, vt vulpes à florentibus vineis extermineutur, peccatum scilicet à Ioanne. Siue denique à puellis, sacris litteris, quæ adimpletionem sui, sicut prophetatum fuisset, exposcere videantur: nam quod in vtero fuisset ille sanctificandus, exstant multo ante latæ prophetiæ, & Isaiæ, & Ieremiæ, & aliorū. Quò enim alio tendunt ea. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. & rursum. Et nunc dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi. Ad hæc, Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te, aliaque? Et sanè, vt in fabula, decorum habent hæc, cuicumque tribuantur: nam à scripturis quid aliud exspectari potest, si loqui possent, vt optent, quam vt adimpleantur. Iam vero ingemiscit, & parturit omnis creatura omnem sanctificationem nostram. Angeli ad hæc, si ipsis reuelatum est de Ioanne, vt ducere in terris colonias optant, vt socios habere sanctitatis, nihil hoc habent antiquius: nam quid de ipsa Virgine parente optima credendum est, quæ ad hoc se sensit plenam gratiæ, vt foras redundaret latices suos; atque ad hoc ipsa, vt sol incensa, vt incenderet stellas: vt omittam de ipso Christo Domino dicere; qui ad hoc [1] venit à patre, id sibi munus habuit, atque studium sumpsit; cuius propterea hac singularis voluntas, sanctificatio nostra. Et rectè per vulpes peccatum originale significatur; siquidem cum sit vnum, plura virtute est; secundū quod [2] Dauid in Psalmis de se ait, In iniquitatibus conceptus sum; omnem præterea animam inficit, præterquam quod in peccato primi parentis, quod per originem traducitur, plures deformitates, inobedientiæ, gulæ, aliorumque exstitere: nisi dicere velimus, quod consuetum est sacris litteris numerum pro numero ponere. Vnde Matth. 2. illud, [3] Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri, quo sensu, & illa ipsa interpretamur; In iniqui-

[1] *Euang.*

[2] *Psal.*
Petrum originale rectè per vulpes significatum.

[3] *Matth.* 2.

iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Rursum, sicut vulpes florentibus nocent vineis, cum florere iam incipiunt, ita peccatum originale animabus, & hominibus statim cum incipiunt rationali anima infusa viuere; vt prius damnum agnoscas, quam videre possis per astutiam irrepsisse. Et notandum, quod non ait, Capite vulpes, ne ingrediantur, & irrumpant; sed, quæ iam demoliuntur vineas; vt iam incurrisse Ioannes peccatum illud, atque illud malum significetur. Et est capi vulpes in Ioanne, peccatum originale auferri; eique tantam gratiam dari; vt deinceps peccatum nullũ admitteret; neque mortale quidem, quod certum est, neque veniale ex voluntatis plenitudine; nam incertum de ijs venialibus, quæ per surreptionem admittuntur, fomite non ligato vagante, & recalcitrante; magis autem certum, quod sic. Dices, quæ tanta his sollicitudo, vt vulpes caperentur, ne malum, non magis, vt operarij in vineam inferrentur, vt bonum afferrent? nimirum vt peccatum originale auferretur à Ioanne, non magis, vt Spiritus sanctus esset in illo, qui illum operaretur? Sanè & id in votis fuit, non est autem id expressum, sed illud; nam illud prius, hoc posterius, hoc ad illud consequebatur. Nam cui tantum boni Spiritus sanctus concederet, vt auferretur ab illo malum, vel ex vtero matris singulari priuilegio manifestum est, quod & vt bonum inferretur, esset concessurus, essetque ipse ad illum, facturus ibi mansionem, conuolaturus. Id, vt in votis fuit omnium, atque vt ab omnibus communi consensione inclamaretur, & optaretur, factum est; nam à sponso itum ad Ioannem sanctificandum, quod est ad vulpes capiendas. Sed decorè leuiter tactum, tamquam non ad rem faciens nostram, sed per transennam.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.

Sponsa ad sponsum reuertitur, sponso ad minas subirascitur, dum interea [1] lapillos mordet, quare ait. Dilectus meus mihi, & ego illi reponam: iam delusit ille me. Ego grata vice illum, & mihi sunt vires, & [2] acuminatum est telum. Decorè autem, & amanti accommodatè, dum si intus fit strepitus, & vulpibus inclamatur, nihil audit, sibi, suoque amori intenta; aut si audit, nihil tamen propterea, tanquam de re, quæ intersit, commouetur.

Scœna Tertia. Sponsa.

[1] *Adag. ex Arist. in Rhet.*

[2] *Adagiũ id est* & ego lædere possum.

Lapillos mordere Adagium quid? Acuminatum telũ habere Adagium quid?

Qui pascitur inter lilia, hyronicè reprobantis, qui se scilicet dicit rusticatione maximè delectari, & tanquam pasci, esse inter lilia. Est igitur sensus. Quando mihi rusticationem præfert.

* Dilectus meus, &c. Sanè in fabula, si rectè meminimus, hæc sic cohærent, dum significatur Sponsa, illa post vulpes inclamationem, cursuque, nihil à sponso abalienata animo, magis autem in illum intenta, vt non modò amorem, vt antea, verùm etiam delitias amoris eructet; nimirum, quod amoris igni ros est, & aquæ aspersio, queratur de illius absentia, & minitetur; iam vero in re nostra sic. Dum &

Virgo describitur actiuę vitæ studijs progressionibusque, in montana cum festinatione ad Ioannem exsultare faciendum in vtero, & florere, quin & germinare gratijs, ac virtutibus; nihil à studio contemplationis, & à dilectione dilecti propterea deficiens: magis autem illi cogitatione defixa, non quidem vt antea visione beata; sed amore, ac caritate, vt communiter, quamquam non communi lege, ac mensura. Et quid tandem ait? queritur de visione illa interrupta, subtrahente se Dilecto, diu diuinam præsentiam sui. Dilectus, inquit meus mihi reposuit, & ego illi.

Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.

Vel pascitur inter lilia, totam noctem aut diem. Vel vlciscar ego illum, antequam aspiret dies, &c. statuerat secum iratior, crediderim, si sponsus iterum aduenisset, vt venturum certò ab amantis ingenio autumabat, se homini nihil responsuram. Incertum autem his vtrum nox, aut lux significetur. Ita in hac vita in incertitudine rerum versamur, & tenebris, vt quæ ita diuersa sint, vt simul esse non possint; nesciamus an lux, an tenebræ significentur. Alij igitur de occasu accipiunt. Vt sit sensus. Donec recedat dies, maioresq; cadant de montibus vmbræ. Alij de ortu. Donec respiret dies, illucescat, & inclinentur vmbræ solis aduentu. LXX. Donec respiret dies, & amoueantur vmbrę. Hoc & mysticis accommodatius, & fabulæ. Nam deinde noctu ante solem venit, vt dicemus, sponsus, noctuq; quamquam sui incommodo, & pœnitudine, vlta est amanter sponsum, dum roganti aperire, paullulum immorata est.

Incertitudinis intelligentiæ rerum in hac vita, quod argumentum?

ʳ Donec aspiret, &c. Si antequam aduesperascat, antequam absoluatur cursus vitæ huius: si verò antequam illucescat, idest, antequam scilicet, veniat dies æternitatis eius. Et sensus est, Antequam moriar, dum viatrix ero; vt ille à me recessit, Ego aliquando illum non recipiam. Quod quidem non ita intelligendum est, quasi fuerit hoc sensu à Virgine prolatum; sed vt in hoc, vt dixi, amoris delitiæ, & teneritudinis inter ipsos significentur. Et eodem sensu hyronicè, amatoriè illa sunt, Qui pascitur inter lilia; quorum diximus sensum esse, qui rusticatione delectatur; scilicet qui se dicit aliorum natum vtilitatibus, & saluti. Atque hęc per amorem dicta; ostendunt statim, quę subdit; nam vehementiore incensa cupiditate, quàm antea ait.

Reuertere, similis esto dilecte mi, Capreæ hinnuloque ceruorum super montes Bether.

Optantis ab amore reditum sponsi, Certum. Incertum an eodem sensu ad peramantem vindictam, an delitias. Sensus, Age iam dum, vt facis, vt libet, capream, hinnulumq; egisse: faciam, vt pœniteat. Reuertere eodem ingenio, eodemq; celeritate. Minarum pertæsa, statim mutat sententiam, & bene ostendit amatoriè se comminatam: Quare rogat, vt qui celerrimè abierit ab ipsa, ad ipsam celerrimè reuer-

reuertatur.[1] Si hùc item properes, vt isthuc properas, facias rectius. Et: Si [2] qua mei habet te cura, venito. Cui hæc lux toto iam longior anno est, dum exspecto. Itaque si non medio, vt [3] ille ait, sermone stetit lingua, iam mutauit vota, pertæsa.

[1] *Plaut. verba in Merc.*
[2] *Ex Virg. Eccl. 7.*
[3] *Torq. Tass.* E con la voce in voto, &c.

* Reuertere, &c. Eodem scilicet ingenio, eademque per transennã, & per modum actus manifestatione tui, vt fecisti, te iterum aliquando bonum, delitiæ, voluptas, finis desideriorum meorum, manifesta, atque ostende. Id, quod impetrare sibi, ita rogans, atque postulans, promerita est; nam non semel à visione illa, antequam moreretur, siue antequam Thalamo æterni Sponsi in æternum coniungeretur, in hac vita Deum per essentiam vidit, vt dicemus. Et fit eo argumento; nam si antea vidit, ac nunc, non est ratio cur iam incarnato verbo, ac nato, eiusque obsequijs, & famulatui per totam vitam se deputans, sit hoc priuilegium aut demerita, aut saltem, crescente in dies, & augescente caritate, ac promeritus, non denuò promerita. Equidem ex eorum sum numero, qui quotidie putem illam [1] in habitatione sancta coram illo ministrasse, ac quotidie [2] fluminis impetu, sanctissimam ciuitatem letificatam; nimirum eò contemplationis euectam Virginem, & dum in ea verbum fuit, [3] splendente terra à maiestate eius, & post lucem, vestigia presentiæ suę defigente. Nam quid non fas est existimare de illa, quæ in societatem, & in collegium diuinitatis ascita est, admiratione gratiæ ipsius, & ipsorum miraculorum stupore. Atquid tribuere veremur ei supra ceteros, [4] cuius in montibus, ceteris sanctis poni voluit Deus fundamenta. Aedificium verò ita erigi, atque extolli, vt infinitatem ipsam, atque immortalitatem attingeret.

B. Virg. Post incarnationẽ sæpius vidisse credenda diuinam essentiã per transennam.

[1] *Sap.*
[2] *Psalm.*
[3] *Ezech.*
[4] *Psalm.*

CAPVT TERTIVM.

In lectulo meum per noctes.

CApitis, non item actus initium; adhuc enim in secundo versamur, noua autem scœna; Si quod reor magis. Hactenus sponsa sola locuta est in scœna, nunc autem primùm in hoc actu chorus puellarum ad clamorem intus excitatum à timentibus sibi à vulpibus, prodeunt commotæ, sponsamque offendunt in scœna. Quod quidem videmus, quàm deceat, & quid habeat pulcritudinis. Sed nos maximè, quę hoc capite continentur, insudauimus intelligendis: Faxit Deus optimus labori respondeant, quæ feremus. Et somnia multa habent inuolucra, etiam cum narrantur nobis, & maximè fœminarum. Quid igitur mystica? Scio & alios hęc eadem defatigasse. In primis hoc initium, quod vt filum Dedalicum, nisi manu apprehendamus ipsum, laberyntho vtique non euademus. Rogandus Dominus, ne aberrare incipiamus, nè paruus in magnum errorem euadat. Hic

Mulieribus familiare narrare somnia.

Somnia vt naturalem constitutionem, ita & affectiones maximè declarant. Et cur?

[1] *Lege Tull. de somn. Scip.*

igitur, nisi fallor, per artificium resipiscit iam sponsa: incipitq; somnū recognoscere. Obuia autem puellis ad clamorem venientibus facta, sumit sibi ab ingenio feminarum, & puellarum, maximè sponsarum, occasionem somnium enarrandi. Certe decebat maximè hoc diuinum Drama, cui deesse nihil artifitij debebat, insomnium; Vt enim naturalem constitutionem, ita & animi affectiones insomnia maximè declarant; fit enim, vt quibus delectemur die, aut quę nobis cupimus, hæc per [1] quietē obueniant. Nihil igitur vim, atque efficacitatem amoris, quo erga sponsum erat sponsa, apertius poterat, quàm insomnium repræsentare. Sed &, vt dixi, maximè decentes fabulæ gaudent insomnio. Orditur igitur sponsa narrationem somnij, in quo non modò studia ipsius, & mores apertè intuearis, verum, vt in alijs; videas adumbrata ea, quæ modo futura sint.

* In lectulo, &c. Hic locus & habuit in fabula difficultates, & habet nunc in re, atque in historia maiores: quare si modò defatigauit scribentem, & nunc applicantem defatigabit. Diuinum itaque vt ibi, & hic, quo nos egere fatemur semper, auxilium implorandum, fidendumque maximè, quòd qui dedit incipere, dabit & perficere, cum semper, tum maximè cū maiores insurgentes difficultates videntur omnē auferre perfectionis spem, & diem è medio tollere. Sane Dei perfecta sunt opera, perfecteq; operabūtur instrumēta, si se summo artifici tractanda, atque mouenda præbebunt. Quod si adhuc deficere nos in aliquibus ille voluerit, itaque deficiētes omnibus apparere, siue vt humilitatem agnoscamus nostrā, siue adhuc vt sublimitas rerū suarum probetur; in hoc ille nobis benedicendus, & summis laudibus efferendus. Bonum [1] nobis cum humiliat nos, faciatque vt sciant omnes, quoniam homines non solum Deo non comparabiles, verum & ab illo seiunctissimi, & longissimi sumus. Hic igitur si sponsa per fabulæ artificium resipiscit à somno, incipitque somnum agnoscere, certè per veritatem Virgo redit à contemplatione altissima, proponiturque nobis tanquam à somno, ab illa excita, vt illius profunditas significetur. Quòd si illa incipit somnum agnoscere, certè hæc nobis contemplationem recolit, & admiratur, agnoscitque se per contemplationem multa agnouisse. Obuia fit illa, vbi vulpibus inclamatum est, puellis venientibus, alijsque accurrentibus; Hæc, vbi ad Ioannem sanctificandum ventum, Elisabeth salutanti, alijsque domi illius. Et sumente illa optimam occasionem somnium enarrandi, quod somniarat, hæc occasionem sumit ea, quæ in contemplatione ipsi euenerant, enarrandi, & quæ secum gesta fuerant diuinitus. quæ rectè per somnium exprimuntur, siue quietem spectes, siue dulcedinem, siue adhuc altè menti defixas rerum imagines, & simulacra. Illa ipsa mihi videntur hæc, quæ Virgo paucis inuoluit in laudes erumpens ad tactum, & ad concentum commendationis diuinæ largitatis, & beneficentiæ, cum scilicet ab Elisabeth salutata est. [2] Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei. Magnificat anima mea, &c. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Vel alia; quæ illi de se enar-

[1] *Psalm.*

[2] *Luc.*

enarrasse pium est existimare toto illo temporis decursu, quo fuit apud illam, quæ Euangelistæ non enarrarint. Nam credibile est, familiariter Elisabeth alia quæsiuisse, atque alia Virginem respondisse. Et decebat maximè, vt somnium scœnam, ita enarrationem rerum Virginis, atque historiam, contemplatio altissima, qua illa fuerit, aliquando detenta. Quid enim cum vita enarratur Sanctorum, auditur suauius. quàm cum visio aliqua, aut prophetia, aut excstasis, aut raptus proponitur? propter quod pro magno habuit propheta, vt diceret futuris temporibus, 3 somnia, & senes, & pueros, atque adeo nostros omnes somniaturos, & visiones visuros. & summæ laudis loco dicitur de sanctis, quòd 4 in lege Domini fuerint meditati, quòdque repleti spiritu, & in nocte 5 per visiones nocturnas à Domino visitati. Enimuerò per hæc superioribus iungimur, & homines Angelis pares euadimus. Mihi quidem cum lego, quod annulo gemma, quod ver anno, quod veri rosa, videtur in Sancti cuiusque historia visionis narratio, & creaturæ cum Creatore os ad os collocutio. Sed vt sponsa, somnium narrantis, mores apertè in somno cernuntur, præuidenturque multa, quæ mox illi sint euentura; ita & Virginis, visionem, siue reuelationem referentis, mores legũtur in ijs, quæ refert, & studia, & amores omnes, totusque fermè ipsius vitæ cursus, aut eius præcipui quidã actus habentur, tanquam in tabella delineati, aut in libro descripti. Nam vt somnus ad quietem datur à natura, ita & reuelatio ad voluptatem à Deo naturæ auctore. Est autem in hoc maxima voluptas, vt quæ quis gesserit videat, tanquam in speculo per reuelationem, aut visionem; futurorumque exitus moneatur, si sint felices futuri. Vnde & in prophetiæ vsu voluptas, & longè maior in ea, à qua prophetia deriuatur, beatitudinis luce, & Dei per essentiam reuelatione. Prudentissimè igitur, & sapientissimè à summo artifice, & in fabula somnium inductum, ad sponsę; & in historia reuelatio, ad Virginis mores agnoscendos. Quæ cum ita habeant, magnaque nos ardeamus siti, & æstuemus, sciendi, Et quid ante tempora Incarnationis Virgo egerit, & quę fuerint eius studia, ac quò, & quàm ardenter conuersi amores? Et rursum, quid deinde ad finem vsque vitæ? propè est, vt dicere meditantem precemur enixè, atque obsecremus, vt dicat; intentos nos interea admirationi, & si quid fieri poterit, imitationi reddentes. Iam dicentem ebibamus.

3 *Is.*
4 *Psalm.*
5 *Iob.*

Visio rectè per somnium, & Cur?

In lectulo meo per noctes.

Miraberis nullum factum à salutatione exordium? Nullum est sibi intentis, presertim apud familiares, vehementique cogitatione defixis. Rursum nihil prodeuntes puellas loqui? preuenit amans. Ad hæc nullam somnij fieri vocem? Ita ex more feminæ. A lecto, à nocte ordiuntur. Abstinent somnij nomine, nescias qua ratione, nisi quòd tanquam cui fidem habeant, aut verum velint, narrant. Sępe puer animaduerti sic orsas: Hac nocte fui in templo, aut apud fontẽ illũ, vel illũ. Dixisses historiã. Eo à natura artifitio sibi attento faciũt audientes.

Mulierum in somnijs enarrandis multa familiaria, & quæ?

Nostra

Nostra igitur adolescentula, à qua nihil adolescentularum [1] alienum, & ipsa sic exorditur. In lectulo meo per noctes. Et innuit dum noctes dicit, id sibi sæpius euenisse. Id inter cętera singulare certè nostro Poëtæ est, quod alijs non videas, sua sibi fingentibus somnia, & enarrantibus, quantum vis arti studentibus, expressum; Quod tamen feminis familiarissimum. Sua apud alios, qui narrant somnia, & se somniasse pręmittunt, & somnia narraturas.

> [2] Tu mihi cura Phaon, te somnia nostra reducunt.
> Somnia.
> [3] Nox erat, & somnus lassos submisit ocellos.
> Et subit furtim lumina fessa sopor.

Quæ nostra maximè exprimunt.

> [4] Incertum vigilans, an somno languida moui.
> Thesea prensuras semi sopita manus. Illa pręeunt.
> Tempus erat vitrea, quo primum terra pruina
> Spargitur, & tectæ fronde queruntur aues,

Ille autem apud comicum.

> [5] Velut ego nocte hac, quę prętērijt proxima,
> In somnis egi satis.

At is vir, [6] illa femina in tragedia.

> O fulgur Iouis, ò nox picea,
> Vt quid ita sub nocte silenti.
> Terriculis, visisque agitor?

Quæ tum demum visa enarrare incipit, cùm somniorum, importunitatem fuerit abunde conquesta.

Iam igitur & ex hoc inter cetera, nostra fabula, siue diuina actio, agnoscatur exemplar.

* In lectulo, &c. Miratus es sponsam nullo exordio prolocutam, sibi intentam, rebusque suis? mirare & amantem contemplatricem in amore, & contemplatione defixam sua, prorumpentem ad enarrationem, nulla somnij, idest contemplationis facta voce, more eorum; qui contemplantur, & quibus reuelationes desuper factæ sunt, ita enim ex abrupto loquuntur, vt sæpè, & per ænigmata. Quid est igitur, quod ait, in lectulo meo? in anima mea, siue in conscientia mea, in intellectu, aut in affectu meo. Hic anima requiescit, & à diuturnis, molestisque defatigationibus se recipit, de quo [1] Dauid ait: In cubilibus vestris compungimini. Et [2] Iob: Numquid lectulus meus consolabitur me? nam quemadmodum extra lectum nulla fessis quies, ita & nulla extra animam nobis, siue extra regnum, [3] quòd intra nos est. Ac quemadmodum somnus obrepit statim ac se quis in lectum inijcit, ita simul ac se quis intra conscientiam suam recepit, seque sibi restituit, statim cogitatio obrepit diuinorum, & cælestium meditatio. Vnde [4] Propheta ait: Mirabilis facta est scientia tua, scilicet mihi, ex me, ex mei consideratione; non est enim difficile nosse Deum statim ei, cui sit seipsum nosse familiare; propter quod seruator hortatur, vt oraturi Patrem, [5] in cubiculum clauso ostio ingrediamur, quod est in nosmet-

[1] *Ex Terent.* nihil à me alienū puto humani homo.
[2] *Ouidij Sapph.*
[3] *Ouid. in Frag.*
[4] *Idē in Ariad.*
[5] *Plau In Mer.*
[6] *Hecuba apud Eurip. Act. 1. Scę. 1.*

Contemplatores visiones suas ex abrupto ordiūtur.

[1] *Psalm.*
[2] *Iob.*
[3] *Paul.*
[4] *Psalm.*
Cognoscenti se nō est difficile Deum agnoscere.
[5] *Euang.*

nosmetipsos. Sed quid est per noctes? per multa otia contemplationis, siue sæpè per contemplationem; nam cum sæpissimè Virgo se contemplationi daret, sæpè id obuenerat per omne tempus ante actæ vitæ.

Quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.

Quid est, quòd cum & illa somniarit, de quibus dictum. Vox dilecti mei. En ipse stat, aliaque insuper & hęc, hęc tantummodo puellis enarrat? Illa pręterita, & nota, hęc in votis vt sint. Sed vide quanto artifitio, quanta innuit? Somniarat se iam illum potitam, iam complexam, timidam autem noctu brachia, manusque extendisse, nullum autem inuenisse. LXX. addunt, Vocasse; illum autem non obaudiuisse. Vocaui eum, & non obaudiuit me. Tum surrexisse, quęsiuisse diligenter amantibus ausis, multa interea, dum quęreret, passam incommoda; tandem tenuisse. Quibus omnibus [1] amorum summam dictauit, maximè diuinorum; nam & somniare de dilecto, itaque vehementer, vt moueatur corpus, rursum ad quęrendum surgere, nihil sibi timere, modò quęrat, mille se periculis obiectare, aliaq. amoris omnia sunt effecta; Vtinam semper diuini.

[1] *Ex Plaut.* In Epidic. merorū, atque amorum summam dictauit.

* Quęsiui, &c. Vt sponsa somniando, ita ego contemplando. & quidem omnibus modis quęsiui, vt fas est existimare de ea, cuius sit anima in amore, ac dilectione: quotquot ille quęsibilis est rationibus, & modis inuestigabilis; & iam me potitam, iam tenere, iam complecti putans brachia, manusque extendi ipsas, quin & voce vocaui, lętitiam mihi, bonum, pulchrum, decus prędicans. Sed (heu) neque ille vocanti respondit, neque adfuit manus extendenti.

B.V. Omnibus modis quæsiuit Dominum.

Quęsiui illum, & non inueni. Vt sponsa in ipso somno se excitans è somno somnians, ita & ego in contemplatione ipsa me excitam è contemplatione contemplans. Sanè hęc ita possumus explicare, atq; ad Virginem referre, quantum possumus in rebus incertis coniectura assequi, & in difficilibus philosophari. Virgo vt erat ardentissima cupiditate Deum in carne videndi, vel adhuc per essentiam facie ad faciem, hoc eodem ipso ardore, atque hoc ęstu ad contemplandum sępè accessit; vt ad somnum sępè accidit accedere ęstuantibus cupiditate aliqua terrenorum: qui ea deinde per somnum se potiri somniant, quę vigiles optarunt. Itaque in contemplatione os aperiens, & attrahens Spiritum Dei, & spei, sępè ita arripuit spem videndi, & perfruendi aliquando, vt iam videre, iam perfrui per spei certitudinem sibi videretur, reposita nimirum iam spe in sinum; vt extenderet brachia, manusque sibi videretur, nimirum affectus, & absens absentem, iam amore, & dilectione complecti presentem, cum à contemplatione paulum euigilans in contemplatione ipsa agnoscebat se iam non re, spe dilectum tenere. Atque id est, nunc, quod enarrat, gaudetque enarrare, iam re ipsa illum potita, non vt antea ludibrium som-

B.V. Spes maxima videndi Deum in Carne ante Incarnationem.

somnijs, nimirum contemplationibus in spe. Et à natura quidem est id gaudium, atque hęc exsultatio, cum in enarrandis, quæ olim tibi contigerint quibuscumque, tum ijs potissimum, quæ cum olim vehementer optaris, nunc tandem aliquando potiaris. Possumus & hæc omnia ad vnam ipsam visionem beatificam eo modo referre, vt Virgo diu, multumque Deum videre optarit, quod est quæsiuisse in lectulo per noctes, in contemplationibus; quem quidem ita viderit per transennam, vt somnianti accidit, breuissimo nimirum temporis momento, ad quem apprehendendum cum extenderit in contemplatione manus, euanuerit ille. Id, quod ipsa recognoscens exciuerit se ad quærendum; atque hæc præterita. Tum illa futura, quòd tandem inuenerit, itaque inuenerit, vt non sit amplius dimissura. Vt sit omnis historia, partim hystoria præteritorum, partim vaticinium, & prophetia futurorum. Et quod quidem ad modum attinet, quo hæc sint Virgini antea reuelata, fortasse dicere possumus hæc illi omnia in somnis contigisse, vt videret; Enim verò, vt alibi dicemus, & fortasse alibi diximus, cum ipsa dormiebat somnum, ita vigilem, ac ratiocinationis compotem, vt somnians, vigilaret, videretque, amaret, contemplaretur, mereretúrque propterea, & sibi glorię coronam augeret; propter quæ rectè de ipsa dictum est illud, [1] Non extinguetur in nocte lucerna eius. Id, quod illi per singulare priuilegium contigit Dei optimi, vnius optimè miserentis, vt cum in nocte, in somnis nobis extinguatur lucerna, ratio impediatur, quo minus liberè operetur, ac mereantur opera nostra; ita illi luceret in nocte, per idem somnium, vt tunc magis incendi, ac flammescere videretur Prudentissimæ Virgini, prudentium antesignanæ. Quamquam non incongruè, neque abs re contigit; enim verò quæ in omnibus medium tenuit mediatrix optima, fas & in hoc fuit teneret medium, & mediatrix exsisteret, inter cœlum, & terram facta, inter somnum, & vigiliam verè vigilans, verè quiescens. Id, quod quo pacto contingere illi potuerit, erit mox aliud, vt dicamus tempus. Itaque quod die Virgo optabat, noctu iam somniabat, quin & potiebatur, nisi quòd ad breue tempus. Quicquid horum sit, vnum teneatur, his & præterita enarrari Virginis, & futura adumbrari de æterna felicitate. Ex quo quidem fit, ante hæc tempora, ante scilicet Deum hominem, nō esse incredibile, Virginem Dominam accepisse responsum, Non [2] visuram se mortem, nisi videret Christum Domini: nam si id Simeoni datum est, cur & non ipsi? Quamquam non crediderim ipsi reuelatum id ex ipsa futurum, alioqui quorsum illa cogitatio officiosa nimis, de qualitate salutationis? Rursus per eandem reuelationem de certitudine beatitudinis suæ, & optimæ beatitudinis; nimirum sublimissimi, & celsissimi gradus accepisse. Ac simul etiam, quòd plurimæ ipsam manerent in terris tribulationes, oporteretque multa pati, antequam hùc deueniret, vt finem illum suum assequeretur. Vnde ait, Surgam, & circuibo ciuitatem. Ceterum vt beatitudinis, & summi boni certam, exsultare ad reuelationum enarrationem; nam cum

B.V. multæ visiones in somnis.

B.V. vigilem somnum dormiebat.

[1] Prou.

B.V. credibile est orans accepisse diuinitus non visuram se mortem, nisi videret Christum Domini.

[2] Eu.

B.V. multò ante multa de se diuinitus agnouit.

cum cetera animum recreent, atque recipiant in hac vita, hoc vnum replet, & lætificat valdè, scire se prædestinatum. Vnde [3] Propheta ait, Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Quod si quæras quæ? Respondet, In domum Domini ibimus. Quibus videtur significare, præter hanc vnam, omnem ab animo ablegasse, atque exterminasse lætitiam; siue hùc direxisse omnem aliam, vt in hoc mare omnis, atque ad hoc nobile tributum influeret. Sanè Franciscus ille sanctus, ille pius vir, singularis Christi vitæ imitator, qui propterea meruit, vt suis stigmata illius exprimeret; ne quid similitudini, & amori inter ipsos deesset; vbi id reuelatione accepit, se iam prædestinatum, tanta lætitia exsultasse scribitur, & quodam modo voluptate dissultasse, vt sibi non constare videretur. Equidem dum hæc ipsa scribo, & ipsorum allaboro expositioni, vt facio, hac nocte, imò iam orto huius diei Sole, id ipsum mihi per somnium accipere de me visus sum, me futurum inter beatos; & tanta sum euigilans statim repletus, atque cumulatus lætitia, sola inani somniorum spe; quod fortasse diuini aliquid haberent, cum raro habeant; vt dici vix possit. Faxit Deus vera respondeant, teneamque & ego te, quem in noctibus quærens tenui, ac nunquam dimittam: [4] Vnam enim petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo eius. Hinc de exsultatione Virginis fieri aliqua poterit coniectura (quæ fortasse illa est, qua se dicit exultasse in Deo salutari suo, quod esse potest in Deo glorificatore) cuius illa sensum multò ante, atque consilium agnouerit. Sed iam his ita præmissis, verba nunc ipsa singula exponamus; melius enim intelligentur.

3 Psalm.

Francisci lætitia, cum accepit se prædestinatum.

4 Psalm.

In lectulo meo. In lectulo ipso, vel per contemplationem in anima, in conscientia.

Per noctes. Vel in somnis, vel in contemplationibus.

Quæsiui quem diligit anima mea. Intellectu, Voluntate; adhuc brachijs ipsis, & manibus.

Quæsiui illum, & non inueni. Visa mihi excitari, & nullum reperire.

Surgam & circuibo ciuitatem, &c.

Sic interruptò loquuntur fœminæ, presertim dum hæc narrant. Illicò, ac statim scilicet dixi, Surgam. Quid enim facerem? LXX. Exurgam nunc, & circuibo. Iamque ita facit. Vnde alij. Surrexi, & circuiui. Per vicos, & plateas quæram. [1]

> Quisquis amore tenetur, eat, tutusque, sacerq;
> Qualibet. Insidias non timuisse decet.

Optima præcepta, si sit amor optimè collocatus. Rursum.

> Amor timere neminem verus potest. Et. [2]
> En ego iam tenebris tota vagor anxius vrbe.

Male collocati anxietas inditium.

> Securum in tenebris me facit esse Venus.

Me facit esse Deus; vnde melius. [3] Media nocte surgebam.

1 Tibull. l. 1. eleg. 2.

2 Ibid.

3 Psalm.

*Sur-

* Surgam & circuibo, &c. Hactenus preterita, nunc hęc futurorum adumbratio; tunc scilicet non inuento dixi. Surgam, & circuibo ciuitatem. Et iam surrexi, circuiui. Possumus per hanc sponsæ erectionem sui, & in viam ad quęrendum, ingressus, maiorem in contemplatione m conatum, & circa creaturas mentis agitationem, intelligere. Vt sit sensus. Vehementiùs contemplationi me dedi, & perfectionum eius indagationi studiosiùs. Quo quidem significatur, semper aliquid plus in contemplatione esse, &: quod vulgo aiunt: plus vltrà, quamdiù in hac vita sumus; ac terminum sine termino esse, metamque eam, quæ nesciat metam; quando Aquila ipsa potuit intensius in Solem defigere obtutum, & maiore incendio Phœnix renouari; nimirum progredi in contemplatione Virgo, quę contemplationis manibus videtur nàscens excepta, eiusdemq. vberibus, alta, atque nutrita. Progressa & ipsa est [1] currens, & velocissimè currens vias amorum [2] post agnum, insistensq. vestigijs illius, [3] qui exsultauit, vt Gygas semper currens, donec tandem in [4] Syon firmata est, & coram ipso stetit ministratura. Rursum per ciuitatem possumus superiores creaturas, Deo viciniores intelligere, quæ in cœlesti illa Hierusalem degunt, quę [5] nostra est mater; nimirum terrenę instructrix, & informatrix: quæ quidem [6] ciuitas Dei dicitur, vnde Dauid. [7] Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Et ipsi habitatores Ciues, [8] & domestici Dei. [9] Hec est illa ciuitas, que in Apocalypsi describitur, cuius muri ex auro, cuius gloriosum ędificium, & ciues semper lætitia perfusi. Hanc igitur vt circuiret ciuitatem Virgo surrexit. Est autem circuire illam, illam mente lustrare, ac cogitatione, totamq. contemplari, & si in ea sit, qui supra omnes est diligendus, diligenter ad amorem inquirere; nam si id non est circumire, & ibi degere, quid est, quod [10] Paulus ait de nobis in terra adhuc degentibus, Conuersatio nostra in cœlis est? Hinc videas, vbi quis à visione creatoris reuocetur, ad creaturas, necesse habere se conuertere, vt per [11] visibilia in inuisibilia Dei se erigat, & per ea, quę facta sunt, in eum, qui fecit illa. Rursum ante Incarnationem hac visibilia, atque has creaturas Virgo contemplabatur, cœlos, Angelos, & spiritus omnes illos beatos; vbi Deum in carne vidit, ad illum se tota conuertit, penitusq. omnem defixit obtutum. Sed dices. An non sciebat Virgo in his dilectum non reperiri? Sciebat. At sciebat eadem per hęc, illum, vt inueniatur debere, quod nostro esset documento, requiri.

> In contemplatione in hac vita sęper est aliquid plus.
>
> B. V. nata contemplationi.
>
> 1 Psalm. 2 Apoc. 3 Psalm. 4 Sap. 5 Paul. 6 Apoc. 7 Psal. 8 Apost. 9 Apoc.
>
> B. Patria ciuitas, & cur?
>
> 10 Paul. 11 Paul.
>
> B. V. ante Incarnationem creaturis vtebatur ad contemplationē, post ipso Verbo in carne, siue carne Verbi.

Quæsiui illum, & non inueni.

Statim scilicet. Videas hęc vigili expressa, vt mireris. [1]

Vtinam conueniam domi Periphranem,
Per totam vrbem, quem sum defessus quærere,
Per medicinas, tonstrinas, in gymnasio, atque in foro,
Et rogitando sum raucus factus....

> 1 Plaut. in Epidic.

* Quæ-

* Quæsiui illum, &c. Non [1] enim in his Dominus, sed supra hæc. Si ad Incarnationem referas hæc. Sanè non inuenisse, est accepisse, quod antea acceperat, neque Angelum carnem assumpturum pro salute nostra; neque Verbum ipsum Angelum, pro Angelorum restauratione. Non inuenit neque Angelum Saluatorem suum, neque Saluatorem Angelum. Et fortasse secundum hæc, ciuitas, quam circuiuit, sacrę litterę sunt, & prophetię. Quarum illa studiosissima, vt ceterorum, prętet ceteras semper fuit, quibusque consueta est, vt cibo, ac somno delectari; vnde merito tota in sapientiam incumbens sapientię sibi nomen promeruit. Quod si ita est, Quęsiuisse in ciuitate illum, est scripturas fuisse scrutatam diligentissimè, & vt amantium est, & valdè optantium, etiam cum sciuerint, quærere de loco, tempore, persona, indagasse, alijsque Incarnationis Verbi circumstantijs. Non inuenisse autem, est se ex illis non certò collegisse omnia, pręsertim tempora, & temporum momenta, aliaque. Et sanè; quod ad studium pertinet Virginis scripturarum, & scientiam, multo plura fas est excogitare, quàm nunc ipsi exprimere possumus; nam si sunt nunc homines, ita studio vanitatis incensi, & [2] ad fabulas conuersi, vt earum lectioni sustentari se dicant, quid existimandum est de Virgine sapientissima in studio veritatis? Tertiam diei partem sunt, qui dicant in id studium insumere illam solitam, siue melius optimè collocare. Equidem existimarim totum id tempus; quo ab actione vacaret; nam ex lectione crediderim scripturarum potissimum solitam se ad contemplationem euehere. Sunt qui dicant in illis Dominam apprimè versatam. Equidem certo putarim totas memoria, qua pollebat egregiè, tenuisse: itaque illas semper locutam, & in [3] illis alios consolatam, habentem propterea [4] verba vitę ęternę in ore semper, & abscondita cum dulcedine eructantem, in quo [5] doctrinę, & disciplinę nomina sibi promerita. Vt quid igitur legebat? vt præclariores, & digniores sensus venaretur. A qua vtinam aut omnium, aut aliquorum saltem interpretationem haberemus; [6] nam quem librum non contemneremus? Sed vt quid nos cùm stellarum imaginem iam fixam tenemus ad conditoris considerationem, rursum tamen illas, & intensius prospectamus? Hæc itaque Virgini ciuitas. Et rectè sacræ litteræ ciuitas, quæ tamquam optimis ciuibus plenæ, optimis sententijs, ac rebus, viuentibus ipsis, quin & ad vitam alios inuitantibus: quorum quidem in illis sicut [7] lætantium habitatio. Rursum rectè ciuitas varietatibus, & oblectationibus plena, illius superioris imago, ac participatio. Hæc si ad Incarnationem. Sed si futura sunt, ac propterea ad immortalitatem referenda, Non inuenisse, est in hac vita non tenuisse, vt comprehensorum est, iuxta quod dicitur: [8] Non videbit me homo, & viuet. Id quod veritati consonat; nam Virgo, etsi in omnibus filio simillima exstitit, in hoc vtique par non fuit, neque vt esset, decuit, vt semper esset beata, quæ viatrix & ipsa fuit, vt semper diximus, ac propterea potens mereri. Id, quod fortassè est Mittere manum ad fortia [9] mulieris fortis,

& fu-

Marginal notes:
1 *Ezech.*
2 *Paul.*
B. Virg. quo pacto sibi tempus distribuerat.
B. V. in scripturis versatissima.
3 *Paul.*
4 *Eu.*
5 *Sap.*
6 *Ex Cic. de senect.*
Sacræ litteræ ciuitas, & cur?
7 *Psalm.*
8 *Exod.*
9 *Prou.*

& fusum in opus apprehendere: quod quidem non ideò fortitudinis opus dicit, quòd cum difficultate fuerit operata; sed quòd difficile nobis id sit operari bonum; vnde mereamur; Etsi ad hoc nati sumus, & à Deo dati, ac positi cum parente nostro Adam in paradiso, vt ad nendum, & tractandum fusum mulieres. Sed difficile nobis fecit pater opus, qui nobis, vt facilè redderet, datus est. Sanè illud singulare priuilegium 4 videndi semper faciem patris, vnius magni consilij Angeli esse debuit, nostrę custodię, & saluti desuper missi. Atque illud summum donum Imperatori semper assistendi, summo duci nostrę prouincię per summam beneficentiam deputati; siue id propter seipsum illum decreuerit, siue adhuc propter nos, quos erat aliquando adducturus in gloriam, & quidem post mortem suam in sempiternum facturus beatos, antea in vita ad tempus, Virginemq; ipsam iam inde ab instanti Incarnationis suę. Vt multo ipse excellentiùs fas esset propterea beatus exsisteret. Hoc itaque fuit Virgini non inuenisse, quę non inueniens inuenta est; vnde ait.

4 *Euang.*

Inuenerunt me vigiles, &c.

Septuaginta Custodes. Alij circitores, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis, scilicet interrogans dixi. Quàm decora, & ad ingenium enarratio? Nec refert, quod nam responsum accepisset, festina, & somnians, & enarrans.

* Inuenerunt me, &c. Et rectè ait. Inuenerunt ipsi me, nam ipsa vtique illos non quærebat. Hi siue vigiles, siue custodes, siue circitores custodes ciuitatis, siue allegoricè, siue anagogicè interpretemur, mihi semper Angeli sunt, quorum vtique ministerio, & sacras litteras habemus scriptas, & asseruatas. Rursum qui in excubijs summi Imperatoris sunt, in ministerium nostrum missi, & in nostrum bonum, vt 1 flammæ ignis incensæ. Hi custodes, non quidem ex eò, quòd vel scripturæ interitum, vel summo Imperatori insidias timeamus; nam & illius regnum sempiternum, & hic extra telum, atque ictum est, cuius non appropinquabit 2 tabernaculo, neque flagellum, neque flagellifer; sed vt per hoc solertiam ipsius, & diligentiam intelligamus, cuius custodiæ, & excubiæ symbolum; qui vocati dicunt: Ecce adsumus, & missi non tam alas, nimirum celeritatem, quàm ignem adhuc induunt, idest amorem. Si quidem quod ad Imperium ducis agunt, & celeriter, & amanter perficiunt, propter quod placuit Prophetę dicere: Qui facit 3 Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Hi, & vigiles, & custodes, & circitores dicuntur, vt per hoc munia omnia ipsius intelligas; nam in eo, quòd vigiles dicuntur significantur illi beatę assistere visioni; in eo verò quòd custodes, quòd ad nos mittuntur; in eo denique quòd circitores, quòd propter nostram custodiam non distrahuntur, sed perfectissimis circulis in circuitum piè pij ambulantes, ad conditorem reuertuntur. Quo quidem docemur, & contemplari, & agere, & per vtrumque in Deum reuerti, non solum intentione puritatis, verùm adhuc

Angeli vigiles, siue custodes, & cur?

1 *Psalm.*

2 *Psalm.*

3 *Psalm.*

adhuc & contemplationis ipsius studio, non ferentes nos ab actione agi procul à Deo, magis autem illa vtentes, vt curru, atque vt ferculo in Deum, morali imitatione eius, qui à Patre venit in mundum, & à mundo ad Patrem reuertit. Hi igitur quærentem Virginem inuenerunt; nam se illi fecerunt obuiam semper; propter quod rectè de ea dictum, quod quotidie frequentabatur ab Angelis. Sed quid Virgo visis interrogauit.

Num quem diligit anima mea vidistis? Hoc vtique perfectè contemplantium est, nihil in creaturis sistere, tantummodo illis vti ad agnitionem auctoris.

Paululum cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.

Septuaginta, quàm modicum fuit, cum transiui ab ipsis, quoadusque inueni; vt paululum ad tempus referatur.

* Paululum cum pertransissem. Contemplando, vel vt Septuaginta habent, quàm modicum fuit, cum transiui ab ipsis, vt sit ad tempus relatum.

Inueni quem diligit anima mea. Ita per contemplationem ipsi visum est paululum; atque ita re ipsa fuit; enim verò modicum tempus & iam vidit orans, atque obsecrans in carne Deum, & rursum modicum vitæ, & iam vidit facie ad faciem; præterquam quod amantibus id proprium est, vt diuturnæ videantur ipsis defatigationes antequam rem assequantur, quam amant. Vbi fuerunt assecutæ, eædem vix diurnę.

> Amantes vbi assecuti fuerint, quod amarunt, labores abstergunt.

Tenui eum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ, & cubiculum Genitricis meæ.

In secretiorem scilicet domus partem, & in ipsum lectulum genialem. LXX. & non dimisi, donec introduxi. Hi historicè, noster magis amatoriè. Ita enarrabat hæc sponsa in somnis acta, eoque affectu, vt adhuc fieri per vigiliam putaret. Iam, iamque obuiat, iam manu tenet, iam irruit, iam osculatur, iam ducit, iam [1] ictus sapiens, detinet.

> [1] *Adag. ex Soph.* Piscator ictus sapiet, fiet prudentior.

* Tenui eum nec dimittam, &c. Septuatinta, nec dimisi.

Donec introducam, vel introduxi in domum matris meę, & in cubiculum Genitricis meę. Hic mysteria, si ad Deum hominem. Donec visa mihi sum introducere, &c. idest donec ille à me ascendit ad cœlos. Semper enim Virgo apud illum, cum illo fuit, illum secuta, illi seruiens, ab illo pendens, & illius verbis, nutuque; donec ille videntibus discipulis, atque ipsamet Virgine, vnde venerat, remeauit in cœlos, in quos dicitur à Virgine introductus, & propter humanitatem, quam ab illa accepit; & quia ipsum Virgo vsque intrò cogitatione, & visione diuinæ essentiæ eo die creditur comitata in

> B V dicitur introduxisse Filium in gloriam, quia carnem ministrauit.

gloriam; nam cùm semper antea certis celebribus diebus decuit eleuari in conspectum Dei, tum maximè eo die ascensus Filij, se Aquila ad imperium Patris eleuante, & in arduis, atque sublimibus nidum suum collocante. Vnde ad viros Galilæos, non ad Virginem Nazaręam Angelorum visio facta est, consolantium de absentia seruatoris, aduentus, siue reditus pollicitationibus. Et fortasse propter hoc thalami genialis meminit, quòd eo die sui vltimi finis eo, quo semper loquimur modo, per transennam potita sit. Et appellat sibi beatitudinem illam matrē, & genitricem meritò, nam ad illam, & illius mores instructa est. Quo fit, vt nihil tàm illam in hac vita, quàm Virgo vna retulerit, expresseritque, vt qui viderit, pulcherrimam filiā, & matrē pulcherrimam existimarit, arseritque videndi studio, & tenendi cupiditate. Hæc si ad Deum hominem, vel ad tempora Incarnationis referamus verba. Iam verò si anagogicè ad ipsam æternitatem, sensus est. Tenui, nec dimisi, donec post vitam hanc mortalem ad immortalem conuolaui, ad sempiternas illas nuptias, atque illum thalamum glorię; donec introducam in genialem Thorum, illo in omnem æternitatem coram, & perpetuò fruitura. Ad quorum intelligentiam sciendum, quòd cùm Virgo semper dilectum quæsiuisset, quamdiu in hac vita fuit; sępè tamen tenere meruit; nimirum sępè vidit Deum per essentiam, quod tenere est, siue vicinitatem spectes, qua non est vlla maior, siue amorem, quo non est alius tenacior, siue beneficia, quę inde deriuantur, quibus non sunt alia, neque vberiora, neque digniora. Sed cum sępè id meruerit, & extrema illa vitæ suæ hora promeruisse tanto fas est facilius existimare, quanto efficacius rationes suadent. Enim verò & tunc caritas maior in fine, & sitis ardentior, & merita locupletiora, & præterea necessitas vrgentior; nam cum illi fuerit necessariò Christo Domino mortuo moriendum, nec euolandum nisi solutione animę à corpore, in quo mors est; moriendum autem febri amoris media, quæ id efficeret, quod febris facit, vt dissolueret ab anima corpus; certè in vehementissimam amoris febrim fuit vtique illi eo tempore præsertim diuinitus incidendum; qua in vehementiorem numquam antea incidisset; alioqui antea, non tunc mori debuisset. Cęterum quonam vnquam alio poterat ardore illa incendi febris amoris, quàm eo, quo fuisset antea incensa; nimirum visione diuinitatis? sequente ad visionem amore æquo passu, ac pari, ad amorem exstasi, ad exstasim corporis destitutione. Maneat igitur ita hoc, & extremo vitę suę tempore Virginem dilectum tenuisse, de quo adhuc dicemus suo tempore melius philosophantes. Iam inter has omnes visiones cum illud distauit, quod alia clarior fuit, vt stella à stella, tum illud, inter hanc postremam, atque alias, quòd in alijs ita tenuit, vt dimiserit, in hac verò vna, non dimissura. Id, quod adhuc rationes suadent, præterquam quòd, vt dicemus, extremo hęc actu continentur; enim verò, si dimisit, iam non igitur ex amore mortua, & febri illa, de qua diximus, dissoluta. Rursum si sibi restituta, cur non & anima corpori? Ad hæc non iam of-

ficijs

ficijs amplius, & actioni; & meritis restituenda. Hæc cùm ita habeant, de quibus adhuc in fine fusius, ac copiosius; iám videri potest, quòd nam sit somnium, & quæ eius interpretatio. Hæc Virgini in somnis per contemplationem multò ante reuelata, vt adumbrata sunt, ita & euenerunt aliquando. Sed cum hæ duæ interpretationes, ita quadrent, atque ita mentem impleant, non possunt tertiam contemnere, presertim omnia Virginis debuisse adumbrari hoc cantico, siue hoc theatro repręsentari; certò putans, omnes actiones, vel corporales, quòd nihil in illa fuerit non diuinum, non sanctum, non Encomio, & laude dignum. Ea sanè est, si hæc ad amissionem filij per illud triduum, & inuentionem referamus. Quo triduo circuiuit reuertens Hierusalem; quæsiuitque diligentissimè; Et inuentum tandem disputantem inter doctores tenuit, nec dimisit, vsque ad ascensum illius in cœlos, nam numquam ab illo separata est. Quod non ita quidem est intelligendum, quasi Virgo semper illum secuta sit euntem, & lustrantem omnia corpore, institeritque eius vestigijs semper, nam id neque factum est, neque fieri potuit, aut decuit, nunc experturo domino nostri caussa tentationes, & ieiunaturo, nunc progressuro ad baptismum, nunc oraturo in montibus, ceteraque; verùm ita, quòd aut cum illo semper fuerit, aut ab illo procul, sciens tamen quò fuisset progressurus, & ad statutum, conuentumque, vt fit, diem exspectans. Atque hanc quidem dilecti amissionem, & inuentionem multò ante illa meruit, siue in somnis, siue in contemplatione, siue in vtrisque sibi reuelari; siue vt iacula pręuisa minus ferirent; siue vt doceremur nos, misceri dulcia amaris nobis diuinitus, & prospera aduersis, esseque in hoc maximum, & præclarissimum diuinum consilium, vt statim ac affulserint læta, aduersis aliqua ex parte turbentur. Quo fieret, vt non commoueremur nouitate, magis autem instructi prodiremus in admirationem diuinę temperationis. Ipse enim est, qui luci tenebras infundit, qui mane vesperam iungit, quam tamen diem vocari pręcipit, [1] vtraque vnum faciens. Et enarrat Virgo Propheriam eodem fortè consilio inter laudes, & Encomia, ac beatificationes, vt ita dicam. Possumusque sic verborum prosequi narrationem, vt intelligamus, Virginem cùm se quieti dedit ijs noctibus, de filio somniasse, vt hinc, quo fuerit erga illum amore intelligere possimus; obseruasseque ante matris oculos filium, ita præsenti imaginatione, vt & brachia, & manus extenderit ad prehendendum, & exosculandum mater. Rursum ita diligenter quęsiuisse vsque ad defatigationem, & lassitudinem, vt corporalis inquisitio corporalibus peracta spatijs, incorporeæ, & spiritualis esset nobis exemplar, quo nam scilicet pacto, ac qua ratione amissum quærere spiritualiter debeamus; nam in hoc excellentiam Dominę video esse maximam, quòd corporalia eius, atque corporales actiones, rerum nobis spiritualium esse quidā magistri possint, ac quędā præclarissima, ac diuinissima forma, & verò etiam sint, vt oculus intelligentię nostræ, manusq. memorię, ac pes voluntati, & affectui lucerna sit, aut melius

[1] Apoc.

Sol. Qua in re simillima illa filio fuit, simillimo sibi, cuius omnis actio, nostra institutio; nam ille abstinens à gentibus pedem, docuit abstinere à vitijs affectum, claudensque aspectui oculum, claudere curiositatibus intelligentiam. Ille nascens in mundum, nasci in cœlum nos & voluit, & quomodo faciendum id esset, docuit; patiensque circumcisionis, docuit vitia, & tentamenta abigere à nobis procul; ac deinceps vsque ad ascensum ad Patrem, qui nobis via ad ascendendum spiritualibus spatijs, & incitamentum fuit, iisdem circumstantijs, ac legibus, spiritualiter tamen. Sic [a] forma factus gregis optimus pastor, vt semper informarit, ac sic magistri patiens nomen, vt semper tamen docuerit. Atque hac quidem in re si ipse Sol, certè Maria nobis Luna fuit, ac si ille maius, certè hęc minus siue luminare, siue irriguum, ac fluentum. Si ille Pater, hæc Mater, si ille Rex, hæc Regina, si ille Dominus, hęc Domina, si ille denique forma, hęc anima. Hæc triplex somnij explicatio, cui quadrant, quæ sequuntur, & congruunt.

[a] Petr.

Adiuro vos, filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum, &c.

Ibi scilicet per idem somnium. Adiuraui vos. Visa & mihi vos adiurare; nè dilectam, scilicet me suscitaretis, neuè vllo pacto molestiæ essetis excitatorio carmine: Vnde adiuraui vos. Hactenus somnij enarratio, quod mihi, vt fabula ipsa, in legem, & Ideam videtur somniorum cęterorum poëtarum, datum. In quo cum multa, vt decebat exemplar, singularia sint, illud adhuc singulare est, quòd, quę intus fieri necessitas postulabit, adumbrat; nam quòd sit in cubiculum introductura, ibique adiuratura puellas, nè molestię sint, vt amoribus exsaturetur; hęc profectò, quia mysticè in ęterna beatitate fiunt in fine vitę, quò non peruenit humana cogitatio; intus fieri in fine actionis designantur. Decorè autem verbis aperiuntur, quę exprimi ipsa rebus non possunt. Singulari autem decoro per somnium; & in ænigmate adumbrantur, quorum quòd sint in fine euentura; non sit fori; futura enarratio.

Adiuro vos filię Hierusalem per capreas, ceruosq; camporum, nè suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quorum verborum eam diximus esse interpretationem. Tunc adiurare vos mihi visa sum per idem somnium, nè me excitaretis, & molestiæ essetis. Sanè in hac adiuratione ad litteram nihil aliud exprimitur, nisi immensa quędam voluntas, & voluptas inuento dilecto fruendi, sibi à molestijs offitiosè timens, & curas preuertens. Sanè in uento dilecto in Incarnatione, id fuit Virgini adiurare filias Hierusalem nè suscitarent, creaturis, scripturis, Angelis vale dicere, ipsarumque consolationem non admittere, vt creatore inuento, scripturarum fine, & Domino Angelorum. Ex quo licet inducere, & tanquam deriuare, Virginem ante Incarnationem quidem vsam creaturis ad agni-

agnitionem creatoris, & visibilibus ad inuisibilia, atque ad factorem rebus his factis; vt omnium est contemplantium: post Incarnationem verò ad hęc sibi gradus per ipsummet filium Dei fecisse, incarnatum, visibilem, qui se ob id prospectandum in carne dederit, & contrectandum. Itaque huius [1] arquus inspectione ad pulchritudinem contemplandam creatoris se erexisse, atque in hoc Sole altetius inuisibilis obtutu defixam. Hoc sibi extensum cœlum ad aperiendum os, & attrahendum spiritum intelligere, atque hanc ad delitias paradisum. Erat ille omnis creatura, quia homo; & rursus omnis homo, quia omnium continens perfectiones, quo factum est, vt in ea [2] homo, & homo sit natus. Nam si nos è commodioribus gradibus nobis ascensum paramus, & instrumenta meliora seligimus, ac puriore reperto, alios contemnimus fontes: quo nam pacto Virgo aliud postularit, Deo homine præsente, diuinarum laudum argumentum? Rursum ante Incarnationem quidem prophetias reuoluisse, post peracta mysteria, adimpletas prophetias, in auctorem prophetarum, & finem toto animo, totaque mente conuersam. Denique ante, delectatam Angelorum aspectu: at quamdiu Dominus Angelorum lux ipse prodierit in lucem, siue in tenebras dissipandas: Vbi prodijt, ad hunc se vnum se voluit solaris herba, hoc se vno complebat Sole, in remedium tenebrarum, suo se in cœlestes generationes iungebat cœlesti Adamo, eratque, vt ille sibi, ipsa illi dilecta. Atque hoc in figura est, vbi [3] Isaac adfuit, Rebeccam serui amplius mentionem non fecisse, sponso iam optato, & amatori coniunctam, & meritò, in tantum dilectam illi, vt dolori è desiderio matris esset temperationi. Quod & ipsum Virginis figura exstitit, quę in tantum dilecta est Deo filio, vt dolorem cordis intrinsecus, quo fuisset tactus ruina humanæ generationis à peccato, vnius amore temperare visus sit. Atque in hoc se illa verè sponsæ nomine dignam ostendit, quòd, vt sponsa faciunt præsente sponso, neque internuntijs amplius, neque litteris, neque paranymphis ipsis potuit delectari, suo abiectis famulabus se sistens [4] Assuero, aurea tacta Virga, meliore adhuc tangenda. Vnde in [5] psaltatione, & lętitia antecit, & post se ducit Virgines post sponsum, post illum currens, ab illo tracta, fragrantissimo vnguentorum odore. Quòd si Maria Magdalene consolationem sitiens, dum Dominum quęrit, Angelos consolatores non dicam contemnit, ac præ illo negligit; quid Virgini factum credendum est? Rursum autem adiurare filias in possessione æternę glo iæ, est i l ipsum fermè, & voluntatem ostendere fruendi summo bono, & significare illas nuptias, siue illud coniugium esse sempiternum. Quod est sine illa humani coniugij imperfectione, qua excitantur à puellis sponsi, & interrumpitur ipsis leuis illa, & corporea oblectatio sensus, etiam à contemplatione, cum nos hic in actionem sacrę litterę reuocent. Angeli ipsi ibi silebunt, omnia, & in sempiternum contemplari permittent. Quare non ita intelligenda sunt hæc à sponsa dicta, ne suscitetis, &c. Quasi quòd ibi in æterna gloria sit alicui creaturæ hac potestas suscitandi,

[1] Eccl.
[2] Psalm.
[3] Gen.
[4] Esther.
[5] Psalm.

tandi, & euigilare faciendi; quod interdum pro voluntate faciant, interdum abstineant facere pro rogatu, & precibus lætantium. Minimè id quidem; sempiternum enim ibi est contemplandi munus, nec auferetur [6] in æternum à nobis; ibi pręterea omnes sponsę, atque omnes lętantes; sed vt per hæc significetur, quę hic fiunt, ibi nullo modo fieri; voluntariam pręterea esse ibi adhuc lętitiam in tanta gaudendi necessitate, non violentam. Denique & adiurare filias cum amissum inuenit in templo, id ipsum est, velle significare voluntatem ardentissimam tenendi eum, quem amisisset, & dolorem è desiderio triduanum compensandi diuturnitate quadam, & quasi sempiternitate lætitię. Hactenus somnium sponsæ, & Virginis reuelatio. Sed sponsę enarranti somnium derident puellę, vt rei, quę vigili fieri non potuerit; quia nimirum omnis natura tantam Virginis in quęrendo Deo diligentiam, eosque animos nouos, & insolitos obstupescit. Ad horum intelligentiam sciendum, Dominam non solum naturę extitisse miraculum; quod omnes agnouerunt: conceptam ex sterili, & senibus, conscendentē trimā altissimos gradus in oblationem sui Deo, concipientē sine semine, detinentē sine pondere, parientē sine iactura Virginitatis, aliaque: Verùm, quod pauci, & gratiæ ipsius, & quodam modo miraculorum exstitit altissimum, diuinissimumq. miraculum. Gratia ita plena, vt in ceteros esset redundatura, concepta sine peccato, in splendoribus sanctitatum, non dicam in vtero sanctificata aliquot post menses; & vsu rationis cum vsu cuiusdam immensę gratię, ac propè infinita ad merita, concepta. Ad hæc, nascens in lucem, lux ipsa spiritualis, & gratiarum aurora, oblata in templo non tàm suę, quàm aliorum custodię, & egregię cuidam institutioni ad immortalia; verè Virgo, verè & sponsa, & coniugata, virum dotans immortalitate bonorum. Iam ab Angelis reuerenter frequentata; & Verbi tandem Mater effecta; ac deinceps. Atque hoc est, quod non signum simpliciter, sed [7] signum magnum videtur, & dicitur magnę laudis magno loco. Hinc cum admirari nos miracula assueti simus, res supra nos, etsi infra diuinam potentiam, & supra naturam, non est mirabile, Virginem si inducantur, qui admirentur, & gratia ipsa, & scripturę, & Angeli, vt quid supra ipsos, & ipsorum vsum, & videndi excedens consuetudinem, enim verò vnicuique cum miraculum sit, miraculum est admirabile. Hęc cum ita habeant, natura hic omnis, & gratia, & scripturę, & Angeli Chori loco inducuntur, qui admirentur, & meritò.

[6] *Euang.*

[7] *Apoc.*

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.

Ascensus hic per desertum, fecit aliquos per desertum ire, nimirum à vero sensu aberrare. Id, quod ego mihi nunc iure metuo. Illa hac in re certa. Hęc sponsę non esse, nisi fortè relata, aut prolata

refe-

referentis. Rurſum neque & ſponſi; quorſum enim hęc ad ſponſum, aut quando? Aliorum igitur hęc. An autem vigilum, & cuſtodum? Videri poſſunt. At nè videantur facit, quòd non ſuo loco ponuntur. Erat is locus poſt illa. Inuenerunt me vigiles. Niſi fortè ſponſa ſollicitior in ſomnij finem omiſerit, hic enarranda aſſumpſerit. An igitur Chori? Sanè Chori. Probabilius. At cuius? Puellarum. Et videntur, & ſunt. Puellæ igitur eodem & mulierum, & mulierum puellarum ingenio, inſomnio ſponſæ accepto: fortè non ſine riſu, cœperunt ex eo argumento ſomnium admirari, ſimulque irridere, quòd ea ſecum tuliſſet ſomnianti, quę nullo modo vigili potuiſſent accidere. Quare aiunt, Et vnde hoc? Aut, quæ hęc nouitas? Aut, quæ hac rerum carena? Et quę nunc eſt iſta, quę aſcendit per deſertum? Ac ſi dicerent. Qui nam fieri potuerit, vt puella tantum cœperit per audaciam animorum, vt aſcenderit per deſertum: vt tu nunc de te tibi in ſomnis eueniſſe narras; ſola præſertim, & plena odoramentis?

Mulierum ingenium ſomnia narrantibus irridere.

Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. Septuaginta habent. Sicut truncus, aut palma, ſiue columna fumi, nihil pro ſe in tutelam aliud, niſi quod contra ſe eſſet, habens, nimirum maximos [1] odores notitiæ ſuę, id eſt quibus vel in denſiſſimis tenebris facilius manifeſtaretur, tutari vero ſe manifeſtata non poſſet.

[1] *2. Cor. 2.* Odorem notitiæ ſuæ Deus manifeſtat.

* Quæ eſt iſta, &c. Nocte ſcilicet. Poſſumus per aſſenſum contemplationem intelligere, qua aſcenditur ad Deum, vt per ſcalam illam Iacob, [1] per quam & ad proximorum vtilitatem, deinde etiam deſcenditur; propter quod euangelizanti. Syon dicitur, [2] Aſcende tu; vt doceatur, ad contemplationem prius accedendum, tum ad euangelizandum. Vnde & Saluator aſcendit in montem oraturus. Poſſumus autem per deſertum ſublunarem creaturam intelligere, quæ Hieruſalem non ſit, nimirum patria, vel ad patriam pertinens, quæ rectè deſertum dicitur, quę impotẽs conſolari nos, ſterilis, vaſtitas, horror: quęque patrię comparata, aut nihil, aut omnino horror, & error eſt; offendiculum omni tranſeunti per viam hanc ad patriam, & quod ſapiens ait, muſcipula. In hoc deſerto multi latrones, in quos facilè incidimus [3] deſcendentes, à quibus malè accipimur; quia in his creaturis ſublunaribus multę Dęmonum inſidię, in quos peccando incidimus, & à quibus propterea ferimur ad mortem, niſi adſit pius Sammaritanus medicus, qui noſtrę gerat curam ſalutis. Et ſanè multi cæſi; multi adhuc extincti in deſerto hoc. Quo fit vt cautè ambulandum ſit per hoc deſertum: nimirum cum creaturę datæ ob id vnum ſint, vt per ipſas aſcendamus contemplantes in Deum, curandum vt [4] vtamur creaturis, non fruamur, non ſiſtamus propterea in ipſis, & ipſarum pulchritudine ab inſtituto itineris detineamur. Hoc eſt illud deſertum, atque hæ illę inſidiæ, de quibus Hebręi capti, qui in figura illi Sapientiæ inſenſati ſunt, apud [5] Hieremiam queruntur, Velociores fuerunt perſequutores noſtri aquilis cœli; ſuper montes perſecuti nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis; quibus quidem omnimoda aduerſariorum

[1] *Geneſ.*
[2] *Iſ.*
[3] *Euang.*
[4] *Sap.*
[5] *Hieremias.*

nostrorum curà in nos perdendos describitur, atque omne studium, præsertim vero id, quod est per creaturas alliciens. Quo meritò monemur à patribus, vt videamus, [6] quomodò cautè ambulemus, vtentes hoc mundo, tanquam non vtamur, ne sic transeamus per bona temporalia, vt amittamus æterna. Sunt qui per desertum malint fortasse sęculum intelligi, ac mundum, diuitias, honores, oblectamenta, & obiecta sensuum; sed id in idem recidit, si creaturam dixerimus significatam. Hæc cum ita habeant, quoniam in fabula chorus non tam admirari potuisse videtur puellam ascendisse per desertum; non enim id fortasse admiratione dignum; quam quod noctu, sola, intrepidè, nihil hæsitans, nihil mali neque timens, neque etiam patiens, hic erit ad Virginem referentibus sensus; vt natura, gratia, Angeli, quicumque chorum agunt, admirari videantur nouo exemplo cœlestem puellam per creaturas; siue malis per hoc sęculum non solum inoffenso pede, verum nihil timenti animo, magis autem confidenti plurimum, quia nimium amanti, ascendisse. Quæ melius vt teneamus, rursum sciendum, Sicut à loco scœnæ in Hierusalem non nisi per desertum conscendi poterat, ita ad Creatorem communiter, non nisi per creaturam perueniri. Vnde [7] Paulus inuisibilia Dei, per ea quę facta sunt intellecta conspiciuntur. Id intelligentes sancti, simulque periculum agnoscentes, prudenter admoniti, tacitè ambularunt inter spem, metumque, medium tenentes beatitudinis amore, ad dextram, atque sinistram prospicientes, vtentes vtendis, fruentes fruendis, vt qui rosas colligunt, spinas deuitant. Hinc amore boni tracti, hinc periculo mali deterriti. Quod quidem mysticè fuit, neque [8] diuitias, neque paupertatem optare; & [9] in figura militare tendentibus ad terrã promissionum, siue altera tractare arma, altera templum ædificare. Quo factum est, vt non caruerit vnquam metu omnis illorum vita; presertim à [10] latere eorum cadentibus multis, & multò pluribus à dextris, à contemplatione creaturarum per indiscretionis vsum; non iam [11] aquam manu in os inserentibus leuiter, sed se in illam bibendi æstu totos per intemperantiam immergentibus. Quę res cum esset plena metu, quia & plena periculo, magnis cautionibus sanctis opus fuit, & antequam se in iter darent, & in itinere ipso; quò non per omnem creaturam omnibus fuit ad Deum accessus, sed his per illas, illis per has, prout vnicuique expedire magis, ac tutius visum est. Mitto quòd plerisque propter periculum, consilium fuit se ab omnibus expedire, & tantummodo vnam, aut alteram in cœlestem philosophiam retinere. Vnde cultę syluę, completi agri, Heremi in ciuitates conuersæ cœlestium ciuium, qui spiritualiter intelligentes, quę de oculorum dictum fuerat abscissione, spiritualiter adimplerunt. in quo philosophorum doctrinam stultam diuinę imitatione, & sapientiam huiusmodi nimirum hominum mundanorum fecerunt, docentium pulchritudinem mulierum ad cœlestia scalam, & [12] puerorum amorem gradus; sic decorè decipientium scilicet, & sub tãto pallio tantum malum tegentium: pangentes hi antiphilosophi, vel melius veri philoso-

[6] *Paul.*
[7] *Paul.*
[8] *Reg. 4.*
[9] *Exod.*
[10] *Psal.*
[11] *Iud.*
[12] *Plat.*

losophi pactum cum oculis suis, vt non cogitarent de muliere vlla. Porrò cum hęc ita cum omnibus fierent, vni Virgini cōcessum est, mulieri forti, ac singulari, non timere sibi per desertum agenti, non ab æstus caloribus, non à frigoribus niuis, non à prosperis, non ab aduersis tentationibus; natę ad reuelandas & dissipandas insidias, quin & ad conterendos insidiatores vnà, & ad faciendum, vt [13] deserta efflorescerent, viridarentque solitudines, & vastitates vernarent; nimirum non timere sibi à periculis è consideratione cuiuscumque creaturę, per quas omnes semper illa tutissimo gradu, & diuinissimo incessit; tutam sibi negotiationem putans, siue certo sciens, ab interno fortitudinis testimonio. Id quod illi suo iure concessum est, vt tuto per creaturas incederet, quæ venit creaturarum, atque adeo vniuersitatis Regina conciliare omnia, eorumque emendare actum, quæ non decorum tenuissent in repręsentando. Proptee quod videre mihi videor ad ipsam certatim concursum ab omnibus creaturis, vt olim ad Adam ad nomen accipiendum, ad recipiendum id beneficij, vt per ipsas à tanta parente conscenderetur ad Deum; exultantibus lætitia, quòd reperta esset tandem vna, quę ipsis non esset quicquam abusura, magis autem ipsas dirigens ad Creatorem, beatitudine donatura. In quo meritò sibi nomen sapientię habuit vna ceteras supergressa, eo ditior, quo sapientior, quę vna in prima, quod aiunt, principia resoluens, in omnibus omnium cognouit Auctorem. Quę merito propterea ait, quòd in [14] omnibus requiem quęsiuit, nam in omnibus Deum requisiuit. Quem quia requisiuit, in hęreditate Domini amplissima hęres morata est. Merito à Diuina prouidentia [15] in initio creaturarum possessa est, quia ab initio intellectum, quòd esset omnium creaturarum finis, cui nimirum seruirent omnia, futura. Id, quod factum est, nam optimè à creaturis omnibus seruitum est ei, quę omnibus ad agnitionem, vnde [16] Mater agnitionis, & ad amorem Dei, vnde mater pulcrę dilectionis, visa est. Vt igitur ad nostra reuertamur philosophantes; id est nunc, quod & natura, & Scripturę, & Angeli, & gratia ipsa admirari posse videntur, quòd vna puella per desertum noctu non solum sine periculo, verum & sine metu periculi potuerit ad dilectum inueniendum excurrere; nimirum quòd vna Maria nouo exemplo, & naturæ, & gratiæ (neque enim historiæ tum prophanæ, tum sacræ alterius meminerunt) per omnem creaturam ad amorem conditoris inscenderit. Et quidem non impossibile credentes admirantur, scientes nihil impossibile apud Deum, sed singulare intelligentes, & meritò. Nam ablata hac vna, mulierem fortem quis inueniet? neque natura, neque Scripturæ, neque gratia, neque Angeli ipsi. Vnde procul huius, & de vltimis finibus pretium. Et quoniam, vt quæ noctu incedit, à nulla alią re, nisi ab odoribus nè agnoscatur; ita & qui per hanc vitam, & per hanc Creaturarum Philosophiam, à nulla alia re tam timere sibi debet, quam à virtutibus ipse suis, & naturalibus talentis, nè ab hostibus capiatur; sciens quòd in virtutes sæuit magis hostis noster & prętiosiores naues prædator aggreditur; ideo non tam admirationi est

illis

[13] *Iob.*
[14] *Sap.*
[15] *Sap.*
[16] *Sap.*

illis Virgo, quòd nihil per desertum timuerit, quàm adhuc, quòd plenissima virtutum sanctarum, quę sunt odoramenta aromatum, & vniuersi pulueris, atque adeo gratjis omnibus locupletata, atque ornata, quarum fragrantissimus odor, secura contemplatrix ascendit. Et sanè sancti, quò sanctiores, eò hac in re timidiores, aut melius cautiores; intelligentes nimirum, & pretiosiores vestes à maculis, & locupletiores thesauros à furibus, & pretiosiores naues à prædonibus, & suauiores fructus à latronibus cautius custodienda. Exploratumque habentes hostis nostri consilium, quod in eo totum est, vt [17] Iordanem imbibat, cedros deijciat; nimirum vt de sanctioribus triumphet, itaq. cibum electum deglutiat, atque in paupertatem ditiores deturbet, peruersa, ac prępostera imitatione Dei. [18] Hinc in stationibus sanctis à Deo cautiones, & in tentorijs figendis, & in prælijs ipsis. Hinc super [19] Dauid timor, & tremor, & vt semitas edoceatur, studium, atque ardor. Sed intellexit Virgo se factam, vt nullum omnino timeret, quando ei, [20] qui factus est vt nullum timeret, factam se intellexit, vt timorem inijceret, & tandem [21] caput confringeret, ideoque [22] innixa intus dilectione, sic intrepida ad dilectum progressa est. Porrò etsi comparatio Virgulę fumi in eo sumpta est, vt significetur nocturnus incedentis, & solitarius incessus eius, quę tamen agnosci posset, quę esset, ex odore; valet tamen ad multa alia significanda, & plena decore est; exprimit enim maximè Virginem Dominam, ac mores eius. Nam quòd subnigra est, nimirum è fumo, humilitatem significat; in eo autem, quòd Virgula tenuissima, contemplationem, siue mortificationem, quę est extenuatio quędam in sublimia tendens. Iam vero dum dicitur, Ex aromatibus, compositio eius significatur ex perfectionum, & virtutum quod [23] ille de cœlo dicebat, delitijs, seu florisius. Denique dum dicitur, & vniuersi pulueris, vniuersitas virtutum, & perfectionum innuitur, ex quibus illa admirabilis, & tam Deo grata compositio, in omnibus [24] odoramentis & thymiamatibus veterum figurata vna, non tam figuratæ rei, quam figurantium ornamento. Et sanè humillima Virgo, quę abscondita semper domi degens, si foras, in obsequium libenter exiens, & ad vtilitatem aliorum de sinu cubiculi, & cubicularis exercitationis cęlestium æmula, imò & victrix, imitatione filij, qui [25] de sinu patris ob id ipsum venit. Sed vt virgulæ fumi noctu magis odor, quam color videtur; ita & Virginis potius fama, quàm aspectus innotuit. Et fama quidem, quæ omnem domum; idest Ecclesiam impleuit. Et innotuit quidem illius aspectus aliquibus, sed paucis, quibus versa est in diem nos, [26] & sicut dies illuminata; nimirum Apostolis, [27] diuitibus plebis, discipulis, ac Marijs, Reginis, ac concubinis, de quibus dicitur infrà; alijsq; paucis filiabus Tyri, (idest honorabilis) conuersione per baptismum ad gratiam. Et felices quibus innotuit, & si pauci, [28] quos a quus amauit Dominus; quibus veram paradisum, veram Euam intueri datum est, haurireque aquas, idest consolationes in gaudio [29] de fontibus, vnde idem met seruator hausisset. Sed, quod ad contemplationem atti-

[17] *Iob.*
[18] *Exod.*
[19] *Psal.*
[20] *Iob.*
[21] *Gen.*
[22] *Cant.*
[23] *Pythag.*
[24] *Exod Leu. Num. 2.*
[25] *Euang.*
[26] *Psal.*
[27] *Psal.*
[28] *Virg.*
[29] *Is.*

attinet; Maria vt virgula fumi semper ascendit. Et ascendimus quidem nos, sed in hoc ab illa differimus, quòd ascensus noster ascensus lapidis, violentus, prçter naturam, ex conatu, facilè languens. Illius ascensus virgulç fumi connaturalis, è leuitate ipsa, ab igne semper protendens, atque progrediens, præterquam quòd cum odore ex aromatibus. Enimvero illa sine peccato, extincto fomite, ad bonum semper procliuis, à malo semper abhorrens. Quare omnia illius ab intus, [30] intus, & pulchritudo, & pulcher ascensus. Vnde meritò qui videt [31] in abscondito scrutator cordium, odoratur odorem suauitatis. Et placet illi quidem omnis ad ipsum ascensus; propter quod Moysem [32] in alta vocat, & [33] ipse in altis habitare dicitur, & [34] innixus stat scalç, gratum hausturus spectaculum è conscendentium dexteritate. Sed cum nos per gradus scalç ascendamus, Virgo sicut virgula fumi aromatum; nimirum nos cum conatu, illa facillimè, longè illi gratior est Virginis ascensus, quàm noster. Denique, quod ad vniuersitatem attinet virtutum, ex aromatibus Virgo, & vniuerso puluere pigmentario. Omnes in ea, & à natura perfectiones, & absolutiones à gratia, cui esse à gloria omnia debebant ornamenta, ac coronç. Nihil vni defuit, quç vt nihil omnibus deesset creata est. Et nihil quidem, quod hominem, quod sanctam, quod Dei matrem deceret, parentem vniuersitatis, altricem mundi, nutricem sæculorum, institutricem Ecclesię. Omnes in vnam è consensu conspirarunt arcem virtutes, ornamenta magis acceptura, quàm datura. Et in vnum omnes aquæ Oceanum, à quo omnia, & flumina, & fontes essent futuri. Ideo [35] circumamicta visitur varietate, & rursum [36] amicta Sole, qui omnem continet lucem, varietatis auctricem. Vt omittam, quòd [37] Virgines post eam ducuntur, vt placeant, quæ virtutes sunt, vt inueniant gratiam apud Deum. Hęc breuiter de ascensu, qui iucunditatem habet, & de odore, qui suauitatem, vt oculos, vt mentem pascamus. Iam puellæ (si ipsis tribuamus hæc admirantibus somni ausus, non ipsi sponsę, audita referenti) vrgent somnij difficultatem, augentque admirationem. Quare aiunt.

[30] Psal.
[31] Eu.
[32] Exod.
[33] Psal.
[34] Genes.
[35] Psalm.
[36] Apoc.
[37] Psalm.

En lectulum Salomonis.

Earumdem verba. Idem vrgent argumentum. Et fortasse eo consilio pluribus faciunt, quòd tacito quodam sensu animaduertebant, nimis fidentem somnio, illum ascensum, atque eam inquisitionem meditantem; si tandem detineant. Vt igitur auocent, En, inquiunt, lectulum Salomonis. Figuratè, Salomonem in lectulo: & decorum habet dum se ipse Salomon in actione insinuat, & describit, vt in tabulis pictores faciunt.

Sexaginta fortes ambiunt.

Crediderim regiam cohortem, sed multo re numerosiorem, aut sexaginta sibi inuicem succedentes in custodia.

Ex

Ex fortissimis Israel.

Vt sit, & fas est fieri. Et cur?

Vt [1] maiestas cum robore res tuta sit.

[1] *Tit. Liu. Deca. 1. l. 2. cap. 35.* Maiestas sine robore res non tuta.

Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super fœmur eius.

Quam oratoriè exaggerata, & poëticè descripta. An illis quicquam cedunt. [1]

Tercentum scutati omnes Volscente magistro?

[1] *Virg. ix.*

Propter timores nocturnos.

Ea, quæ noctu possunt accidere, à quibus prudenter timent. Qui igitur puella, aiunt, vnquam sola per noctem incesserit? Sic [1] Cicero pro Cœlio dixit. Qui propter nescio quam credo timiditatem, & nocturnos quosdam metus, tecum semper cubitauit.

[1] *Cic pro Cœlio.*

* En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super fœmur eius, propter timores nocturnos. Per Salomonem potentissimum, sapientissimum Regem; & optimum, pacificum scilicet, nobis Deus ipse exprimitur, cuius consilia, & cogitationes pacis, qui & sapientia, & potentia ipsa est. Vnde [1] Rex Regum, & Dominus dominantium scriptum in fœmore eius, quod est fortitudinis symbolu m; vt describente se decorè Salomone in fabula, & ipse se Deus in historia, m aiore adhuc decoro describat. Huic cum millia, millium ministrent, & decies centena millia assistant, sexaginta pręcipuè ambiunt ex fortissimis Israel; nimirum Seraphim, è quibus armatus Michael. Omnes ad bella doctissimi, vt experientia docuit, cum oportuit, Diabolo, & satellitibus eius expulsis Vrbe. Puellis igitur bellè sponsæ arguentibus somnum; natura, & gratia, & scripturę, & quicumque chorum agunt, bellissimè hìc Virgini, sic prophetię adimpletionem asserunt difficilem, ex ipsomet Deo ducto argumento, vt ibi ex Salomone. Et loquuntur quidem ex vulgi persona. En ipsemet Deus circumdatus fortissimis spiritibus incedit, qui custodię sint, & munimini. Sanè aut putat id vulgus, aut putare potest ex armatorum Angelorum aspectu in pictura, minus cogitans, & de superioribus ex inferio ibus arguens, dimetiensq. illa ex sensibus hisce; vel cum audit cœlestibus spiritibus, tanquam militibus stipatum, ac septum. Sed illi, qui omnium perfectiones continent, abiectis imperfectionibus, ornamento sunt milites, ac maiestati significandę, non munimini, & timori fugando. sicut cœlum sedes est dignitati, non quieti; stellę decori domus, non luci; amictus maiestati, non tegumento, ensis ornamento, non securitati. propter quod cum dixisset Dauid. [2] Accingere gladio tuo super fœmur tuum poten-

[1] *Apoc.*

[2] *Psalm.*

tentissimè. Addit, Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede,& regna. Ex vulgo igitur non incedit solus, sed stipatus fortissimis militibus, vt propter timores nocturnos sic incedere videatur. Qui igitur tu Virgo sola potueris nihil timens ad Dilectum quærendum incedere? Quòd si exaggeratio quædam videri possit hæc, sanè exaggerationem postulant eneruationes quorumdam enarratorum, quæ mirabilia videantur. Nec ipse Deus sic incederet, vt tu dicis te prauidisse incessuram. Nihil habet noui. Nam & exaggeratio illa est erga Deum. 3 Amare, & sapere vix Deo conceditur; & illa veterum: Nec Deus contra duos, Hercules scilicet. Sed qui nam est hic gladius, quem Angeli illi super fœmur habent, aduersus diabolos, & aëreas potestates? Verbum Dei, Verbum veritatis, quo & se ornant, ornati armant, armati hostem aggrediuntur, aggressi perimunt, & transfigunt. 4 Verbum Dei penetrabilius omni gladio ancipiti, & vsque ad interiora; nimirum intelligentiæ, & animæ sensa pertingens. Hunc nocturnæ laruæ, spiritus tenebrarum, nocturnam amantes cognitionem, euaginatum, & quia splendet horrent, & fugiunt, quia ferit. His sapientissimè Virgo idem retorquet argumentum ex eodem Deo sumptum, vt cum Salomone sponsa facit, aitque, Et ipsum etiam Deum, quem bellatorem dicant, amatorem esse probari, simulq; & arma, & togam gestare, delectari paludamento, & curru, esse libenter in castris, & in foro, scire & gladios, & amores tractare. O diuinam sapientiam diuinè philosophantem? ò Diuinitus edoctam omnia puellam, & suauiter ad omnia pertingentem? Ecquid ait?

3 *Socrat.*

4 *Paul.*

Ferculum fecit sibi Rex Salomon, de lignis Libani: columbas eius fecit argenteas, &c.

Lecticam gestatoriam, vel sellam eiusdem generis, atque ad idem munus. Alij lectum. Sponsa sic à puellis (respondentis enim sponsæ sunt verba) tacta, vel quòd quæ vigil non feceret, somniasset, vel quòd indecora moliretur; nimirum se in viam dare quasitum. Eodem Salomone adducto infringit argumentum, siue vno, siue altero sensu verba interpretetis; nam vel negat fieri illa circa lectum Salomonis, vel dicit non semper ita fieri; Vt sit sensus. Salomon nè, vt sibi timeat? Salomonem adducitis? Quin ille ferculum sibi fabricatus est, magnificum, nobile, pompaticum, (feminilis digressio, & laus) Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, & in medio seipse constituit, pulchrum, spirantem amorum; idque propter filias Hierusalem; nimirum vt has alliciat ad sui amorem, exerceatq. sic amores, circumfertur tota die. Qui igitur, & à quonam sibi ille timeat? Argumentum, quod, si minus attendas, deficere videatur, si probè, valere satis. Non sunt sibi valdè timentium noctu, amorum tot, tamq. frequentes, & studij plenæ exercitationes. Vel non ita sibi timet idem Salomon, neque ita in-

custo-

custodia suorum est semper, vt aliquando, vel sub vesperam ad multam noctem, vel ad auroram amore tractus, non circumcurset se spectandum, nè agnoscendum modò concedens. Id, quod nè in controuersiam fortè vocari possit, sit, nec nè ita, vt ipsa prædicat; notum subiungit esse, & apertum in oculis omnium, vt videri semper possit. Vnde ait.

Egredimini, & videte filiæ Syon Regem Salomonem.

Facile si quidem erit videre exercentem amores, & palam, & cum impudentia. Vnde.

In diademate, quo coronauit illum mater sua, &c.

Nihil scilicet mutata veste, aut obuolutus, nè cognoscatur, idem ferè, & exercere amores, & regere regnum putans. Sunt qui putent verba esse exhortantis filias ad redamandum Salomonem amantem; nec displicet, si amor honestus sit, & coniugalis, ac licitus.

* Ferculum fecit sibi Rex Salomon. Ille ipse, quem vos bellatorem prædicatis cautum, securum ego prædico amatorem. Ferculum siue lectica gestatoria, siue sella, aut lectus Ecclesia militans est, cuius auctor, & Architectus Deus, ipse enim [1] fundauit eam altissimus, cuius Typus Salomonis [2] templum, quod ipsemet architectatus est. Hanc sibi ipse fecit, vt in ea esset, vnde in Propheta ait, Deus [3] in medio eius. Sibi autem, vt in hac spectabilis appareret suis, Dominus enim in ea in [4] Syon, in sancto, appareret, non per speciem, sed per fidem, per quam videmus. Secundùm quod Propheta dicebat, [5] Manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. Vnde [6] Hierusalem dicta Visio pacis. Rursum sibi, vt [7] portaretur nomen eius ad gentes per eam, & Apostolos doctores eius; itaque in [8] Idumeam calceamentū eius, idest possessio extenderetur. [9] Nam salus ex Hebræis, & ab Hierusalem prædicatio, & ab Ecclesia conuersio gentilium per Apostolos. Ferculum hoc de lignis Libani fecit, quia nimirum de incorruptibilibus dogmatibus, sempiternæ veritatis, quare ipsa numquam excidit, numquam tempori, idest falsitati cedit, aut rerum varietati; magis autem aduersus illam obdurescit, & fit solidior. An hæc est sapientia, quam se daturum promisit [10] Dominus, cui non possent aduersarij omnes resistere? Et hæc quidem dogmata de Libano, idest candido sumpta; nimirum desursum, de candenti illa immortalitatis luce, à Deo, [11] à quo doctrinam omnē esse ipse Dominus confitebatur. Nonnè enim hinc innascuntur hæc dogmata, quæ diuinitus inspirati docuerunt Sancti? Sed & columnæ argenteæ accesserunt ad ligna Libani, quia nimirum ad cœlestia dogmata fidei, spes accessit, argentea quidem, & colore,

1 *Psalm.*
2 *Reg.*
3 *Psalm.*
4 *Psalm.*
5 *Psalm.*
6 *Hymn. Eccl.*
7 *Act.*
8 *Psal.*
9 *Eu.*
10 *Euang.*
11 *Euang.*

sem-

ſemper enim cœleſtia intuens, & pretio, [11] Spes enim ideo non confundit, quia pretioſa, & valet ad immortalia; vnde magnam habet remunerationem. Ad hæc reclinatorium, caritas, in qua omnia, omnium finis, ac quies. Et aureum, quia caritas amore flammeſcens, pretio ita valens, vt ſit ipſa lex, & menſura ceterorum; vnde omnium maior; & niſi, ait [13] Apoſtolus, caritatem habuero, nihil ſum. Aſcenſus verò multorum graduum purpureus, ideſt virtutum moralium cumulus, atque aggregatio ordinata. Non quidem aureus, non enim virtutes morales caritas; ſed ad colorem auri purpureus, quia caritate conſperſæ; Caritas enim & virtutum ipſarum moralium valor, pretium, finis, forma. Vnde meritò non eſt ſimpliciter aſcenſus, ſed aſcenſus purpureus, quia virtutes morales nihil & ipſæ ſunt, niſi ſint à caritate informatæ. Hæc fabrica, & Eccleſiæ ſtructura, hæc materia, hæc forma, atque hic artifex. Iam finis & ipſemet, vt dixi: ſe ipſe in medio conſtituit pulchrum, immò & rationem pulchrorum, & ideo ſolum pulchrum, ſpirantem amores; caritas enim ipſa eſt. & ignis ardens, & ignea lex in dextera eius. Idq. propter filias Hieruſalem, propter Sanctos, & electos Dei, vt ad amorem accendat; Propter quod ait, [14] Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat? & rurſum quòd venit ſeparare ſocrum à nuru, filiam à matre, &c. quod eſt, vt mihi adhæreant omnes Virgines caſtæ ſponſo, relictis omnibus patre, ac matre, vel ipſiſmet viris, ac coniugibus, animo, atque affectu, vni meliori per ſpiritale coniugium, & melius inhæſuræ. Itaque dum illi Virgini Deum in Eccleſia triumphanti militantem, & bellatorem adducunt, ſapientiſſimè illis Virgo hunc eundem, retorquens, & refringens argutias, in Eccleſia militante triumphantem, & amatorem inducit. At qui, inquiens, & ille ipſe Deus in amoribus animarum noctu, ideſt per tempora vitæ huius, & nocturnus, ideſt per fidem agnitus incedit; vel ſub auroram, quod idem eſt; idq. nulla cuſtodia, nullo Angelorum præſidio, per ſeipſe amores tractans, ſeq. ipſe in animas infundens. Id, quod veritati congruit; nam & ſi ad multa miniſterio Angelorum vtatur in Eccleſia, multa tamen, quæ ſunt amoris, per ſe ipſe facit: Per ſe gratiam, & caritatem infundens, per ſe ad amorem ſui alliciens. Vnde ait: [15] Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Sed & poſſumus adhuc, eritq. idem ſenſus, atque eadem argumenti retorſio, per Ferculum humanitatem intelligere, quam modo Verbum induiſſe ex ſe ſenſerat noſtra Virgo. Et ſanè ferculum, cuius auctor ipſemet Salomon Rex pacificus, ipſummet Verbum; vnde ait, [16] Verbum caro factum eſt. Quod eſt, ſe ipſe fecit; Cuius materia, ac forma de lignis Libani, ideſt candidi: ideſt de puriſſima carne, ac ſanguinibus ipſiuſmet Virginis, & de argento, & auro, & purpura, de puriſſima anima, de pretioſiſſimis virtutibus; cuius denique finis, manifeſtatio ſui ad amorem per fidem. Vnde ait, [17] Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis. Et ipſe ait, [18] Ego veni, vt vitam habeant.

[11] Paul.
[13] Paul.
[14] Eu.
[15] Oſ.
[16] Euang.
[17] Io.
[18] Eu.

19 Euang.

beant. Et rursum, [19] Ignem veni mittere in terram. & omnia traham ad me ipsum. aliaque.

CAPVT QVARTVM.

Quam pulchra es.

Actus Tertius Scœna Prima. Sponsus.

ET capitis & noui actus initium (tertius is scilicet) quin & noui etiã decoris, nouæque pulchritudinis. Medius actus, ideoq. & virtus, & cor. Decesserat aliqua noctis pars. Quieti vtcumque sponsa operam dabat, dabat tamen: Cùm ecce amoribus, & amorum simul irritamentis natus sponsus inexspectatus, ad fores, cum omnium horarum; quod in adagio est; amicis aduenit; & ne quid desit, aut amori pabuli, aut decori fabulæ, psaltitans, cantillansque: siue; vt ille ait:

Amici omniũ horarum. Adagium. quid? Amor musicam docet. *1 Anacr.* 2 Amor musicã docet *ex Plut. in Symposiito.*

[1] Pede verberans soluto,
Cytharaque continente,
([2] amore musicam docente,)
Quiescentis ad cubile,

sponsæ ipsius laudes de more, vt fit, aggreditur. Decora omnia. Opportunum lusui tempus, & cantibus, nimirum nox.

3 Tibull. eleg. 5. *4 Virg. ecl 8.* Amoris quæ argumenta. *5 Theocrit. Idyl. 11.*

[3] Ludite, iam nox iungit equos.
[4] Damon noctu canit.

Opportuna & hora, ad primos, quod aiunt, somnos.

[5] Venis autem rursum sic,
Quando dulcis somnus habet me.

Et subdit, quod etiam nostræ quadrat actioni:

Vadis autem statim iens,
Quando dulcis somnus dimittit me.

6 Tibull. Eleg. 3 lib. 1. *7 Sophoc. in Trachinijs.* Amor Dei si humilia faciat, solus non ignominiam habet.

Opportunus verò maximè, & ex amore aduentus inexspectatus, tanquam è cœlo missi apud prophanos.

[6] Sed videar cœlo missus
Nec quisquam nunciante.

8 Plat. in Con. in Orat. Pauſ. Tibull. etiam lib. 1. Eleg. 1. Sedeo Ianitor ante fores. *9 Lege Plat. ib* nã ratio quare seruitus amoris non ignominiã habeat, est quia voluntaria est.

Certè cursus, amoris & signa, & nutrimenta. Insperatum [7] Deianiræ lumen affulget aduentu Herculis, vt ipsa ait; vnde magis lætatur. Quid verò locus ad ianuam, an non opportunus, & decens? Et ipsum amoris argumentum, ad fores noctu, vt [8] Plato ait, iacere. Quo tam longe abest, vt quid ignominiæ contrahatur opinione omnium amatorum, vt gloriæ capiatur. Sed re vera contrahitur, nisi Dei caussa fiat, vt martyribus, vt alijs factum est; hæc enim maximè [9] voluntaria seruitus. Quid igitur Cantus? Vide quo descendere fecerit poëtam nostrum, nimirum Deum, vt ad se nos erigeret? Vide & nobis ad quæ descendendum sit exponentibus, vt his ad verba probè explicitis, sit facilior, ac melior ad intelligentiam diuinorum ingressus. Sed

cum

cum plurimum sit cantui cum amore quolibet, maius quid est cum Diuino, qui vnus cum afflauerit [10] poëtas, veros efficiet [11] cantores. Omisimus autem de vigilijs dicere. Vigilare ab amore est, & ad amorem.

[12] Nec placido memini concedere somno:

[13] Et nunquam ne contigit tibi vigilare propter amorem?

Sponsus noster amorem vigilijs expertus est, media nocte veniens, vt est [14] in Euangelio.

Orditur autem sponsus canticum; à quo crediderim actioni nomen, quòd magnum, quòd pulcherrimum, quod dignissima continens; canticorum, quod est diuinissimum, dictum; id enim Hebræis repetitio illa est. vnde & mons montium, mons princeps, altissimus, & Deus Deorum, Deus verissimus, aliaque. Artifitio autem vtitur maximo, vt dici illud possit, quod est Zenoni dictum apud [15] Platonem. Hæc, vt virum fortem decet, pertractata esse reor; idest præmeditatò dicta, quamquam putaram ex amore in promptu deprompta. Et artifitiosè primum quidem totam, tum totius singula laudat, rusticanisq. comparationibus frequens, rusticanum depingit ingenium. Tanta verò verborum, & rerum copia, ac decoro, vt dici ipsi possit illud. [16] Nimis Deam tuam extollis, ò amice. Et de ipso. [17] Maximus poëta euasit, cum primum amor afflauit.

* Quam pulchra es.]Hactenus duo primi actus in scœna, & actione, atque hactenus in historia duæ præcipuæ actiones Virginis, ac Verbi Dei, nimirum & Incarnatio, & sanctificatio Ioannis Baptistæ, totusque ille progressus ad natiuitatem vsque eiusdem Verbi in carne. Hic & capitis, & noui actus initium, quia hic de natiuitate Domini, & aliqua vitæ parte sermo. Quòd si in fabula tertius actus virtus, & cor actionis; certè ortus in vita filij Dei, optima actio, & Virgini maxima amorum oblectatio; & si spectes adhuc media, nam Incarnatio prima, ortus & vita media, mors & ascensus postrema. Hic igitur & ita philosophemur, ac sic vtrumque & drama, & veritatem sibi respondentes admiremur. In tertio actu Sponsus venit ad Sponsam, quia nimirum Christus Dominus nascens, & in vita iam visibilis, iam aspectabilis venit ad Mariam. Quòd si ille irritamentis natus amorum, certè hic excitandæ, & exigendæ omnimodæ caritati. Et ille quidem inexspectatus dum venit, hic est, qui nullis communibus nuntijs aduentus, nimirum doloribus partus adest, ac præstò est. Rursum ille noctu, & hic noctu, & præterea in tenebras vitæ huius, vel in quiete, & silentio. Ille ad fores dormientis, vel dormitantis, hic ad aspectum & ante oculos altissimè contemplantis. Quòd si ille adhuc cum amicis omnium horarum, certè hic cum adstantibus ipsi semper Angelis, & cœlestibus spiritibus, qui semper videntes faciem Patris, & Filij semper vident è cœlo, è terra magis & Pastoribus, ac Sanctis. Ac si ille, ne quid desit decori tantæ fabulæ, psallitans, cantillansque, & Sponsæ ipsius laudes concinens, certè & hic ne quid deesset tantæ historiæ ornamenti in lætitia, & exsultatione totum spirans placidum numen, &

I Virgi-

[10] *Ex Plat. in Conu.* quilibet Poeta euadet, cũ primũ amor afflauerit.

[11] *Plut.* amor docet musicam.

[12] *Aurel olymp. Nem. Ecl. 2.*

[13] *Theoc. Idyll. 10.*

[14] *Euang*

Canticum Canticorum quid?

[15] *Plato in Parmenide.*

[16] *Plat. in Phileb. verba Socratis Philebo obijcienti*, Deũ tuum extollis; & tu, *inquit*, amice Deã tuã.

[17] *Plat. in Con. Orat. Agath.* Quilibet, licet antea rudis, cum primũ amor afflauit, Poeta euadit.

Virginem ipsam augens gratijs aspectu. Sanè ita venit, noctu: [1] Vnde dicitur, quòd cum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter peragerer, omnipotens sermo tuus, Domine, de regalibus sedibus venit. Et decuit lucis aduentum nox, ignem gelu, splendorem tenebræ, quo exstaret vmbris magis, ac elucesceret. Quòd si nox, quies est, & pax, ita venit, in pace, sedato orbe Augusto Cæsare, vt fuerat ante prophetatum. Et decuit principem pacis pax, & compositio rerum temporalium architectanti spiritalem æternam compositionem; [2] vt fieret in pace locus eius in terra, qui locum terræ in cœlo pararet in pace. Iam vero in conspectum venit altissimè contemplantis Mariæ, sic enim scribunt Sancti, tunc cùm pareret, sublissimè euectam Mariam ad contemplandum; suntque qui dicant, vsque ad visionem illam Dei, de qua sæpius diximus, pertinxisse. Sanè iuxta Prophetiam, [3] Lætabitur deserta, & inuia & exsultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exsultabit lætabunda, & laudans. vndè autem hęc tanta lętitia nisi à contemplationis bono. aut quæ? nisi ea, quæ in Deo, & à Deo sit, eius conspectu? Sanè ita grauida verba prophetæ sunt, vt non nisi magnam quandam, & exuberantem lętitiam à magno fonte significent. Et si prima nox erat, ac primi somni tunc, cum dulciores, & arctiores esse solent; certè dulcissimo contemplationis actu detinebatur Maria; & fortè vt Sponsa intus imaginabatur audiens, aut somnians, quid Sponsus foris agebat, Maria pro contemplatione, quid ortus Dominus ageret, intuebatur. Et decuit quidem tunc Mariam illa contemplatio, atque illa visio, vt quæ erat sine dolore pariens, vt quæ vtramque esset [4] Euangelistis generationem filij enarratura, vtrumque eiusdem simul ortum videret. Vt carior esset è somno excitatæ aspectus amantis, idest filij è contemplatione restitutę, vt in tenebris illius noctis [5] lucem ipsa magnam omnium mater videret, vt ex alto vertice solis ortum omnem atque integrum hauriret mentis oculis, aliaque. Ad hęc inexspectatò aduenit, sicut [6] fulgur, vt fuerat prophetatum, sicut lux; [7] quę paret ex oriente in occidens: vnde nemo posset cogitare aduentum eius; secundùm quod dicitur, [8] Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius peperit masculum. atque id decenter factum, vt probaretur sine doloribus ortus matris, vt figuraretur alter aduentus, futurus sicut furis ad iudicandum, vt gratior esset exsultans, sicut [9] Gygas, & maiores nutrirentur amores. Venit pręterea cum Angelis, & Sanctis suis, [10] in splendoribus Sanctorum, sicut noctu Sponsus lucentibus amicis, & familiaribus stellis; & omnes Angeli eius cum eo: facta est enim multitudo dicentium, [11] Gloria in altissimis Deo. & ecce pastores è regione, Magi ab Oriente, Sancti in templo. Et hęc decentia, vt quis esset, videremus, ad quid venisset, quid figuraret. Denique in exsultatione, & lętitia, sicut dictum est. Et quidem sua, vnde dicitur, quòd ipse [12] tãquam Sponsus procedens de thalamo, & exsultans sicut Gygas: ita enim decebat vt exsultaret, qui veniebat, lux alijs, gaudium, & exsultatio, ablegaturus mortem,

[1] Sap.
[2] Proph.
[3] Is.
[4] Is.
[5] Is.
[6] Proph.
[7] Euang.
[8] Is.
[9] Psalm.
[10] Psalm.
[11] Euang.
[12] Psal.

tem, vitam in se ipse expressurus sempiternam. Rursum in exultatione, & lętitia matris, declinans super eam fluuium pacis, & torrentem inundantem vt dixit [13] Isaias. Vnde monetur Hierusalem in figura, vt lętetur, & nos vt cum illa. [14] Lętamini cum Hierusalem, & exsultate in ea omnes, qui diligitis eam. Id quod & ipsum ita decebat vt fieret, vt quę concepisset de Spiritu sancto, vt quę Sponsa esset, vt quæ luna, vt quę [15] aquæ ductus fonti vicinior, & quę materfamilias, cuius ab vbere omnes consolationem, & delitias expectantes. Denique & ipsorum amicorum in gaudio, vt [16] qui super omnium peccatorum salute gauderent, ac propria. Vides igitur vtriusque actionis diuinum concentum, ac consonantiam vt in hoc maxime auctorem vtriusque agnoscas, & religiosissimè venereris? nam non hęc terræ fundatio, aut cœlorum concameratio, aut elementorum extensio, aut denique mundi fabrica, sed longè aliud dignius, & magnificentius opus. Omisi quod & vigil venit, vt qui [17] custos de nocte, qui pastor super grege, qui Deus longè videns, qui exprobraturus somnum in nocte, securitatem in hac vita, qui operaturus statim, qui seruiens propter [18] Rachelem, idest animam vniuscuiusque, qui habiturus [19] in manu librum vitę ad pręmia, ac mercedens ęternas maximus [20] Assuerus. Sed quid est hoc canticum vnde nomen Actioni, in quo laudes Virgini canit? Sanè ni fallor ex admiratione laus quędam tacita, & ingens commendatio, qua quidem siue laudatorem spectes, siue laudatam personam, siue laudes ipsas, nihil est laudabilius; vnde merito nomen dedit actioni. Et laudata quidem est Virgo, in cuius laudibus semper versamur; iam laudes, quæ infra describuntur, de quibus mox considerabimus. Laudator verò ille, qui & vt Deus laus ipsa est, & vt homo laudatissimus. quò fit vt merito dictum sit Dominę à Propheta, [21] Gloriosa dicta sunt de te, sub symbolo ciuitatis. At quę noua laudatori laudandi occasio? Oculus, siue aspectus. Vbi in hunc mundum venit homo, prodijtque [22] cœlestis de cœlo Adam, vagijt puer, fateor, se puerum ostendens, emisitque & ipse [23] primam suam vocem fletus infans præsertim inter præsepia dura, atque arcta sequente hyeme. Verum perfectissimus vir, instar vnus omnium, Dominus, corona, ac Rex, statim natus splendenti cœlesti luce antro, in Empyreum scilicet, & diuinam Regiam commutato, conuertit ad matrem oculos, in eaque defixit. Hanc sibi datam cœlestem è cœlo Euam ad exsaturandos pulchritudine oculos in cœlestes, spiritales generationes Virginum, intelligens. Hanc sibi paradisum ad recreandum se, hoc ad intuendum, & hauriendum spiritum apertum vndequaque, & extensum cœlum. Hinc sibi ad inuisibilia Dei gradum. Hinc scalam videns à Deo factam. Sed simul ac intuens vidit, vt obstupuit, vt dilexit? vt defixus totus est! opere manuum suarum sibi maximè complacens artifex, se deuouens, transmittens ad prosperos admirationis exempla. quæ quidem tanta fuit, vt (cum ipse omnium contemplantium perfectiones continuerit, Virgo pulcritudines rerum creatarum) exprimi nullo modo possit. Hinc igitur, atque hęc nouę laudis, siue

[13] *Is.*
[14] *Is.*
[15] *Sap.*
[16] *Euang.*
[17] *Proph.*
[18] *Gen.*
[19] *Ap.*
[20] *Esth.*
[21] *Psalm.*
[22] *Paul.*
[23] *Sap.*

23 *Psalm.*

noui cantici occasio, 23 quia mirabilia quæ fecisset ipse Deus, idem homo in initio viarum suarum, antequam quicquam operaretur à principio ortus sui, fuisset intuitus. Nec dubium, quin alia ab his verba, atque aliç laudes intuentis, nimirum laudes diuinitatis artificis, admirationes potentię, sapientiæ, bonitatis, gratiarum actiones largitatis è tanta possessione tantę paradisi, ac tanti boni. Sed hęc describuntur hic tantummodo, quę ipsam Esther aurea virga è solio tangant, sintq. nostræ Rebeccę laudes, nouamque Rachelem commendent. Sed iam verba ipsa expendamus.

Quam pulcra es, *inquit*, amica mea, quam pulcra es?

Valde scilicet pulcra es. Admiratio rem auget. Quam igitur tu amans sponse, quam amans?

* Quam pulcra es, &c. Tam cito contemplator factus formæ illius, & admirator? sed iam age, quam pulcra? non est fas explicari, cum liceat intueri. Annon igitur fas homini Deo? Omnem creatam excedit capacitatem. Complacet ne tibi in opere? nihil suprà. Valde ne illa pulcra? valdè. Decebit igitur 1 illam silentium, & veneratio? ita sanè, vt excellens valdè opus. Quorsum igitur hę laudes? quia hæc silentium. quicquid enim in laudem eius dixeris, nihil est, vt mage quod omiseris, quàm quod retuleris, dixeris. Sed quæso te, quam pulcra, quando de pulcritudine placet vnicuique sermo? Sanè quàm sapiens? Ita sapiens, vt ipsa videatur sapientia: ita pulcra: vt ipsa sit pulcritudo. Post te vnum nullus vnquam sapientior, & post me adhuc nemo pulchrior. Speciosa forma præ filiabus. At de qua tibi pulcritudine sermo? quacumque & animi, & corporis: placet valdè animo, placet valde oculo vas admirabile, opus excelsi, quo non est simile factum, cuius ex Argilla typus cetera, quę finis omnium. Edissere verò quam pulcra. singula consideremus. Sed antequam exordiare, agedum edoce, si tam pulcra est, vt dicis, vt quid igitur huic mundo orta est? non statim Angelicis Choris inserta? nisi fortè non pulchrior Angelis sit? Sanè pulchrior, & longe pulchrior, vt huius illi faciem intueri optent, nam illę diuitias congregarunt sibi à Deo, hæc 2 vniuersas est supergressa. Cedo igitur, vt quid hic nata? non hic nata: Data, concessa summi muneris loco, per summam beneficentiam, cum nata. Iam ad quid? vt admirationi esset naturę, stupori gratiæ ipsi, vt creaturarum omnium decentissimus nodus, perfectissimum vinculum, vt vt arcus in signum fœderi, sidus in ornamentum orbis, Luna in remedium tenebrarum, Sol inter minora sidera in accensionem, & lucem; vt singulare miraculum, vt Dei opus, vt mihi singularis coadiutrix in re hominum & vniuersitatis. Ad complendum orbem data est nouis generationibus Virginum, & emendatis omnium creaturarum erroribus, ad manifestandam vnius conditoris, quam amemus eximiam pulcritudinem. Mira hæc, sed iam laudes, ni mo-

1 *Psalm.*

2 *Sap.*

ni molestiæ est, retexe. Molestiæ esse non potest, erit voluptati maximæ. Laudes matris sunt, humillimæ Virginis, operis Dei summi. Sint verò ab oculis exordia. Quibus? Corporis, animi. Qui nam oculi animi? Intelligentia. At oculus, non oculi? & oculus, & oculi. Oculus, dum vna; oculi, dum plusquam mille oculi videns, & intuens. Rursum oculi lumina naturale, supernaturale. Cur hinc exordia? nihil his melius.

Oculi tui columbarum.

Oculorum laus.

Ignei, fulgurantes, siderei. Hæc oculorum laus. [1]

At ignis instar eius, Sit fulgurans ocellus.

Hi & columbis, præsertim Palæstinis oculi, vel tunc celeberrimis. Vnde Romanus. [2]

Alba Palęstino sancta columba viro?

[1] *Anacr.*

[2] *Tibull.*

Absque eo, quod intrinsecus latet.

Hebrai; Intra vittam, vel velum, vel comam tuam. Scilicet toti videri non potuerant sponso, cum sponsa demissos ante frontem capillos haberet, sed grato quodam fulgore inter ipsos crines intermicabant, vt illarum apud [1] Euripidem in Oreste, quibus dicitur: Circumferte nunc palpebram, date pupillis vndique per capillos locum. Vel si malis, intra velum, aut vittam. LXX. extra taciturnitatem tuam. Videtur sensus absque eo, quod silentio prętermittendum est. Id autem quod nam sit, & quid nobis absque eo, quod intrinsecus latet; id controuersum est. Putant alij ad virtutes animi referendum, Absq. eo scilicet, quod est perspicacitatis in videndo in anima. Alij aliter. Absque eo, quod non videtur, vt hinc sit coniectura.

[1] *In Orest. Antistroph.* j.

Placent tamen ad virtutem animi referentes. Nam cum per faciem se ostendit animus intus degens, tum maximè per oculos maiestatem quamdam occultam, atque latentem; quam cum exprimere nequeas, silentio melius venereris, emicans, fulguransque, significat. Vnde alijs sidereum quid micantes aliorum oculi, cœleste, diuinum, terribile.

Capilli tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de Galaad.

Capillorum laus quæ?

Ab oculis ad capillos immigrat. Videtur hunc ordinem is seruasse, qui cum bellam, candidam dixisset cetera laudare prosequitur, nisi quòd capillos oculis præfert: [1]

Pande capillulos.
Flauos lucentes. & deinde.
Pande stellatos oculos.

[1] *Corn. Gall. in quodam Lyr. Carmine.*

Sed quod nos, tonsarum, LXX. caprarum. Quod nos, ascenderunt. Alij reuelatæ sunt. Idem omnibus. Comparat monti Galaad caput sponsæ, rotundo, speciofo, erecto, odorum pleno. Tum gregibus

caprarum; aut ascendentibus, aut descendentibus inde, aut quæ in prospectu esse possent, & cerni, capillos; quia plurimos, & spissos, quia discriminatos, quia molles, ac morbidos, quia fusos à capite, vt à monte greges, quia flauescentes præsertim ad solem, aut subflauos, inter se ordinatos, pulchros propter aspectum. Melior nostra comparatio, quam illius, [a]

a Mar.l.5.epist. 37.

Quæ crine vincit Bœtici gregis vellus.

Dentium laus in quo?

Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.

In eo comparatio, quòd frequentes, contiguique, quòd æquales, quòd mundi, nitidique. Hæ dentium laudes. [1]

1 Ouid.3. de Art. am.

Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus,
Dens, tibi ridendo maxima damna feres.

Et tonsæ quidem oues propter frigus inter se stipatæ incedunt, & æquis passibus; lotæ autem nitescunt. Et fortè non quascumque intelligit, sed de quibus dici possit. [2]

2 Tibull. l.1. eleg. v.

Et niueæ candidus agnus ouis.

Omnes gemellis fœtibus,& sterilis non est inter eas.

Poëticè decora aberratio in laudem gregis. Quàm pulchræ illæ scilicet sunt, præsertim sequentibus fœtibus. Quòd si non vacant. Crediderim id decere comparationem, quòd dentium magni paruis sint mixti, vt in gregibus fit, vt magni quidem, oues, parui, agni videantur. Vel id magis, quòd nullus sit inter dentem, ac dentem hiatus; si quidem inter ouem, & ouem, hinc, atque hinc gemellis fœtibus vnamquamq. stipantibus, nihil spatij est, cum siue stant, siue incedunt. Exstent mihi ex inferis poëtæ omnes, si valeant, non dicam decus vincere, at aliqua ex parte æquiparare.

Labiorum laus quæ?

Sicut vitta coccinea labia tua.

Rubra, & flammantia, corallina. Hæc labiorum laus, hinc [1] alijs laudata.

1 Corn.Gall. in Lyr. Carm.

Labra, labra corallina.

* Oculi tui columbarum. Ignei, fulgurantes, siderei. Referamus hæc prius ad corpus, tum ad animam. Hi matris optimæ oculi, & nutricis principis vniuersitatis, diuinum quid emicantes, cœleste, immortale. Absque eo, quod intrinsecus latet. Et tamen intra vittam, vel velum, vel comam sunt, vt emicent, non videantur toti? Sed vnde hæc illi vitta, aut velum, aut demissæ comæ? Ex more gestandi Hebræo, ex frigore noctis huius, ex contemplationis profunditate. Vnde autem hic tantus fulgor? Ex animo ab intrinsecus, ab eo, quod latet, ex plenitudine omnium gratiarum, ex consuetudine, & familiaritate cœlestium. Sed mihi tui gratius, & luminosius fulgurant ocelli, amantissime puer, & dulcissime; vide igitur nè tu Sol

sis,

fis, illa Luna; tu Deus, illa Moyses, tu Sponsus, illæ lampades? Edoce luminis, & gratiæ fontem, gratius enim fontem reperire, quam riuulos? Vndiq; illa lux, & vndequaq; illud solium duorum lumen, illa speculorum puritas, stellarum claritas, corporatorum Angelorum splendor, intelligentiarum orbis candor, & intrinsecus ab anima, & à gratia, & à largitate gratiarum, & extrinsecus à me. Quamquam ego illi, illa mihi inuicem lux: Et tribuo, & accipio: Do, capio, idem Sol, idem sidus. Hinc igitur ad recens natam olim orbi puellam, auroram diei, videndam, & contemplandam orbis sensus, vicinæ lætitiæ, cognationis concursus, parentum exsultatio, atque defixio, cœlestium adhuc spirituum conuolatus. Hinc oblata in templo in turbis stupor, in sacerdotibus lætitię voluptas, in puellis iucunditatis sensus. Hinc Ioseph desponsata in Ioseph ipso sanctitas, propositum Virginitatis, cœlestis conuersatio in terris, contemptus mundi, ardor cœli; ex his diuinum coruscantibus oculis, & immortalitatem spirantibus. Hinc & nuper in Seraphim tribus Gabriele, ac socijs, & in copiosissima aliorum cœlestium spirituum multitudine, nouus honor, insolitus, at placidus, quando tu ipse auctor sic in vnam defixus, amplissimam hauris lætitiæ voluptatem. Erit igitur hæc: Fas enim ex his certò auspicari, aut melius prophetare: Erit, inquam, Pastoribus fistula, Regibus aurea tecta, Simeoni viridans locus, Annæ templum. Iam & deinde Ægypto nubes leuis, rore plena, aridæ scilicet, & sterili. Tum demum orbi miraculum, & prodigium, Apostolis tuis speculum, fons, cœli. In his se intuentur, ab his consolationem haurient, hos intuentes spiritum attrahent. Erunt, erunt, qui commoti fama venient diuites plebis, Salomones ad hanc Reginam videndam, & deprecandum vultum eius, de quo ea relinquent prosperitatis, quę sint & ipsa admirationi, ac stupori. [1] O si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Hierusalem, recurrite vitæ anni, vt tantum possim videre bonum, aut excurrite, vt si non in terris, in cœlis liceat ad ornamentum, & decus translatum intueri. Hæc de oculis. Sed referentes hęc ad corpus non omnia, sed aliqua persequamur.

[1] *Tob.*

Eloquium tuum dulce.

Eloquij laus.

Sumpta occasione labiorum, & ab eloquij laude se expedit, præsertim nè fontem, non aquam laudare visus esset. Est autem, dulce, alijs decorum, alijs venustum, mihi insuper dulce ipsum. [1] Melle dulciorem orationem inuenimus. [2] Et dulcia, vt mel verba, [3] & orationem epulo comparatam. Locutam audierat, & cognouerat, qui dulcedinem laudat eloquij: placuerat autem amanti, [4] seu quicquid fecit, siue est quodcumq. locuta.

[1] *Tull. de senec. ait.* Melle dulcior oratio. *De Nestore.*
[2] *Plaut.*
[3] *Plat in Phæd.* An Orationis epulo Lysias vos accepit?
[4] *Ex Prop. l. 2. ad Mæcen.*

Sicut fragmen (*Septuaginta* cortex, *alij* dimidium) mali punici, ita genæ tuæ.

Benè malæ malis comparatæ scilicet decorè rotundæ, & flamme-

scentes. [1] Duæ singularum genarum laudes. Et subdit.

[1] Corn. Gall. Pande genas roseas, Perfusas rubro purpuræ tyriæ.

Absque eo quod intrinsecus latet.

Eodem, quo vbi eadem, sensu, vel inter passam comam nitentes, vel quid se maius tacitè eloquentes.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, &c.

Colli laus, in quo?

A capite ad collum. Huius in eo cum turri Dauid collatio, quod assurgens ab humero.

[1] Collum candidum.
Productum benè candidis humeris.

Et rursum. [2] Collum procerum, fictum leui marmore. Rursum, quòd terete; non ita tamen rotundum, vt non promineant certis partibus nerui tanquam in turri propugnacula. Denique quòd ornatum, tanquam scutis, ant clipeis, baccatis monilibus, orbicularibus gemmis. Vnde subdit: Mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

[1] Corn Gall. in Lyr Carm.
[2] Varr apud Non.

Eloquium tuum dulce. Quid dulcius? Sed si tibi dulce, qui dulcedo ipsa, qui dulcium Architectus, cuius verba vitæ æternę, magna dulcedo, immò & maxima tanto iudice. Sèd vnde tibi dulce, qui non dum loquentem exceperis? Si nascens contemplantem offendisti? Sanè hoc canticum, atque hæ laudes, itaque hæc, non actio iacentis modò in præsepio, sed & cum matre vsque ad duodecimum annum conuersantis.

Vberum laus.

Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.

Alba, paria, læta, ac festiua, suauia, mollia, ex albenti pectore tamquam lilijs candenti prato. Sic ipsi hinnuli, qui & rotundi videntur, dum pascuntur: dum autem pascuntur inter lilia, tamquam vbera in albenti pectore. Vnde subditur.

Qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.

Media, ideoq. incertum cum quibus connectenda. Si cum superioribus, poëticè; si cum sequentibus, quod magis putandum, patheticè dicta. Sensus idem, qui supra, & ipse incertus. Vel donec aduesperascat, vel donec illucescat.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, &c.

Certus verborum sensus, obscurus nexus, ac latens sagaciores facit. Videri hæc possent sponsi, moras, contemptumq. fastidientis, ac propterea pertæsi amoris, aliò scilicet in vineam, quę in eo monte myrrhę sita esset, cogitantis, qualia multa sunt apud prophanos.

Ce-

Ceterum peramans sponsa, insequens ipsa, non fugiens, nè videantur facit. Nisi fortè non sint fastidientis, at qui vinea cura inter amandum tangatur. Vnde sensus esse potest. Quam diu illucescat dies, vadam, & quid rei sit vineę videbo, statim reuersurus. Non fastidientis, neque perrasi sunt, at certè nimis lentè amantis; nisi fortè non sint cogitantis in vineam sui caussa, at vt eò sponsam inuitet. Et quadrat. Ac si, Iturus inuineam meam iam sum, vel reuersurus, iam expergiscere, & discessum meditare. Vnde sequitur: Veni de Libano, coronaberis. Laudat verò interea vineam à situ, delitijsque, & copia eorum, quibus ad odores maximè vsura esset sponsa; itaq. emphaticè montem myrrhæ dicit, & collem thuris, vt in quo hæc passim, ac vulgò nata legantur; vt inclinet ad veniendum animum. Ab arte. Ita & illa moranti dicta.

Sceptra [1] parens Asię, qua nulla beatior ora est,
Finibus immensis vix obeunda tenet.
Ilion aspicies, aliaque. Sed heroica hæc.

Illa pastoralia. [2]

Sunt lauri illic, sunt teneri cyparissi,
Est nigra hedera, est vinea dulcis fructus.

Dicit autem se iturum ante lucem, vel ad primam lucem, donec aspiret dies, aliaque; vt sic sponsam solicitiorem reddat. Sed quid, si metaphoricè de vberibus dicta videantur? Sponsus vberum commemoratione, dum hinnulis comparat, liquescit, statimq. seipse spe lactat, Aitque. Donec dies redeat, Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Spes mihi scilicet est, hęc ipsa vbera, de quibus sermo, futurum vt potiar. Id autem bellissimè dicit, dum ad odores respiciens, quibus vbera sponsæ de more flagrabant, alterum quidem montem myrrhæ, alterum sibi collem thuris appellat. Sic noua comparatione laudat vbera. Sed crediderim traducturus de more sponsam domum suam in coniugem, vt erat Hebręis mos, inter canendum, commemoratione vberum inardescens ad potiundum, in terminum cogitat, eòq. inuitans disponit, vt diximus.

[1] *Ouid. In Par.*

[2] *Theocr. Idyll. xi.*

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Poëtica laus. [1]

Tu quantus, quantus es, tota sapientia es.

Epilogus laudum est. Argumentum ad significandum amorem. Peroratio, vt exsurgat, atque vt se dedat postremus impetus. Quoniam autem capi quidem termino poterat ad eundum, via deterreri; Viam amœnissimam pollicetur nouo artifitio. [2] Vt vbi vnum iniectum telum est, instet alterum.

[1] *Theocr. in Adelph.*

[2] *Plaut. in Pen.* Priusquā vnum iniectum telum est, tum instat alterum.

Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano.

Hebræi ITTHI mecum (scilicet veni) LXX. à Libano. Forte est,

Per

Per Libanum. Ideſt viſura mecum Libanum. Libanus non is Phœniciæ mons, de quo in [1] Regibus, vnde in ſtructuram templi abiegnæ, ac cedrinæ trabes, ſed alius in Iudęa, qui etiam pſaltus Libani interdum nominatur, multis delitijs frequens, & fortè propter aliquam cum illo ſimilitudinem, vt fit, ita dictus.

Libanus duplex mons.

[1] *Reg.*

Veni coronaberis.

Collectura ſcilicet (quod facies inuitata opportunitate) potius in coronam flores, quàm viam factura. Fortè ad morem alludit coronandi ſponſarum, cum ducerentur ad virum, peruetuſtum Grecis. Hanc [1] ego ſertis reuinctam frondeis futuram coniugem adduxi domo. Ignorem an identidem Hebræis. Fortè, & amorem adhuc oſtendere ſuum oſtentat, qui maximè coronando ſignificandus eſt ſemper. Vnde apud [2] Platonem Socrates rationabiliter amatus propter optima, optimi ſcilicet, conſilia, coronatur.

[1] *Verba clyth. apud Eurip in Iphig. in aulide.*

[2] *Socr. apud Pla. Alcibiad. 2. vel de voto. vbi Alcibiades ait.* Quoniam mihi benè conſuluiſti tibi coronam imponam.

De capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon.

Montes, colles Iudæę. Idem ſenſus.

De cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.

Adhuc, quod cubilia ſint Leonum, & Pardorum, iucundo tamen pertranſies pede me Duce. Ac ſi illud. [1] Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, &c. Videtur illud concludere. Da modò te (viæ) facilem. Huc ades, vbi

Innumeras vrbes, atque aurea tecta videbis.

Quę omnia pluribus, neque ita decorè, vt à noſtro dicta ſunt. Vno verbo, Coronaberis, lectio, ſelectioq. omnium iucundiſſimorum florum, ſignificatur.

[1] *Pſalm.*

* Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli. A puero dulci, puerilis dulcis comparatio hinnulorum. Hinnuli cariſſimi pueris, quibus cum ludunt. Hinc cum genitricis mammis luſiſſe puerum Ieſum oblectantem ſe illis, & in hoc ſe puerum confitentem, certò crediderim; nec tam os lac vberi de cœlo pleno applicuiſſe, quam manus. Videre mihi videor, & intueri cœleſtem infantem, cœleſtibus vberibus applicitum, ſublatis in cœlum oculis, ideſt in vultum matris diſcurrentibus interea, & prenſantibus conſilio plenis manibus; & incendor æmulatione contemplans. Sic ſe ille eodem actu, ac tempore, & filium, & ſponſum amantem præbebat: Et filium quidem lacte ſuggendo, cętera contemplando. Quid interea mater ad tactum tanti pueri creſcebat gratia, quia virtus de illo exibat, & lactis pręclariſſima fœnora cumulos gratiarum hauriebat; Si quidem neſcius ille vinci, quę hauriebat è Virgine palam, tacitis quibuſdam venis longè copioſiora refundebat. O lętitiam, ò iucunditatem! quid prius, poſteriuſuè contempler? filium lactantem ſuauiſſimè vbera, an matrem amantiſſimè vbera miniſtrantem? [1] Adam in paradiſum-

[1] *Gen.*

disum adductus applicatur ligno vitæ, quam nobis, & posteritati transmittat. [2] Eua in paradiso orta nutriens vitam ipsam, fit omnium mater viuentium. [3] Lignum vitæ rigatur duobus fontibus è medio paradisi diuinitus erumpentibus, quo vno rigato duo fontes vniuersam terram inundant. Sed ò mutatos rerum ordines, & temporum rationes! Qui pascit pascitur, & lactat Virgo eum, à quo ipsa lactatur. Sic scilicet flumina in mare refundunt aquas, à quo acceperint, & sidera in Solem lumen, à quo hauserint. Sed quæ lac ministrantis lætitia, nutrientis vitam, pascentis fortitudinem, inundantis in mare magnum, ac spatiosum, rigantis fœcunditatem? Rursum quæ sugentis? pascentis lacte os, tactu manus, aspectu oculos, contemplatione diuini operis mentem, [4] operantis salutem in medio terræ, & copiosam redemptionem, & in opere ipso se mirificè oblectantis, amantis, & amati, suique, & amatricis optimę amores, & videntis, & rursum amantis. O delitiæ, ò decora. [5] En Rebecca Paranympho dat potum, & camelis eius; nimirum Maria, quæ infantis pueri, & animos reficit, & sensus. Quòd si malis ipsius gratiæ miraculo, [6] Isaac ipsi magno dat potum. En filia patri, inuerso ordine duo irrigua exsuperantium aquarum in viriditates, & delitias Ecclesiæ, concedit, quorum non aliud inferius, aliud superius, virtute ambobus, ac copia æquo impetu prorumpentibus. [7] Fluminis impetus à Deo Dauidi ciuitatem lætificauit, mihi Deum ipsum à Virgine fluminis impetus letificat. Vt mirari possis, & obstupescere ipsarum gratiarum miraculum. Bibe, bibe [8] Noë, ac si fas est, totum exhauri; Inebriare lacte vineæ, quam plantasti. Mihi bibis. In meam cadet sobrietatem hęc ebrietas, & Ecclesię totius. Bibe infantulus nudus, puer ætate, prudentia senior, nec cuique si tecum laudat, irascere, blandulus scilicet, & suauitate ipsa suauior. Bibe [9] Assuere merum, & incalesce. Mihi incalescis, & Ecclesię toti, quę appulsa Synagoga à te coronam exspectat. Bibe mutaturus in vinum optimum lac, [10] & Virgines germinaturus. [11] Sed tu non deriuas fontes tuos foras, vt deriuandos præcepisti?

[2] *Genes.*
[3] *Ibid.*
[4] *Psalm.*
[5] *Gen.*
[6] *Ibid.*
[7] *Psalm.*
[8] *Gen.*
[9] *Esther.*
[10] *Zacc.*
[11] *Prou.*

> Nam quid est, mi tenellule,
> Iesicule, blandicule,
> Quod ore premens alteram,
> Alteram extensa palmula,
> Mammę gestis occludere,
> Dulcis dulcem pupillulam?

At tu de supernis es, quò neque appropinquat flagellum inuidię, neque accedit intemperantię malum. Quid igitur? Teneo. Propinatio isthęc prudens, amica. Non occludis, indicas quò sit nobis eundum, ad quos fontes, vt tui probemur fratres, de tuis bibentes fontibus, atq; ijsdem pendentes mammulis. Quòd si occludis, pretiosiorem facis. Significas pręterea tua esse omnia, tuum donū, tua munera; nec minus esse ad matrē recurrendū, vt filij os intueamur, quàm ad filiū, vt matris lac degustemus. Agnoscimus beneficētissimā manum, & deosculamur.

Vulne-

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.

Mea nunc feriuntur pectora telo.

[1] Non enumerat modò miles, verum & sponsus vulnera. Vulnerasti, inquit, è vulgari eloquutione; sic fere loquuntur vulgò.

[2] Vidi, & perij. Et.

[3] Fert ad corculum vulnus. Aliaque.

Sororem autem dicit non modò ad castitatem, verum & ad magnitudinem etiam significandam amoris, & fidem.

[4] Ne deseras si te in germani fratris dilexit loco.

Vulnerasti cor meum.

Habet ingeminatio poësim, vt illud.

[1] Pupugisti cor, pupugisti animum,

& adhuc maiorem vim grauioris vulneris. Post vnum telum, scilicet alterum.

Sed dices, [2] Dolens cor quo pacto loquitur?

[3] Vritur, & loquitur. Septuaginta. Excordiasti habent.

Abstulisti cor, [4] abstulerunt oculi pectora.

In vno oculorum tuorum.

Septuaginta, vno ex oculis tuis. Intuitum intelligit, vno aspectu, atque hoc est [1] perij in primo prælio,

[2] Fulgurante oculo, vel tela mittente.

[3] Quæ decentibus oculis florens peremit Ilium.

Et in vno crine colli tui.

In coma scilicet [1] per leuia colla fluente.

Septuaginta, in vno ornamentorum tuorum ceruicum. Idem. Ad ornamentum à natura capilli dati, vt telluri herbæ, vt quidam ait, Capuli decus, & [2] Plautus videtur dixisse. Nisi fortè candorem non capillos intellexit. Comæ autem cum oculis coniunctio, & ipsa è medio sumpta ab auctore nostri caussa. Coniuncta [3] alijs.

Sed dices quorsum hæc hoc loco, Vulnerasti, &, In vno crine, oculo? sane ad rem satis. cum vt secum iret, inuitasset, vrget his aduentum. Te ego vulneratus relinquere nequeo, neque tibi ligatus. Quin tu, quæ fecisti debes vulneri medicinam. An [4] emisso iaculo aufugere tentas? Dicere etiam possemus, quòd redit ad canticum eò ad rem, quòd amanter, siue ad rem, siue præter rem. Et habent in vniuersum verba ad canticum decoris multum, ad exprimendum amorem poësis plus, ad commiserationem mouendam argumenti plurimum. Et omninò tanti capillos facere, tantumque illis tribuere, qui in vilissima [5] à Platone recensiti, magnam vim ostendit amoris, vt meritò hinc colligatur illius amor, [6] qui dixit, se remuneratorem promittens, Capillus de capite vestro non cadet.

* Vulnerasti cor meum, &c. In aspectu vno tanta nè humanis oculis vis,

---

[1] Ex Prop. l. 2. eleg. 1. Enumerat miles vulnera, Pastor oues.
[2] Ouid. in Med. Soror cur dicta sponsa.
[3] Theocr. Idyll. 23. in Epithal. Adonid. Maius auté Venus fert ad corculum vulnus.
Ingeminatio verborum decora in re poesis.
[4] Terent. verba in Adelph.

[1] Eurip. in Alcest.
[2] Ex Anacr. Tu autem cor dolebis.
[3] Catulli verba
[4] Ouid Medea.

[1] Ter. in Rud.
[2] Anaceon.
[3] Eurip. in Hecub.

[1] Propert. verba lib. 2.
Capilli ornamentum à natura. Et quantum?
[2] In Asin.
[3] Prop. l. 2. aduersum se; Nec de more comæ, &c. Non oculi.
[4] Prou. apud Plat. in Conu. Emisso in nos Iaculo Aristophanes aufugere speras.
[5] Plat. in Parmenid.
[6] Euang.

lis vis, atque virtus? Ab homine igitur inuulnerabilis afficitur vulnere, & cor afficitur? Vnde hæc tanta homini efficacitas? Deus nè homo hæc? an diuina magis? Vbi hęc intincta spicula, & salutari veneno saluberrimè venenatæ sagittæ? Quis amor circum volat cœlestem, integerrimam Deam? Cupido nè? aut quis? Cœlestis, immortalis, diuinus. Spiritus sanctus superuenit in eam.

Sed tu tua vulnera narras.
Ipsa etiam incedit Diuum Regina per orbem
Saucia cor.

Et tu adhuc vulnerasti cor eius in vno oculorum tuorum, neque enim aliunde in illum spicula, ac tela. O felicissima vulnera, beatissima tela. Sed quid non amoueris oculos alter ab alterius saucij? nexis oculorum obtutibus hęrent; vt præclarissimè poëta noster, noster & oculus & lumen.

Alter ab alterius pendet, & ore bibit.

Habent igitur hæc vulnera vitam. Tela decus. Sed & mihi est cor sauciabile. Quid igitur in me aliquantulum spicula hæc vestra non conuertitis? Saucium sauciabit, & ipsum hausta vulnerandi virtute; & in vestri amorem sexcenta corda conuertet.

Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ.

Redit ad institutum laudum. Pulcherrimæ scilicet sunt.

* Quam pulchrę sunt mammæ tuę? Iterum ad mammas puer rediens, facit & nos illò reuerti. Sed quæsò te, quam pulchræ? Pulcherrimę illæ quidem vacuæ dum Virginis, plenę de cœlo, dum cœlestis mater. Pulchrę Deo Parenti, Angelis cognatis, hominibus filijs. Pulchrę colore, forma, vbertate, sapore. Candidiores niue, rotundiores orbibus cœli, vberiores mentibus, dulciores melle, & fauo. Quapropter duo cœlestes orbes, duo fontes, duo aluearia. Pulchrę in pace, & in bello. quapropter duo templa, duo propugnacula. Quam pulchrę ad aspectum, ad tactum, ad gustum? Cedant Alpinæ niues, antiquissima Ebora, Hyblæa mella. Sed si ad aspectum duo cœli? Vbi nam, & quæ intelligentię? Tu ipse puer amator factus earum. Quare age, circumagita, inuerte, ostende manus, & potentiam tuam, & ab effectibus, atque influxibus salui erimus. Nam his contemplandis vtique nati sumus, eorumque [1] concentu non dormiente audiendo.

[1] *Iob.*

Fauus distillans labia tua sponsa.

Varietas appellationem, & decorum habet, & amoris significationem casti, & ardentis. Castè se fratres diligunt, ardenter sponsi nouitij, ac tyrones amore, vt nihil supra: vnde rectè dictum, [1] Si charitati liberum sponsam pater pręfert Iason, nil facit certè noui. Frequens in sacri exemplum. Quod autem labia fauum dicat, fortè ad colorem referendum; quòd autem distillans, ad verborum, in quo omnia, dulcedinem, ac suauitatem.

Fratres castè, sponsi ardenter se diligunt.

[1] *Eurip. verba in Medea.*

* Fauus distillans labia sua sponsa. Fauus tibi, distillans nobis. Vtinam

nam qui videre nequimus lumen sine lumine, non de fauo sine dulcedine faui loquamur, sed accipientes refundamus in mare. Loquere Virgo (verba vitę æternæ habes) vt de te loqui possimus. An placebit de dulcedine sermo, sine dulcedine, ac gratia? Fauus labia tua? an igitur hic est fauus, atque hoc mel, quod fusum de via recreat Ionatham, reficitque? Sanè hoc: Agnosco figuram generis humani, & in eo adhuc agnosco, quòd Ionathas gustato melle, lumen oculorum recipit, qui caligauerant: illuminat enim sermo tuus adhuc, & intellectum dat paruulis. Sed enim ego ad hæc os meum aperio, fac vt traham spiritum, fac me audire vocem tuam: Vox enim tua dulcis. Non vt faciem ostendas oro, quæ decora est, me enim satis, superque indecorum agnosco: quod & ipsum agnoscere decorum à te est; sed vt ad mel reuertar. Quis enim cum inuenerit tantum boni relinquat? Fauus labia tua, ò Virgo, in quibus non terrenæ, sed cœlestes aduolarint Apes, beatissimi spiritus in argumentum diuinę eloquentiæ tuæ; nam non mellificantes ipsæ, magis autem mella legentes. Dulcissimus sermo tuus, vt Sacerdotes cum te in templum acceperunt, testes, & virgines, quę propterea circum te errant semper, apes circa fauum, pendentes ab ore tuo, & suauissimum nectar haurientes. Vnde delicatiores ceteris, nimirum sanctiores, propter quod & sponso adductæ exsultantius more incedentes. Vt Ioseph ipse testis, qui cum tibi caput esset, vir scilicet tuus, tu illi os eras, illum alloquens, ac docens semper; cumque ille tibi ornamento, tu illi iucunditati. Vt adhuc Angelus testis fidissimus cubicularius tuus, & ad admirationem virtutum tuarum custos, non solum in omni infantia & pueritia tua, à te pendens, tibique, & sermoni tuo conuersus, atque defixus, Rebeccę scilicet suę; verùm hoc presertim tempore, cum ad te lętus venit à Deo, qui & sapientia, & dulcedine detentus verborum tuorum, ad eum à quo missus esset, lætus reuertit, & fatur. Testes erunt deinceps Reges ab Oriente venientes, qui thesauris vacui, pleni consortio verborum tuorum, & locupletes reuertent. Testes Simeon, atque Anna, qui in templo religionem sermonum tuorum colent, & intenti venerabuntur. Testes denique Apostoli, & Euangelistæ, qui propterea tamquam parenti filij, aut discipuli præceptori assidebunt; vt dici cum admiratione possit, [1] Verbo Dominę cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum; illa docente, illa informante, illa dictante & illuminante. [2] Os suum aperuit Sapientia, & lex clementiæ in lingua eius. Ideo dulcis sermo & suauis. Fauus labia tua, & quidem semper, siue oras ad Patrem, siue assentiris Angelo, siue salutas Elisabeth, siue blandiris Filio, siue recipis Pastores, siue edoces Reges, siue alloqueris Prophetas, siue Filio quereris: quid fecisti nobis sic? siue Apostolos illuminas, siue pro nobis intercedis quantumuis miseris, ac peccatoribus: Oras enim ad Patrem, & ecce exauditio: [3] assentiris Angelo, & ecce fœcunditas: [4] salutas Elisabeth, & ecce sanctificatio: blandiris filio, & ecce gratia: recipis Pastores, & ecce [5] reuersio cum lętitia, & Dei glorificatione: edoces Reges, & ecce sapientia:

[1] Psalm.
[2] Prou.
[3] Euang.
[4] Ibid.
[5] Ibid.

tia: alloqueris Prophetas, & ecce mortis ardores: [6] Filio quereris, & ecce occasio eruditionis: illuminas [7] Apostolos, & ecce conuersio: oras pro nobis, & ecce impetratio. Ad orationem tuam roraturi cœli dirumpuntur, cœlestem illum nimirum rorem diu, multumque optatum, atque quęsitum. Ad assensum tuum verbis Angeli, declinat super te Dominus fluuium illum ęternum ab æterno manantem æternę pacis, quo tu plenissime fœcundaris, nos de plenitudine tua redundationes accipimus. [8] Ad vocem salutationis tuæ sanctificatur Ioannes, & exsultat in vtero, mater prophetizat, omnes lętantur. Ad blanditias tuas, quibus filio blandiris, ac gestis, temperat se ab ardoribus Sol, nimirum à iustitia Christus Dominus, & nos quiete transigimus. Vides quid Pastores agant à te reuertentes? Reuertuntur laudantes, & glorificantes Deum. Quid Reges? responsum accipiunt, nè ad Heredem meent, & edocturi populos, ideoque in veros Reges euasuri, ad propria reuertuntur. Quid Simeon? moriturus, more cygnorum suauè canit, & mortem arcersit. Quid Filius ipse, dum quereris? an nesciebatis, inquit, quod in his, quę Patris mei sunt, oportet me esse? vt hinc edoceamur & nos, in quibus nos esse deinceps oporteat. Quid Apostoli? [9] aguntur ad predicationem vt nubes, inuertuntur [10] vt cœli. Quid nos, te pro nobis intercedente? Secundum multitudinẽ dolorum consolationes experimur. O fauum, ò faui dulcedinem, ipsi imprimis mellifluum, & dulcem auctori; in quo cum multę sint cellulę, omnia tamen dulcedo sunt & verba sapientię, & prudentię, & sal exsultationis, & salutationis, & precationis, & quęcunque alia. O Fauum dulcem, cui si accedat esus piscis assi, nimirum consideratio passionis Filij, nihil neque suauiter firmius, neque firmiter suauius. Et num [11] ex fauo isto quantum sufficit comedendum? quantum potest: non enim periculum vllum, nè noceat. Sed quid est quòd distillare dicitur hic fauus, non fluere? vt paucitas verborum Marię significetur, quæ quidem vt perfectorum est, virtute erant fluenta, ideoque subditur.

[6] Ibid.
[7] Ibid.
[8] Euang.
[9] Proph.
[10] Psal.
[11] Sap.

Mel, & lac sub lingua tua.

[1] Vnica, scilicet, non deest tuis iucundis gratia verbis.

Sed dum, sub lingua, ait, videtur etiam in ipsa dulcedinis latentem quemdam fontem, ac perennem agnoscere; sic enim de sub saxo vidémus interdum fontem, cuius sit origo latens, erumpere. Et quòd agnoscat, vt putemus, faciunt quæ scripsit [2] Plato de furore poetico; qui agnoscentes Fontes, è quibus mel scaturijt Poetis, approbat. & rursùm.

Mel, & lac, ex fluminibus haurientes bacchantes feminas.

Ex quo libet agnoscere diuino artifitio furentem amorem sponsum hic inductum, qui hęc loquatur, atque hæc agnoscat in sponsa, hauriatque. Optimè autem omnia. Sic Pastor ille, fauo Hyblæ dulciorem predicat. Optimè autem duo dulcissima coniuncta, in idem ab alijs coniuncta sunt.

[1] Verba Proper. lib. 1. ad Cynth. vnica nec desit iucundis gratia verbis.
[2] Plat. de fur. Poetico.

Mel, & lac quam decore coniuncta.

Im

1 Theocriti co-mat. Coniunxit mel, & lac.

1 In melle sunt sitę linguę vestrę, atque orationes, lacteque.
* Mel, & lac sub lingua tua. Fluentia, dimanantia, verba ardoris, verba candoris, verba charitatis, verba puritatis, dulcissima tamen, & suauissima. Verba ad pœnitentes, verba ad continentes, verba virginibus, verba coniugatis, verba ad Martham, verba ad Mariam, vt non sit qui se abscondat à suauitate eius, Ac qui non potest lac, mel, qui verò non mel, lac saltem degustet. An igitur petra illa lingua Virginis, vnde populo fluxerunt aquę? At illa durissimum saxum, nata percussu magis ignem elicere, quam vndam? Sanè & lingua hominis dura, saxea, malo semper procliuis, detrahens, murmurans; vt non minore miraculo dicatur lapidem fluenta fluxisse, quam linguam mel, ac lac dimanasse. Rursum terra igitur promissionis hæc, à qua mel & lac diffluunt. Ita sanè. Terra illa olim Patribus promissa, nunc filijs obtenta, quamquam non nisi post suscepta proelia, consummatas victorias; neque enim cuique datur Mariæ verborum sentire dulcedinem, qui & ipse legitimè non certauerit, & gloriosè vicerit: propter quod dicitur, [1] quòd manna vincenti dabitur. Iam loquere, Alma Virgo, quia audit seruus tuus; quòd si dignus adhuc non est, ad quem loquaris, loquere saltem ad Patrem, vt dignum faciat cui loquaris. Quo ibo, & verbum tuum est, & dulcia verba tua? Sed tu ò dulcissime puer, an tibi hoc est butyrum illud, ac mel, quod te dixit [2] propheta degustaturum? Sanè isthæc. Inde ab his deducta laus, & encomium. Quin igitur admoues os, & bibis. Ecce [3] cameli insequimur, & catelli, & non vt de fontibus, de canalibus, non vt in [4] poculis bibamus aureis, sed de guttis, quę cadent de cyatho Domini nostri, non enim tantum audemus. Quid si tu dignos facis, qui de fontibus ipsis tuis bibamus propter magnam misericordiam tuam? & ad conuiuium instructum accersis? iam quæsò compelle bibere tantum decus, tantamque dulcedinem, nos enim ipsi accedere non audemus. Iube nos venire ad te [5] in altum harum considerationum, [6] compelle ad conuiuium intrare, introduc in domum tuam; & tu pijssima mater, ne dedignare illas tuas misericordes papillas ad nos in refectionem, & iucunditatem conuertere. Ipse enim Dominus pollicitus nobis id est, nos aliquando [7] ad vbera esse portandos. Sed nos pauca hæc ad corpus retulimus, nunc omnia ad spiritualia referamus eodem ordine, & historiam retexamus.

1 Exod.
2 Is.
3 Gen.
4 Esther.
5 Euang.
6 Euang.
7 Is.

Oculi tui columbarum. Diximus superiùs per oculos duo lumina intelligentię, naturale, supernaturale intelligi, quę nitidissima, & pulcherrima in Virgine fuerunt. Ab his laudum exordia, quia nihil horum nitore & perspicuitate in anima gratius Deo. [1] Et oriens quidem Dominus hos primum inuisit apices montium, atque luce collustrauit lustrator omnium. Benè ostendit se ad lumen venisse, [2] vt illud abundantius haberemús, & internum magis quam externum, speculator futurus. Sed quid est, absque eo quod intrinsecus latet? intra vittam, velum, vel comam. & ipsa pulcritudo oculorum internorum Mariæ Christo Domino per sensus speculanti, tota videri non poterat,

1 Proph.
2 Euang.

terat, passis capillis, nimirum corpore impediente, quamquam quæ erat, alia ab hac scientia, optimè totam contemplabatur. Ideoque intermicans placet, nimirum se per oculos, per genas, per totam infundens faciem, & erumpens foras ad gloriam; vnde meritò in 3 Psalmo dicitur, quòd omnis pulcritudo filiæ Regis ab intus. Fortè adhuc totam intus contemplanti Domino, totamque videnti, omnium Soli, oculi, idest hæc lumina non toti videbantur Virginis, sed intermicabant; non quòd toti non viderentur ei, cui omnia nuda, & aperta; sed quòd vt columba in foraminibus, sponsa capillis passis, sic illa tanquam tegebat humilitate, quo minus perspicuitas oculorum eius à sponso idest Domino videri posset. Ad quorum intelligentiam sciendum, Virginem vidisse, se à Domino intus videri, quod est intellexisse, se intelligi ab illo per eamdem infusam scientiam; vt videmus nos oculis corporis nos videri, & à quo videmur; ideoque oculos habens columbæ & pulcre inspiciens dicta, quia in cordium penetralia penetrans; de quo alibi fusius. Id quod & cum Angelis illi accidebat, si quidem & ipsa intelligentias videbat, & ipsam intelligentiæ; intelligebatque præterea se ab illis intus videri, atque intelligi. Hęc cum ita haberent, vt erat Virgo modesta, atque humilis valdè, se perspectam intelligens, humillimis, atque modestissimis cogitationibus, tamquam velo, aut vitta, aut capillis sparsis intertegebat, quacumque poterat ratione. Quamquam sic tegens pulcriorem, & formosiorem reddebat, vt se ictibus sic velatorum oculorum sponsus se vulneratum lętaliter ad vitam confiteretur. Tegebat autem se, magna à Deo accepisse agnoscens, omnia in illum referens, & vnum agnoscens auctorem. Quo ipso pulcriorem reddebat diuinis oculis humilium amatoribus. Atque id est nunc intra vittam, siue absque eo, quod intrinsecus latet: Quia nimirum intus Virgo humilitate se, quominus videri posset, velabat. Id quod non ita intelligendum est, quasi quòd Virgo intellexerit se potuisse ab oculis sponsi acutioribus velare; enimuerò & hoc illa in tanta rerum intelligentia probè intelligebat, non esse qui se abscondere vllis actibus posset ab oculis eius, qui renes scrutaretur & corda; verum vt significaretur per hęc modestia, atque humilitas ipsius, quę suas egerit partes, atque actum, decorumque in hoc theatro tenuerit; nimirum quòd se in tanta pulcritudine internarum perfectionum abiecerit ad cognitionem sui, qua deinde extulerit ad Dei cognitionem & amorem. Rectè autem per capillos, cogitationes sanctę atque modesta significantur, vt modò dicemus. Sed rursum nos in Dramate, sic hęc interpretati sumus. (Absque eo, quod intrinsecus latet, idest, Vt omittam dicere de alijs, quę per hæc argui possunt.) Hanc si sequamur interpretationem, sic ad Virginem referemus: Vt ex oculis totus homo, sic & ex intelligentia totus animus facile dignoscitur. Atque vt ex oculis animus, ita & ex lumine naturali, quo quis sit prædictus, argui de cogitationibus potest. Quæ enim cogitabit quis optimo à natura lumine prędictus, & à Deo illuminatus, nisi quæ recta sint & diuina? Ad hæc, cum voluntas intelligentiam sequatur,

3 *Psal.*

quatur, ex intelligentia fiet certa de voluntate, & voluntatis affectibus, quę nimirum occultissima sunt, coniectura. Sensus igitur verborum est (vt omittam dicere de alijs, de quibus ex his certò assequi possunt.) Nam vt quisque intelligit, ita operatur; & ad puritatem lucernę, quæ oculus est, fit totum corpus eius lucidum. Sanè si vt homo hic loquitur Christus Dominus, coniecturis agit, aut creata scientia; si vt Deus, increata. Enimuero adhuc ipse Deus increata scientia, & hinc præter cetera agnoscit, cum libera sit hominis voluntas, & liberè agens, quid sit futurum, vt velit aliquando, ex naturali lumine quod sit in rationali creatura futurum, eiusque perspicuitate, atque ex supernaturali, quod sit idem eidē infusurus: quamuis enim libera sit voluntas, cœca tamen est, vt si à cœco ducatur ipsa intellectu, ambo in foueam cadant necesse sit; aut si ab oculato, rectè incedant ad destinata. propter quod cum instituimur ab ipso ad vitam, rectè monemur [4] purum seruare oculum, diuinitus oblatum suscipere intus lumen, [5] surgere ad illuminandum, videre, & [6] prudenter agere omnia, cauere ab offendiculis oculorum. aliaque. Atque hinc de beatis philosophantes assequimur, qui in æternum non commouebuntur, quando videtur & Dominus ipse philosophatus, cum nè offenderemus Angelos, moniturus ex eo, quòd beati sunt, & semper beati futuri, ait: Quia Angeli eorum [7] vident faciem Patris. si quidem videndo amant, amando amici in sempiternum sunt, quibus propterea ab amico infinita sint bona & sibi & alijs necesse est. Propter quæ rectè Propheta cum dixisset, [8] Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt; addit, Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum: quod est, quem tu illuminaueris.

4 *Euang.*
5 *Is.*
6 *Euang.*
7 *Euang.*
8 *Psalm.*

Sed vt sponsus sumpta occasione à capillis, qui oculos sponsæ pulchrè velabant, ad capillos velandos descendit; ita & Dominus facit cū cogitationibus Virginis modestis, & humilitatis plenis. quare ait,

Capilli tui, sicut greges tonsarum, quę ascenderunt de Galaad. In hoc in dramate capitis esse comparationē diximus cum Galaad monte, quòd rotundum speciosum, & erectum, odorum plenum, vt ille mons; in eo verò capillorum cum grege, quia plurimi, spissi, discriminati, molles, morbidi, fusi à capite, flauescentes ad Solem, aut subflaui, inter se ordinati, pulchri propter aspectum. Possumus per caput, in quo oculi sunt, & intelligentia operatur, vigentq. omnes sensus, partem intellectiuam, in qua lumen est, & operatur; estque intellectus, qui intelligendo fit omnia, intelligere. Et rectè, nam hinc fit, vt qui sapientiores sint, & propter sapientiam digniores, caput dicantur, & viri propter sapientiam, mulierum capita. Rursus possumus per capillos, qui in capite oriuntur, ipsumque caput tegunt, & ornant, cogitationes intelligere, & rectè adhuc ipsum, nam in parte intellectiua fiunt cogitationes, quę ipsiusmet intellectus sunt & velamenta, & ornamenta, vt herbę montium. Et fortassè hùc prospexit adhuc Dominus, qui magna suis pollicitus, ait, [1] Capillus de capite vestro non peribit; vt significaret, neque cogitationem vllam bonam

1 *Euang.*

nostram

nostram ortam ab intelligentia nostra supernaturali lumine informata, futuram sine remuneratione. Et quadrat; nam vt dextera sinistrę responderet, pœnaque prȩmio; fas erat, vt qui dixisset nos de omni verbo otioso pœnam sumpturos, de omni, vel cogitatione bona prȩmium adhuc accepturos legem promulgaret. Nisi fortè sit alius sensus, nihil leue vestrum inordinatum abibit. quod & ipsum huc cadit, nam quid leuius leuissima cogitatione? Hæc cum ita habeant, caput sponsæ rotundum, speciosum, erectum, plenum odoribus laudatur, quia nimirum pars intellectiua Virginis, natura, Deo artificibus perfectissima, quod rotundum significat, quę formarum, & figurarum optima est. Ad hæc, quòd grata diuinis oculis, & humanis, ex externis de illa coniectantibus: quòd erecta semper ad decora, & dignitates, quòd optimis habitibus adornata, licet hęc vno assequi argumento, quo innitimur, quod ex Patribus habemus, Post Christum Dominum Virginem omnes omnia antecelluisse, & vnam præ filijs & filiabus spetiosam omnia. Rursum capilli sponsę plurimi, quia cogitationes Virginis & ipsæ plurimæ: illi spissi, quia hæ solidæ: illi discriminati, quia hę non confusę, ordinatę, decentes, decorę: illi molles tactui, ac morbidi, quia hæ placidę, vtiles, cogitationes pacis hominum ad salutem, idest salutares; & quia prȩterea pretiosę: illi fusi à capite, hæ ab intellectu ipsius originem trahentes suam, non aliunde: illi flauescentes, aut subflaui ad Solem, quia nimirum hę maximè decentes, & naturę, & Dei lumen, à Deo pulchritudinem recipientes: illi inter se ordinati, quia hę sibi cohærentes. Denique illi pulchri propterea aspectui, quia hæ omni oculo spetiosę, & naturę, & gratiæ, & Angeli, & Dei. Quis his non optet se ligari vinculis, ditescere gregibus, tegi frondibus? Quis non in hoc, cogitatione semper decoro, atque alto; decorè, atque altè degere monte? Et quadrant veritati omnia; enimuerò ab optimo capite optimæ cogitationes Virginis plurimæ, vt ab optima constitutione corporis, ab assidua lectione sacrorum, à perpetua cœlestium contemplatione, ab ardentissima, qua erat caritate in Deum, à vigili, quo erat somno, licet optimè coniectare. Quæ omnia quidam fons, aut perpetua materia sunt cogitationum. Hinc meritò [2] mulier fortis describitur, non otiosa comedens, semper agens aliquid, & moliens, & institoris naui, cui frequens nauigatio comparantur. Hinc rursum [3] amicta Sole, qui perpetuò emittit radios. Sed & solidę cogitationes; propter quod rectè confidit in ea cor viri sui. Vnde meritò sapientia dicta. Solidæ enim à sapientia cogitationes. Iam non confusę, ordinatę, decentes, decorę. Ante aduentum Angeli de salute cogitat mundi. Ad aspectum illius, & insolita verba, qualis sit illa salutatio, & quid ferat nouitas. Post discessum Angeli, & completum mysterium de expendendo thesauro, siue foras deriuandis aquis, communicando lumine, & accendendo proximi foco, de sanctificando scilicet Ioanne. Ioanne sanctificato, & ministrato seni, de reditu domum antequam pariat, nè Virgo interesit partui, posteritatis documento. Tum quomodo Cę-

[2] Prou.

[3] Apoc.

ari obediatur in descriptione; quomodo legi in circumcisione pueri, in purificatione sui, qua tamen non tenebatur; quomodo Ioseph, vt fugiat in Ægyptum, qui se diuinitus dicit admonitum. In nuptijs, in quibus vini defectus, defectus lætitię est, veris in anno, lucis in die, quid cogitauit prudentissima, & de quo sollicita fuit? de vino. Et vt conuiuę vino letarentur, & filius agnosceretur miraculo, & vt seipsa pararet mysterio, intelligens se ad hoc datam mundo, vt nobis, idest lętitiam spiritualem, & à qua lętitia spiritualis est, charitatem impetraret à Deo. Denique in cruce, qua fuerant illa mysteria pangenda, lingua pangit; nimirum flentibus, & illacrymantibus oculis. Omnes autem hę cogitationes vtiles, pretiosę nobis; nimirum matris pulchrę dilectionis, ad sanctam instituentis spem: omnibus matribus exemplaris, ac formę, à qua scilicet omnis maternitas. Nobis illa orat, nobis in cubiculo degit, nobis Angelum excipit, nobis assentitur illi, nobis concipit, nobis parit, nobis fugit, nobis vinum postulat, nobis si ciuibus, vt panem portet de longè veniens nauis; si domesticis, vt det prædam; si ancillis, vt cibaria de nocte surgens ministret; si denique filijs, vt locupletet, & ditet. Propter quod & ciues festiuè excipere, & domestici honorare, & serui obedire debemus; maximè verò filij assurgere, & beatissimam prędicare. Nostra illa sunt, idest in nostram vtilitatem prolata, ♦ Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, nè dederis mulieribus substantiam tuam, aliaque. Atque illa, Nunc ergo filij audite me, timorem Domini docebo vos, quorum pleni sunt sapientiæ libri; sed & innatę in ipsa Virgine cogitationes, non aliunde ascitæ, vt quę erat fœcundissima intelligentia, incensissimo affectu: propterea fons dicitur, & vena vitę, & sapientiæ. Et doceri quidem aliqua potuit, sed & ipsa longè plura docere mater sapientiæ, templum scientiæ, ac prudentiæ magnificentissimum domicilium. Vnde meritò omnis pulchritudo eius ab intus. Mitto cetera. Meritò hæ cogitationes vsque adeo Deo placuerunt, vt se diceret vno crine idest cogitatione transfixum & transuerberatum. In eo, quòd plurimę hæ cogitationes Virginis Dominę, & parentis optimę, aquę quæ fluunt impetuosius, sunt. In eo quod solidę & decentes & cohærentes sibi, septem domus sapientię columnę. In eo quod pretiosæ thesauri, flumina de Paradiso ad irrigationem. In eo verò quod domi natæ, aquę de Libano. In eo quod omnibus speciosæ, radij solis. Hæc de capillis. Sed dum Galaad ex Hebræis aceruum testimonij interpretamur, rectè pars intellectiua Virginis aceruus testimonij, quia sanè humanæ & Angelorum considerationi diuinarum omnium perfectionum, & laudum amplissimum & locupletissimum testimonium; propter quam vnam & hominibus, Gloria in terris, & Angelis, Sanctus, in cœlis iure suo, vt nunc fit, canitur. Aceruus testimoni, est; & quid diuinę vires, & quò possit altitudinis diuinę adiuuante gratia, humanæ menti pertingi. Quòd si aceruus testimonij Empyreum beatissimum corpus, ac perfectissimum propter lumen, atque Intelligentias in eo creatas, finem cui fuerit deputatum,

♦ *Prou.*

rum, futurum scilicet curia beatorum, & templum. Certè longè dignior aceruus, intelligentia Virginis beatissima, & perfectissima intelligentia, tanto ditata lumine, tam optimis ornata cogitationibus, ad id constituta, vt esset diuinarum perfectionum speculum, & Dei inhabitantis prima domus, augustius templum.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Dentes ruminationes sunt scripturarum; ni fallor, & verborum Dei, familiares sanctis, qui absentis Domini litteras perlegunt, & his se oblectantes spem nutriunt. Hæ ruminationes ad intellectiuam pertinent, vt ad caput dentes: his anima pascitur, vt dentium ministerio corpus; & quadrat comparatio; nam sicut dentium errores, aut defectus maximè perniciosi stomacho, & vitæ; ita & Scripturarum aut prauæ, aut non profundę intelligentię, sed littera tenus, & secundum corticem perniciosæ animę, & vitę spirituali, propter quod dicitur, quòd littera occidit; & Spiritus est, qui viuificat. Latent dentes, & ruminationes hæ in sanctis. Quòd si reuelantur illi ad risum, hæ in proximorum vtilitates, tamquam paruulorum blandimenta, aut amicorum amicas significationes amicitiæ. Quamquam vt dentes ad morsum, ita interdum & ruminationes hæ reuelantur ad increpationes. Vnde Paulus Timotheum admonens, [a] Argue inquit, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Hi dentes laudantur in Virgine Domina, quę sacris maximè delectata, suum illis tempus impertiebatur legendis. Hi gregi tonsarum, quę ascenderunt de lauacro, comparantur; & propter frequentiam, & propter contiguitatem, & propter æqualitatem, & propter munditiam, & propter nitorem, & denique propter constipationem inter se. Quæ omnia legenti, & ruminanti Virgini familiaria fuere. Et sane vt illę laudes Dentium, ita hę laudes harum lectionum, & meditationum, vt frequentes sint. Vnde monemur consolari in verbis Sanctorum, & assiduè legere: vt contiguę. Vnde & Sancti monent orare, legere, iterum orare, iterum legere; vt oratio lectionem, lectio orationem sequatur. Adhac vt æquales, quod est omnia canonicę, & æqualis auctoritatis, idest summæ reputantes, auctore Deo, omnium & largitore. Rursum vt munda, & nitidæ, quod est, vt puræ, sinceræ, nihil admiscentes profanę interpretationis, semper ad Deum relatę, præterquam quod puro spiritu, & sincero proficiendi, nihil à spiritu curiositatis inducti. Denique vt constipatę inter se, quod esse potest ea attentione, vt nobis aliam alia declaremus. Hę lectionis sacrorum laudes, atque his Virgo pręclarissimè incessit ornata; nam vt ex Patribus accepimus, sapientia nostra assidua fuit sacris ruminandis, & sibi, & alijs: & sibi quidem, vt dulcedini esset, alijs, vt exemplo, & documento, in magistram Apostolorum, & Euangelistarum posita, & institutricem Ecclesię. Tertiam diei partem huic exercitationi ab ipsa attributam scribunt, quęrendis scilicet verbis vtilibus, & ruminandis Scripturis; Et quidem alteram orationi, alteram exercitationi manuum, in qua adhuc ab oratione, & ruminatione non est credenda cessasse. Iam ve-

[a] Paul.

rò hinc conijcere de reliquis possumus, & qua fide legerit, quo spiritu, qua doctrina, quando toties nos ad audiendam disciplinam, & doctrinam inuitat. Sed si per poëticam decoram aberrationem dicta sunt illa de ouibus, (Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas) non possum de fœcunditate Scripturarum emittere, quin dicam, rectè & in has quadrare: omnes duos habent sensus, litteralem, spiritualem; nec est, quæ à Spiritu sancto non sit aliò à littera, ac cortice directa, nimirum ad alia spiritualia, & diuina significanda.

Sicut vitta coccinea labia tua. Prosequitur sponsus sponsæ, Dominus matris laudes; & ille quidem à capillis ad labia descendit, hic ad verba à meditatione sacrarum litterarum. Labia, inquit, illa tua, rubra, flammantia. Hic sensus, hæc labiorum laus. Hic verò ignita verba tua vehementer. Hic sensus, atque hęc verborum laus. Sanè labia verba sunt, quibus nimirum teguntur, aperiuntur dentes, idest interpretationes Scripturarum. Vnde rectè dicitur: [1] Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Hęc autem verba rubra esse debent, flammantia, quia nimirum charitate, & ardore cœlestium plena. Vnde propterea prophetę locuturo, [2] Labia ignito calculo prętocantur. Hęc erant Virginis verba, semper amare, semper ardere flammentia. Cum respondet Angelo, quo teneatur ardore Virginitatis ostendit. Cum assentitur, quo amore salutis nostræ, & diuinæ gloriæ. Cum salutat Elisabeth, qua reuerentia sit erga maiores. Cum retorquet in Deum laudes, quà cupiditate diuinæ exsaltationis: [3] Magnificat anima mea Dominum. Ad amissum filium, & inuentum benè ostendit, quę cordis sui fuerit flamma, ac qui ardor reperiendi. Eumdem dum in nuptijs alloquitur, [4] Vinum non habent, quæ charitas eius, & erga conuiuas ad litteram, & erga nos omnes mysticè, quibus à Deo charitatem non sine maxima charitate petebat? hęc in Euangelio: ex quibus licet de alijs coniectare. Legantur verba Sapientię, ac si sapientia, quę loquitur Virgo est, videantur, qui ignes intus in corde Virginis fuerint, quę flammę, qui ardores, & diuinę glorię, & nostræ salutis. Expendantur res, vel ex vno loco, vbi illa, quæ paulo ante recensuimus. Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum? Quibus vnumquemque nostrum de salute nostra, mater scilicet pulchrę dilectionis, pulcherrimè admonet, videaturque si quidquam, aut quo ad res salubrius, aut quoad modum suauius, aut quoad vim, atque efficacitatem dicentis, ardentius dici possit. O verba Virginis, flammæ Æthnę, cuius interiora faces, exteriora niues. O verba dulcia, verba suauia. Auream Virginem, aurea verba; ignitam Virginem, ignita verba; Purpuream Virginem, purpurea verba, ex quibus legi spiritus, & degustari possit. Possumus adhuc etiam & per labia, materias verborum, de quibus scilicet loquimur, intelligere: sicut enim aquam per alueum, & aluei spondas, sic & verba per labia, & sermo per materias se fert; vt labia verborum sit materiale, quod dicimus; eloquium verò, idest verborum sensus, formale, nimirum fluuius. Et

hoc

[1] Psalm.

[2] Is.

[3] Eu.

[4] Eu.

hoc sensu in sacris videtur aliquando vsurpatum; nam quid est, Non memorabor per labia mea? non faciam verborum meorum materiam?

Sensus igitur esse verborum potest, labia tua corallina, rubra, idest materiæ verborum tuorum; seu ea, de quibus tibi sermo est, charitatis plena: huic enim virtuti ille color respondet. Et quadrat veritati: materia enim verborum Virginis, quoad ex his, quæ locuta est, atque ex his, quæ sapientiæ tribuuntur colligi potest, semper huiusmodi, aut ad amorem Dei pertinens, aut ad nostram salutem; nihil vt sit terreni sapiens, aut humani, nihil indifferentis. Sed de dulcedine eloquij dulcissimæ parentis, aut melius dulcedinis ipsius iam satis hactenus dictum est: nihil est, quod amplius hic dicamus, si tantummodo notauerimus, satis filio dulce eloquium matris fuisse, quando illius sæpè meminit. Habet id seperitio, vt non nisi à maximo sit gustu, vt contra, & à maxima amaritudine. Propter quod illi clamabant Prophetæ. [1] Mors in olla, mors in olla. Vellem, quando is est dulcium iudicium sensus, propter quod qui audimus de dulcibus, admouemus, vt experiamur, ori; Vellem inquam magis exponi, quam verba facere. Quare loquere Virgo Domina, vt sufficiat, & semel loquere, [2] vt duo audiam. Porrò hæc verborum prima, summaq. laus, vt quis cum loquitur, [3] sermones Dei loquatur; itaque ædificet, & se dicendo, suosq. proximos inflammet.

Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo, &c. De his superius satis dictum. Sicut & de sequentibus.

Sicut turris Dauid collum tuum, &c. nisi quod aucta comparatio auctas indicat post incarnatum Verbum virtutes.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs. Vbera & ornamentum habenti, & pueris simul dulcis & cibus, & lusus, non incongruè illi charitatis effectus sunt, qui proximos respiciunt, vt misericordia, beneficentia, eleemosina, correptio adhuc fraterna, & si quæ sunt huiusmodi alia. Hæc enim quàm diu anima non gerit vterum, nimirum non vacat actiuæ vitæ, ornamenta sunt maxima ipsius; si quidem maximæ virtutis effectus. [1] Vnde, Beatus vir, qui miseretur, & quidem ex eo beatus in primis, quia Deo similis; sicut enim Pater cœlestis, & ipse misericors. Vbi autem se ad proximorum applicat vtilitates; illis cibus, & lusus; si quidem per hæc lac; beneficentiam ipsam facilem, dulcemq. cibum, dum nullo labore partam, neque debito obnoxiam hauriunt; & securi ad illam semel applicati degunt, quòd non sit ipsis defutura. Et rectè præterea per vbera hi charitatis effectus; sicut enim vbera circa cor sunt; ita & hi à charitate, & decora habent; & in vtilitates aliorum vbertatem. Hæc cum ita habeant, duo vbera sponsæ, sicut duo hinnuli capreæ gemelli sunt; quod est, alba, paria, læta, ac festiua, suauia, mollia, ex albenti pectore, vt diximus; quia nimirum hi effectus charitatis in Maria, & ipsi his ornamentis ditati. Et quidem albi, dum puri, cœlestes. Pares, dum ex eodem charitatis principio, ac fonte

1 Reg.
2 Psal.
3 Apost.
1 Psal.

æquè omnes, ac propterea eiusdem meriti apud Deum. Iam verò læti, ac festiui, quia maxima charitatis significatione, quæ ipsa magis mentis oculos, atque animum detineret. Ad hæc suaues, molles, grati scilicet, iucundi recipienti. Denique ex albenti pectore, ex puritate intentionis candidissima, vel cum virtute, Virginitate permixti. Atque hæ quidem, eæ sunt proprietates omnes, quibus charitatis effectus, cum exercentur, ornari, ditariq. debent, vt rectè fiant. Nam vt ex vna beneficentia sint exempla, pura illa inprimis esse debet, vt Deo grata sit, eique, cui fit charior, nullo intuitu, nulla alia mouerit e caussa, nisi amore ipso benefaciendi, nè in sordidam negotiationem, in vsuram, aut saltem in aliquam aliam virtutem euadat. Vnde meritò beneficentia inter actus amicitiæ; amicitia autem non sui, sed amici caussa est. Et meritò adhuc Dominus in verum virtutis experimentum, ac nobile, a inimicis iubet nos benefacere, & ijs, qui nos oderunt: de quibus adhuc dubitari potest, quòd adhuc beneficijs affecti, sint nobis inimiciores futuri, & vt delicatè nutrita malè affecta corpora, beneficia in odium conuersuri. Benefacite his, qui oderunt vos. Atque ita benefit à Domino Patre nobis, qui non exprobrat, non indigus nostrorum, non exigit vsuram ex beneficio. Idq. suadet Apostolus, mutatq. cum ait, b Charitas non quærit, quæ sua sunt. Rursum ex caritate beneficentia & ipsa esse debet: Omnia enim nostra esse debent, & par quidem alijs virtutibus hac in re, eodem scilicet caritatis affectu; nam caritas Paradisi fons est, à quo flumina, & Libanus, à quo impetu aquæ, siue Sol, à quo æquè illuminationes pro captu. Iam verò cum hilaritate collocata, c vt Apostolus ait, Quia hilarem datorem diligit Deus. Denique cum puritate intentionis; vnde suademur omnia in Deum, & ad eius laudem, gloriamq. referre. Et hęc quidem omnia suo iure Virgini attributa; nam vt ex Visitatione Elisabeth petamus omnia; qua puritate beneficentia illa enitescit? Nihil nisi bona ipsa petebat eorum, quibus fiebant, sanctificationem Ioannis in vtero, ornamenta animę illius, & decora, lætitiam Elisabeth ex agnitione diuinorum; vtilitates, opportunitatesq. totius orbis, quas ipsa optimè intelligebat illi ex ortu Ioannis prouenturas. Qua in re rectè Soli comparata, & ex amictu Solis manifestata; nihil enim inter inanima Sole, neque in donis beneficentius, neque in beneficentia purius: & fortè propter hoc primogenita, quia parenti luminum hac in re simillima: nec dubium, quin huc tendat illud, Mater pulchræ dilectionis, vt id ipsum significetur. Iam verò ex caritate mota processit eò in montana, tanta illa cum festinatione, expeditione à Deo semel accepta. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Iam verò quantum lætitię significatione venit, quantamq. per se tulit hilaritatem, quæ parietes ipsos aduentu exhilarauit suo. Denique quantam intentionem puritatis, quæ laudata, in Deum laudem omnem reiecit? Atque ex hoc vno, & de alijs esto iudicium vnicuique, quanta misericordia, beneficentiaq. fuerit mulier fortis, & amicta Sole, mater pulchrę dilectio-

a *Euang.*

b *Paul.*

c *Paul.*

lectionis, sapientia. Sed & per hinnulos capreæ, non tam hinnulos ipsos, vt hactenus, quam & Angelos adhuc possumus intelligere. Et quidem probè, nam ipsi triumphantis Ecclesiæ filij, quæ quòd lactet optimo lacte suos, sitq. in excelsis, & arduis, rectè caprea dicitur. Quare sensus erit verborum, Effectus caritatis tuæ, sicut duo Angelorum, cœlestes. Et sanè Angelorum, cum maxima sit caritas, dignissimaque, & ipsi effectus caritatis maximi, dignissimique: nam vnde est illis gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente? Vnde ad curandam Babyloniam conuolant, coactiq. cum dolore discedunt? Vnde inter se conflictantur, & pugnant nostræ salutis ergo, quisque pro officio? Vnde comites se, sociosq. præbent ad debitum exigendum, reuertentesq. non aliud nisi diuinæ gloriæ commendationem exigunt pro mercede? Et quidem, quæ perpetua nobis cautio est, non ideo his Virgo comparatur, quòd non superior, sed quòd his nihil superius.

Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ; Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris. Vt cum sequentibus innectamus isthæc; atque vno rem sensu definiamus. Sponsus inter canendum, de vinea cogitat, quia nimirum Christus Dominus, vel ab ortu ipso suo de beatitudine, & fine vltimo, atque postremo. In quo quidem optimus comprehensor optimum se nobis exhibuit Viatorem, dum in patriam solum suspirare; vel ab ipso ortu nostro in specialem vitam, & exercitationes exemplo docuit; & eò vnde venimus, & quò tendimus tandem, quod est ad eum, qui misit nos. Quod imitatus Dauid [1] ait; Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? Vnde Hebræi ab ipso ex Ægypto felicissimo egressu, ad terram pollicitationum aspirant; & fortasse propterea Dominus in stabulo resupinus iacet; quia domicilium felicitatis, & sedem futuræ gloriæ prospectat, quò sit tandem perueniendum. Quo de, & gratia ipsa præ participibus copisior, & Angeli canentes monent, & nomen ipsum ducis, quod accepit à Patre; nam in triumphum fas est cogitet Dux, & Imperator ab egressu ipso è Senatu, & amictus paludamento. Rectè autem beatitudo, & patria, vinea, siue multitudinem vitium, idest beatorum spectes, siue ordinem, siue dulcedinis fructum; vnde nobis possessio nostra, Hortus, locus deliciarum, ceteraque. nec dubium, quin si [2] vindemiæ conuiuium nobis exhibendum in cœlo, vinea cœlum erit, vbi sit exhibendum. Ceterum sponsus non tam sui causa, quam sponsæ in vineam cogitat, vt eò scilicet illam ducat tandem, quia nimirum Christus Dominus de illo vltimo fine, non tam sibi, quam Mariæ ipsi cogitauit; nam cum ipse ab instanti conceptus sui beatus; atque ab ingressu viæ comprehensor, sanè non tam sibi, quàm alijs sollicitus esset, necesse habuit, Et quidem Mariæ gloriam, ac felicitatem, vt dilectissimæ sponsæ, vt insignis, & præclare Virginis, vt sibi simillimæ, & gloriæ ipsi maximo ornamento futuræ, vehementer optare debuit gratiarum, & gloriæ largitor, nec tam adiutor in [3] opportunitatibus, quàm laborum, & defatigationum remunerator.

[1] *Psalm.*

[2] *Is.*

[3] *Psalm.*

Et

Et excitat quidem sponsus dormientem, aut dormitantem sponsam, redditq. vineæ commemoratione solicitiorem. At non ita Christus Dominus Mariam, cui iam ab initio insederat gloria, nisi quòd feruentiorem recordatione, & ardentiorem reddit. Laudatur verò interea Vinea à Sponso Sponsæ, quia Virgini à Christo Domino Empyreum, & locus ille, siue curia felicitatis. Et quid de illa ait Sponsus? Mons myrrhę, & collis thuris appellatur. Quid de hac? ea ipsi tribuuntur, quæ maxima sint, & gloriosissima. Sanè myrrha immortalitas est, thus verò contemplatio; propter quod ad significandum, quod Regi seculorum immortali, & altissimo ad offerenda munera veniebant, & ad obediendum ab Oriente Reges, myrrham, thusq. obtulerunt. Sensus igitur erit sic dicentis, Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris: Vadam in gloriam meam, & introibo, quę quidem altissima, celsissimaq. est, vt mons, & in celsitudine immortalis, in immortalitate, & æternitate contemplationi vacans diuinitatis. Et sanè his de beatitate illa non poterant, neque meliora, neque digniora prædicari; nam nisi immortalis illa esset, fermè nulla, aut nimis parua esset; ac nisi in Dei contemplatione sita esset, esset eius adhuc immortalitas ad pœnam potius, & supplicium, quam ad felicitatem. Hæc est vita ęterna, vt cognoscamus, & amemus parentem luminum. Rursum hęc, vt huiusmodi vita nullis spatijs definiatur. Appellat autem sic beatitudinem illam, itaque describit, vt significet ibi vulgò nasci myrrham, & redolere thus; nimirum ita immortalitatem, & contemplationem esse illius propria, vt sine illis esse non possit; Nec aliud ibi adhuc in corporum societate reperiri; nam & immortalis anima, immortalia corpora, immortalis gloria. Rursum laudabunt animæ, laudabunt corpora & passim. Vnde dicitur, quod in plateis 4 Hierusalem Alleluia semper cantabitur. Duo hæc, & alijs artificiosè coniuncta reperies; vt quibus maximè felicitas illius vitæ contineatur. Vnde Dauid, 5 Beati, inquit, qui habitant in domo tua Domine, in sęcula sęculorum laudabunt te. Vides in eo bonum, vt laudent, & quidō in sęcula seculorum. Sed sponsus idem, qui se eò iturum post noctem dicit, Christus Dominus est, qui se ad Patrem reuersurum relicto mundo, non antea pollicetur, quàm exacta omnis dolorum, & tribulationum, quibus se destinarit, sit nox. Atque hæc si ad vineam verba referamus. Nam si ad vbera, vt diximus, ea interpretatione, vt potiundi vberum sit spes, iam antequam illucescat, quę amore doctore sic dicat, montem myrrhę, collem thuris; certè videbitur esse sensus is: Vbera ego hęc, hanc Virginis parentis commiserationem, & beneficentiam, aliaq. effecta caritatis ante lucem potiar. quod est, ante discessum ex hac vita experiar probare. Quę quidem inardescens vberum amore ait, dum ostendit se harum virtutum amore in Virgine maximè captum. Ex quo intelligimus, quid in illa inprimis ipsi placuerit. Et quidem vt prophetauit, deinde euenit res: enim verò euentu verba probante, & cum in Ægyptum fugit, & cùm reuertit, & cum triduus affuit, & deni-

4 *Tob.*

5 *Psalm.*

denique cum in cruce perpessus est, commiseratione optimę parentis, beneficentiaque in primis recreatus est. Quod fortasse in figura est, [6] Viro à muliere forti in Prouerbijs plurima bona fuisse. Vnde meritò confidit in ea cor viri, & spolijs non indigebit. Stabat iuxta crucem Maria è cruce pendenti, & quæ in stabulo vbera Filio corporis ministrarat, iuxta crucem hęc ministrat vbera animę, commiserationem, beneficentiam. Quod & beata illa vbera, & hęc quidem beatiora. O dignissimam commiserationem, siue compassionem, Deo patienti solatium! ò beneficentiam in benefactorem ipsum refusam! Hęc & ipse Dominus dum memorat omnia, concludit tandem vno omnia tamquam epilogo.

Tota pulchra es anima mea, & macula non est in te. Ac si, quid multis opus est? verè Virgo tota pulchra, quę sic gratia plena, sic virtutibus redundans, & semper scatens. Tota pulchra, cui nihil luminis deest coronatę stellis, amictæ Sole, & Luna, Sole exornatę. Sed vnde tota illa pulchra, nisi à te artifice, qui vt in vnius intenderemus oculos pulchritudinem, pręstare vnam omnibus voluisti, & solam apparere perfectam? Pręclara pulchritudo, tanto teste pręclarior. Et macula non est in ea: quę sit, aut esse possit, tanto Sole iam inde ab initio prospiciente? an est originale peccatum macula? sanè est, & quidem turpissima. quid igitur incurrisse illam dicemus Virginem sine nota tanti testimonij? sed tu Domina, tu pulchra, ego totus deformis ac turpis. macula non est in te, cum ego quantus quantus sum, totus macula sim. quid dicam? inuideam: absit. Gratulor tibi, & misereor mei, cui adstare in conspectu Dominę suę, cum hac deformitate, his maculis, noua adhuc deformitas est; & veterum macula accedens ad cumulum. Si te totam pulchram tuus facit Sol, & sine macula, quid non me ex parte pulchrum facis, & alicuius maioris maculæ expertem? An te ego artificem impedio? & hęc tibi difficultas superanda est, quę sit maxima operis commendatio posteritati futura. Quorsum autem hæc laus Dominæ? an est ad veniendum vltimum incitamentum? Iam parata ad veniendum; nihil habet, quod optet antiquius. Vide autem quà sit eundum, ne itinerum ratione, quo minus liberè veniat, detineatur. facilis ne via? facillima per Libanum.

Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano. Quod est, mecum per Libanum. Sanè per Libanum Iudææ montem, quam candidum interpretamur, multis delitijs frequentem locum, Virginitatem intelligimus; Hęc enim virtus & propter difficultatem mons, & propter candorem Libanus, & propter eas, quę ex ipsa sunt hominibus opportunitates, delitijs frequens locus. Et difficilis quidem illa: [1] Vnde Paulus præceptum Domini non habet, consilium autem dat. & [2] Dominus, Qui potest capere capiat. est enim difficile in carne extra carnem viuere; & Angelos in terris exprimere. Iam verò candida virtus, quæ propterea niui, cælo sæpè collata. Et quidem crediderim, quia à corporum mixtione aliena, candor illi attributus, & propterea quia lux est, nec tantum lux, sed lucis delitię, & flos. Denique quan-

tę

[6] *Prouerb.*

[1] *Paul.*

[2] *Euang.*

te delitiæ eius, quæ semper cogitat quæ Domini sunt, procul à tribulationibus carnis. Per hunc igitur montem inuitatur Virgo in cœlum factura viam, vt significeretur illi in hoc proposito persistendum; & non quidem ea ratione, quòd eguerit admonitione hac; at potius vt quod futurum erat fieret apertum.

Veni, Coronaberis. Collectura scilicet mecum in coronam flores; qua coronata incedas, & vineę tandem te sistas. Flores Virgines ipsę sunt propter elegantiam, & virorem. Sensus igitur esse poterit: Veni per virginitatem Virgines ipsa factura, quæ tibi sint ornamento, & capiti tuo, vt potè à te factę; quibusque tu fueris virginitatis magistra. idque mecum. Ego enim hac in re præcipuus, vt in ceteris, tu adiutorium mihi simile. Ita à generationibus nostris adimplebitur orbis. Qua in re illud est aduertendum, quod sicut in Libano multi flores cum essent, non omnes Sponsi domum sunt asportati, nisi quibus se Sponsa coronarit; ita & in cœlum non omnes Virgines; sed tantummodo eæ, quibus Virginis fuit fides & Christi Domini, sunt illatæ. Vnde beneficium ipsarum fuit Virginum, vt illis Virgo caput suum ornarit. Atque hoc fortassis est, quòd Regi Virgines non ipsæ se sistunt, & præstò sunt, sed prophetæ à [a] Regina adducuntur, pòst se. Et quidem in lętitia, & exsultatione, dum à Regina; stat enim sic certa merces operę, & defatigationi corona. Quare si poscas, Virginum quę nam fatuę, quę nam prudentes, facilè respondebimus, eas prudentes, quę post Reginam adducuntur, contrà eas fatuas, quibus nullum post Reginam obsequium. Sane à Regina disciplina, [a] ornatus muliebris, seu melius Virgineus, incessus, leges, aliaque. Sed cum Libanus virginitas sit, flores virtutes, possumus per flores Libani virtutes eas intelligere, quæ sunt cum virginitate, vt sit sensus, Veni per virginitatem, virginitatis fructus degustatura. Et sanè virginitas & ipsa multas virtutes cordi inserit, insertasq. custodit: nam si matrimonium multa habet incommoda, & carnis tribulationes; à virginitate multa commoda hominibus sint, necesse habet. Et quidem spiritualia commoda, quæ virtutes sunt, aut virtutum effecta. Et sanè à decoro, à luce multæ opportunitates; quibus viginitas donatur nominibus.

[a] *Psalm.*

[a] *Esther.*

De capite Amana. Idem sensus. Amana fidem seu veritatem interpretamur. & hanc vt transeat excitat, siue, transituram pollicetur eodem sensu, eademque interpretatione augendæ virtutis, non acquirendę.

Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa. Idem sensus qui supra, cum ad corpus retulimus hæc.

In vno oculorum tuorum. Vno aspectu contéplationis tuę. Ita Virgo se in contemplatione erigebat ad cœlestia, & altissima penetrabat.

Et in vno crine colli tui. In vna cogitationum tuarum, de quibus modò.

Quam pulcræ sunt mammę tuę. scilicet pulcherrimæ sunt misericordia, & beneficentiæ tuę. Et ita sanè, quę potuerint ipsum auctorem, & opificem in admirationem adducere.

Fauus

Fauus distillans labia tua Sponsa. Verba tua, vt suprà, dum ad corpus retulimus.

Mel, & lac sub lingua tua. idem sensus qui & superius.

Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.

Videtur vno conclusisse omnia. Sponsam aspectui, auditui, olfactui pulchram. Per hęc etiam aut translatè, aut per redundantiam quamdam animi, & gustui pulchram. Et ipsa ab odore poëtica, & amans laus.

[1] Sinus, inquit ille, expensa profert cinnama.

Sed quid est sicut odor thuris? vehemens, acer, salubris?

* Et odor vestimentorum tuorum, &c. Vestimenta fortè virtutes sunt aliæ à superioribus, morales, tum acquisitæ, tum infusę. Eæ enim vt vestimenta ornant simul, ac tegunt; & extrinseca sunt & coniuncta; & quidem non alia ratione extrinseca, nisi quòd acquisitę, aut infusæ. Porrò odor, qui afflatur, ędificatio est proximorum. Vnde [1] Paulus ait: Christi bonus odor sumus, scilicet is, qui vt essemus optabat Dominus, qui dicebat: [2] Videant opera vestra bona. Ait igitur Dominus Virgini, vno concludens omnia: Ædificatio virtutum tuarum, sicut odor thuris, nimirum suauis odor, vehemens, acer, vtilis, salubris, iucundus, vnò verbo, regius. Is fuit Virginis vestimentorum odor, hæc virtutum ędificatio; & hunc quidem odorem omnes persenserunt; in primis verò ipse sponsus; vt erat sagacior. Possumus & per vestimenta alios quoscumque habitus intelligere, vel adhuc gratias gratis datas, vt ipsis dicatur Virgo vsa proximorum maxima vtilitate, Christi Domini iucunditate.

[1] *Corn. Gall.*

[1] *Paul.*

[2] *Euang.*

Hortus conclusus soror mea, &c.

Vides nunc alterutro separatim, nunc vtroque coniunctim dictam nomine sororis, & sponsę, ad fastidium fugiendum, alendam iucunditatem? Ingeminatur autem, hortus conclusus, eodem decoro.

* Hortus conclusus Soror mea Sponsa, hortus conclusus. Dum sponsus ad instituta laudum redit, sanè & idem Christus Dominus cum Virgine facit, quam vt amoris exemplar ostendat, amatamque summo amore, nunc Sororem, nunc Sponsam dicit, vt scilicet significet, à se illam & vt sororem, & vt Sponsam amatã, & si qui sint alij maioris amoris tituli. Rediens autem ad laudes, hortum conclusum dicit; Idq. propter virginitatem: nam vt castitas alijs viris amata coniugum, ita huic imprimis virginitas nouo exemplo, admirationeque. Hac miraculorum via, & eius qua ipse esse potestatis manifestandę. Hortus manu Dei positus eodem architecto, fabro, custode, delitias ex illo capiente; frequens omnibus voluptatibus, cuius vix illa olim à Deo posita paradisus, ex argilla typus. Sed cuinam conclusus? hominibus, Deo; quia conclusus, apertus. Quibus autem conclusus ostijs? proposito, voto, gratia, ipsomet Dei egressu, regressuque, qui perficere venit, non vastare; augere magis, quam quidpiam minuere; qui

propterea

propterea [a] confortauit ſeras portarum illius,ingrediens, egredienſq. lux, ac Sol; & ſecundum nominis proprietatem ſeruauit. Atque idem eſt.

[a] *Pſalm.*

Fons ſignatus.

Redit ad principium,nimirum ad laudandam ſimul ex toto,adhuc ſimilitudinibus. Et primò quidem horto ſimilem facit, tum fonti ſignato. Sed vide quanto poeſis artifitio, ſimul hic duo ponit, Hortus concluſus, Fons ſignatus. Tum repetens ſingula deſcribit: Emiſſiones tuæ, quæ ad Hortum: Fons hortorum, quæ ad fontem pertinent.

Crediderim vtramque ſimilitudinem ad caſtitatem relatam; ſanè amatores, præſertim ſponſi cum pulcritudine caſtitatem in amatis in primis amant, à qua in primis adhuc laudatas volunt, quòd & ipſas ſciunt huiuſmodi laudibus delectari; propter quod dicebat illa.

Amatores veri cũ pulchritudine caſtitatem maximè amant.

[a] Bonam ego, quam beatam me eſſe nimio dici mauolo.

Et rurſum.

Pudorem gerere magis decet, quam purpuram.

[a] *Plaut. in Pœnul.*

Pudorem gerere decentius, quam purpuram.

Id quod commodo ipſorum fit, dum nihil ſibi, nè illæ deficiant, timent. Artifitiosè igitur,dum poſt pulchritudinem caſtitas coniugalis ſponſæ laudatur.

Fons ſignatus. Signo aliquo obſignatus, aquæ ſignati fontis purę.

* Fons ſignatus. Signatus à Deo ipſo, ſibi Deo auctori ad guſtum, delitiaſque. Ex quo videtur,quam longiſſimè à veritate abſint hęretici Virgini iniurij,& quam peſſime philoſophentur; nam cum quę Deus ſignet, [a] aperire nemo poſſit, vt in Apocalypſi, tam abeſt procul vt poſt partum Virgo virginitatem amiſerit,vt neque amittere potuerit.

[a] *Apoc.*

Emiſſiones tuæ.

Propagines, arbores. Horti diuitias, & ornamenta addit, oſtenditque non quemcumque hortum eſſe ſponſam,ſed qui omnibus com modis, & iucunditatibus conſitus ſit; tribuitque ei, quæ ad fructus; quęque ad flores, & odoramenta ſint omnia. Significare vult eam omnibus pulchritudinibus vni ſponſo pulchram.

* Emiſſiones tuæ. Propagines, arbores, omnes ſcilicet habitus quicumque, cuiuſcumque ordinis.

Paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.

Septuaginta,cum fructibus nucum. Hebræi cum fructu delitiarum. quod eſt,cum omni fructu dulci, & delitioſo.

* Paradiſus malorum punicorum. Aſpectu ſcilicet iucundiſſima, fructu ſuauiſſima. Hic quoniam Sponſus tribuit Sponſæ omnia ornamenta, fructuum,florum,herbarumque omni attributione; ita referre licet ad Virginem, vt illi adhuc virtutum & perfectionum eadem attribu-

tributione, omnia decora, atque ornamenta tribuamus. Et ſanè per mala punica rectè theologales virtutes intelligimus,ſiue quòd vt mala punica fructibus præſtant, hæ ceteris virtutibus, ſiue quòd vt illa hæ coronam geſtant, prçmium ſcilicet recipiunt, & triumphant. Vnde modo alteri harum virtutum attributam coronam reperies. Hæ quoniam virebant ſemper in Virgine, & mirificè effloreſcebant, paradiſus dicuntur, & pulchritudo, & formoſitas. Et quoniam ſolæ non erant, rectè additur,

Cum pomorum fructibus. Scilicet reliquorum omnium, quod eſt cum alijs omnibus donis, & fructibus Spiritus ſancti, quæ charitatem conſequuntur: quæ quidem omnia vt fonti Beatiſſimæ parenti, & optimæ tributa ſunt. Atque idem ſenſus, ſi LXX. ſequamur dicentes. cum fructibus nucum. Siue Hebræos, cum fructu delitiarum; quod eſt cum omni fructu dulci, & delitioſo, vt diximus. Sanè vt fructus nucum, difficilè hęc dona, atque hi fructus obtinentur; ſiue melius, difficilè inueniuntur, at ſuauiſſimè deguſtantur.

Cypri cum nardo.

De his ſuperius dictum:

* Cypri. Cyprus. Prudentia.

Cum nardo. Nardus, vt diximus, humilitas eſt, qua Virgo, vt ibidem, inſignis.

Nardus, & crocus.

Simul coniungit ſimul dulcè ſpirantes. De proprietatibus autem horum, cum myſticè.

* Nardus, & crocus. Si artifitiosè Sponſus nardum repetit, certè non minore artificio Chriſtus Dominus humilitatem Virginis, quæ cariſſima in primis & iucundiſſima fuit. Porrò crocus, feruor eſt, qui rectè cum humilitate coniungitur.

Fiſtula, & cinnamomum.

Canna, calamus odoratus.

* Fiſtula, & cinnamomum. Iuſtitia, & Fortitudo. Propter rectitudinem, & propter vim odoris.

Cum vniuerſis lignis Libani.

Ex Hebræo thuris, vel montis Libani odoratis.

* Cum vniuerſis lignis Libani. Si thuris cum Hebræis, virtutibus, à quibus odores, ideſt vt orationes, contemplationes eſſe poſſent. Si Libani, quod candidi interpretamur, cum vniuerſis virtutibus virginitatem comitantibus, à quibus in proximos odores.

Myrrha, & aloë.

* Hæc, quæ à corruptione præſeruant, ſanè virtutes hę ſunt, quarum eſt circa corpus exercitium, quæ quidem omnes in Virgine fuerunt,

rò hinc conijcere de reliquis possumus, & qua fide legerit, quo spiritu, qua doctrina, quando toties nos ad audiendam disciplinam, & doctrinam inuitat. Sed si per poëticam decoram aberrationem dicta sunt illa de quibus (Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas) non possum de fœcunditate Scripturarum emittere, quin dicam, rectè & in has quadrare: omnes duos habent sensus, litteralem, spiritualem; nec est, quæ à Spiritu sancto non sit aliò à littera, ac cortice directa, nimirum ad alia spiritualia, & diuina significanda.

Sicut vitta coccinea labia tua. Prosequitur sponsus sponsæ, Dominus matris laudes; & ille quidem à capillis ad labia descendit, hic ad verba à meditatione sacrarum litterarum. Labia, inquit, illa tua, rubra, flammantia. Hic sensus, hæc labiorum laus. Hic verò ignita verba tua vehementer. Hic sensus, atque hęc verborum laus. Sanè labia verba sunt, quibus nimirum teguntur, aperiuntur dentes, idest interpretationes Scripturarum. Vnde rectè dicitur: [1] Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Hęc autem verba rubra esse debent, flammantia, quia nimirum charitate, & ardore cœlestium plena. Vnde propterea prophetę locuturo, [2] Labia ignito calculo prefocantur. Hęc erant Virginis verba; semper amare, semper ardere flammentia. Cum respondet Angelo, quo teneatur ardore Virginitatis ostendit. Cum assentitur, quo amore salutis nostræ, & diuinæ gloriæ. Cum salutat Elisabeth, qua reuerentia sit erga maiores. Cum retorquet in Deum laudes, quà cupiditate diuinæ exsaltationis: [3] Magnificat anima mea Dominum. Ad amissum filium, & inuentum benè ostendit, quę cordis sui fuerit flamma, ac qui ardor reperiendi. Eumdem dum in nuptijs alloquitur, [4] Vinum non habent, quæ charitas eius, & erga conuiuas ad litteram, & erga nos omnes mysticè, quibus à Deo charitatem non sine maxima charitate petebat: hęc in Euangelio: ex quibus licet de alijs coniectare. Legantur verba Sapientię, ac si sapientia, quę loquitur Virgo est, videantur, qui ignes intus in corde Virginis fuerint, quę flammę, qui ardores, & diuinę glorię, & nostræ salutis. Expendantur res, vel ex vno loco; vbi illa, quæ paulo ante recensuimus. Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum? Quibus vnumquemque nostrum de salute nostra, mater scilicet pulchrę dilectionis, pulcherrimè admonet; videaturque si quidquam, aut quo ad res salubrius, aut quoad modum suauius, aut quoad vim, atque efficacitatem dicentis, ardentius dici possit. O verba Virginis, flammæ Æthnę, cuius interiora faces, exteriora niues. O verba dulcia, verba suauia. Auream Virginem, aurea verba; ignitam Virginem, ignita verba; Purpuream Virginem, purpurea verba, ex quibus legi spiritus, & degustari possit. Possumus adhuc etiam & per labia, materias verborum, de quibus scilicet loquimur, intelligere: sicut enim aquam per alueum, & aluei spondas, sic & verba per labia, & sermo per materias se fert; vt labia verborum sit materiale, quod dicimus; eloquium verò, idest verborum sensus, formale, nimirum fluuius. Et hoc

[1] Psalm.
[2] Is.
[3] Eu.
[4] Eu.

hoc sensu in sacris videtur aliquando vsurpatum; nam quid est, Non memorabor per labia mea? non faciam verborum meorum materiam?

Sensus igitur esse verborum potest, labia tua corallina, rubra, idest materiæ verborum tuorum; seu ea, de quibus tibi sermo est, charitatis plena: huic enim virtuti ille color respondet. Et quadrat veritati: materia enim verborum Virginis, quoad ex his, quæ locuta est, atque ex his, quæ sapientiæ tribuuntur colligi potest, semper huiusmodi, aut ad amorem Dei pertinens, aut ad nostram salutem; nihil vt sit terreni sapiens, aut humani, nihil indifferentis. Sed de dulcedine eloquij dulcissimæ parentis, aut melius dulcedinis ipsius iam satis hactenus dictum est: nihil est, quod amplius hic dicamus, si tantummodo notauerimus, satis filio dulce eloquium matris fuisse, quando illius sæpè meminit. Habet id repetitio, vt non nisi à maximo sit gustu, vt contra, & à maxima amaritudine. Propter quod illi clamabant Prophetæ: [1] Mors in olla, mors in olla. Vellem, quando is est dulcium iudicium sensus, propter quod, quæ audimus de dulcibus, admouemus, vt experiamur, ori; Vellem inquam magis exponere, quam verba facere. Quare loquere Virgo Domina, vt sufficiat, & semel loquere, vt duo audiam. [2] Porrò hæc verborum prima, summaq. laus, vt quis cum loquitur, [3] sermones Dei loquatur, itaque ædificet, & se dicendo, suosq. proximos inflammet.

Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo, &c. De his superius satis dictum. Sicut & de sequentibus.

Sicut turris Dauid collum tuum, &c. nisi quod aucta comparatio auctas indicat post incarnatum Verbum virtutes.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs. Vbera & ornamentum habenti, & pueris simul dulcis & cibus, & lusus, non incongruè illi charitatis effectus sunt, qui proximos respiciunt, vt misericordia, beneficentia, eleemosina, correptio adhuc fraterna, & si quæ sunt huiusmodi alia. Hæc enim quàm diu anima non gerit vterum, nimirum non vacat actiuæ vitæ, ornamenta sunt maxima ipsius; si quidem maximæ virtutis effectus. [4] Vnde, Beatus vir, qui miseretur, & quidem ex eo beatus in primis, quia Deo similis; sicut enim Pater cœlestis, & ipse misericors. Vbi autem se ad proximorum applicat vtilitates, illis cibus, & lusus; si quidem per hæc lac, beneficentiam ipsam facilem, dulcemq. cibum, dum nullo labore partam, neque debito obnoxiam hauriunt; & securi ad illam semel applicati degunt, quòd non sit ipsis defutura. Et rectè præterea per vbera hi charitatis effectus; sicut enim vbera circa cor sunt; ita & hi à charitate, & de corde habent; & in vtilitates aliorum vbertatem. Hæc cum ita habeant, duo vbera sponsæ, sicut duo hinnuli capreæ gemelli sunt; quod est, alba, paria, læta, ac festiua, suauia, mollia, ex albenti pectore, vt diximus; quia nimirum hi effectus charitatis in Maria, & ipsi his ornamentis ditati. Et quidem albi, dum puri, cœlestes. Pares, dum ex eodem charitatis principio, ac fonte

[1] Reg.
[2] Psal.
[3] Apost.
[4] Psal.

æquè omnes, ac propterea eiusdem meriti apud Deum. Iam verò læti, ac festiui, quia maxima charitatis significatione, quæ ipsa magis mentis oculos, atque animum detineret. Ad hæc suaues, molles, grati scilicet, iucundi recipienti. Denique ex albenti pectore, ex puritate intentionis candidissima, vel cum virtute, Virginitate permixti. Atque hæ quidem, eæ sunt proprietates omnes, quibus charitatis effectus, cum exercentur, ornati, ditatiq. debent, vt rectè fiant. Nam vt ex vna beneficentia sint exempla, pura illa inprimis esse debet, vt Deo grata sit, eique, cui fit charior; nullo intuitu, nulla alia mouente caussa, nisi amore ipso benefaciendi, nè in sordidam negotiationem, in vsuram, aut saltem in aliquam aliam virtutem euadat. Vnde meritò beneficentia inter actus amicitiæ; amicitia autem non sui, sed amici causa est. Et meritò adhuc Dominus in verum virtutis experimentum, ac nobile, [a] inimicis iubet nos benefacere, & ijs, qui nos oderunt: de quibus adhuc dubitari potest, quòd adhuc beneficijs affecti, sint nobis inimiciores futuri, & vt delicatè nutrita malè affecta corpora, beneficia in odium conuersuri. Benefacite his, qui oderunt vos. Atque ita benefit à Domino Patre nobis, qui non exprobrat, non indigus nostrorum, non exigit vsuram ex beneficio. Idq. suadet Apostolus, inuitatq. cum ait, [3] Charitas non quærit, quæ sua sunt. Rursum ex caritate beneficentia & ipsa esse debet: Omnia enim nostra esse debent, & par quidem alijs virtutibus hac in re, eodem scilicet caritatis affectu; nam caritas Paradisi fons est, à quo flumina, & Libanus, à quo impetu aquæ, siue Sol, à quo æquè illuminationes pro captu. Iam verò cum hilaritate collocata, [4] vt Apostolus ait, Quia hilarem datorem diligit Deus. Denique cum puritate intentionis; vnde suademur omnia in Deum, & ad eius laudem, gloriamq. referre. Et hęc quidem omnia suo iure Virgini attributa; nam vt ex Visitatione Elisabeth petamus omnia, qua puritate beneficentia illa enitescit? Nihil nisi bona ipsa petebat eorum, quibus fiebant, sanctificationem Ioannis in vtero, ornamentaq animę illius, & decora, lætitiam Elisabeth ex agnitione diuinorum; vtilitates, opportunitatesq. totius orbis, quas ipsa optimè intelligebat illi ex ortu Ioannis prouenturas. Qua in re rectè Soli comparata, & ex amictu Solis manifestata; nihil enim inter inanima Sole, neque in donis beneficentius, neque in beneficentia purius: & fortè propter hoc primogenita, quia parenti luminum hac in re simillima: nec dubium, quin huc tendat illud, Mater pulchræ dilectionis, vt id ipsum significetur. Iam verò ex caritate mota processit eò in montana, tanta illa cum festinatione, expeditione à Deo semel accepta. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Iam verò quantum lætitię significatione venit, quantamq. per se tulit hilaritatem, quæ parietes ipsos aduentu exhilarauit suo. Denique quantam intentionem puritatis, quæ laudata, in Deum laudem omnem reiecit? Atque ex hoc vno, & de alijs esto iudicium vnicuique, quanta misericordia, beneficentiaq. fuerit mulier fortis, & amicta Sole, mater pulchrę dilectio-

[a] *Euang.*

[3] *Paul.*

[4] *Paul.*

lectionis, sapientia. Sed & per hinnulos capreæ, non tam hinnulos ipsos, vt hactenus, quam & Angelos adhuc possumus intelligere. Et quidem probè, nam ipsi triumphantis Ecclesiæ filij, quæ quòd lactet optimo lacte suos, sitq. in excelsis, & arduis, rectè caprea dicitur. Quare sensus erit verborum, Effectus caritatis tuæ, sicut duo Angelorum, cœlestes. Et sanè Angelorum, cum maxima sit caritas, dignissimaque, & ipsi effectus caritatis maximi, dignissimique: nam vnde est illis gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente? Vnde ad curandam Babyloniam conuolant, coactiq. cum dolore discedunt? Vnde inter se conflictantur, & pugnant nostræ salutis ergo, quisque pro officio? Vnde comites se, sociosq. præbent ad debitum exigendum, reuertentesq. non aliud nisi diuinæ gloriæ commendationem exigunt pro mercede? Et quidem, quæ perpetua nobis cautio est, non ideo his Virgo comparatur, quòd non superior, sed quòd his nihil superius.

Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ; Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris. Vt cum sequentibus innectamus isthæc; atque vno rem sensu definiamus. Sponsus inter canendum, de vinea cogitat, quia nimirum Christus Dominus, vel ab ortu ipso suo de beatitudine, & fine vltimo, atque postremo. In quo quidem optimus comprehensor optimum se nobis exhibuit Viatorem, dum in patriam solum suspirare, vel ab ipso ortu nostro in specialem vitam, & exercitationes exemplo docuit; & eò vnde venimus, & quò tendimus tandem, quod est ad eum, qui misit nos. Quod imitatus Dauid [1] ait: Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? Vnde Hebræi ab ipso ex Ægypto felicissimo egressu, ad terram pollicitationum aspirant; & fortasse propterea Dominus in stabulo resupinus iacet; quia domicilium felicitatis, & sedem futuræ gloriæ prospectat, quò sit tandem perueniendum. Quo de, & gratia ipsa præ participibus copisior, & Angeli canentes monent, & nomen ipsum ducis, quod accepit à Patre; nam in triumphum fas est cogitet Dux, & Imperator ab egressu ipso è Senatu, & amictus paludamento. Rectè autem beatitudo, & patria, vinea, siue multitudinem vitium, idest beatorum species, siue ordinem, siue dulcedinis fructum; vnde nobis possessio nostra, Hortus, locus delitiarum, ceteraque. nec dubium, quin si [2] vindemiæ conuiuium nobis exhibendum in cœlo, vinea cœlum erit, vbi sit exhibendum. Ceterum sponsus non tam sui causa, quam sponsæ in vineam cogitat, vt eò scilicet illam ducat tandem, quia nimirum Christus Dominus de illo vltimo fine, non tam sibi, quam Mariæ ipsi cogitauit; nam cum ipse ab instanti conceptus sui beatus; atque ab ingressu viæ comprehensor, sanè non tam sibi, quàm alijs sollicitus esset, necesse habuit, Et quidem Mariæ gloriam, ac felicitatem, vt dilectissimæ sponsæ, vt insignis, & præclaræ Virginis, vt sibi simillimæ, & gloriæ ipsi maximo ornamento futuræ, vehementer optare debuit gratiarum, & gloriæ largitor, nec tam adiutor in [3] opportunitatibus, quàm laborum, & defatigationum remunerator.

[1] Psalm.
[2] Is.
[3] Psalm.

Et

Et excitat quidem sponsus dormientem, aut dormitantem sponsam, redditq. vineæ commemoratione solicitiorem. At non ita Christus Dominus Mariam, cui iam ab initio insederat gloria, nisi quòd feruentiorem recordatione, & ardentiorem reddit. Laudatur verò interea Vinea à Sponso Sponsæ, quia Virgini à Christo Domino Empyreum, & locus ille, siue curia felicitatis. Et quid de illa ait Sponsus? Mons myrrhę, & collis thuris appellatur. Quid de hac? ea ipsi tribuuntur, quæ maxima sint, & gloriosissima. Sanè myrrha immortalitas est, thus verò contemplatio; propter quod ad significandum, quod Regi seculorum immortali, & altissimo ad offerenda munera veniebant, & ad obediendum ab Oriente Reges, myrrham, thusq. obtulerunt. Sensus igitur erit sic dicentis, Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris: Vadam in gloriam meam, & introibo, quę quidem altissima, celsissimaq. est, vt mons, & in celsitudine immortalis, in immortalitate, & æternitate contemplationi vacans diuinitatis. Et sanè his de beatitate illa non poterant, neque meliora, neque digniora prædicari; nam nisi immortalis illa esset, fermè nulla, aut nimis parua esset; ac nisi in Dei contemplatione sita esset, esset eius adhuc immortalitas ad pœnam potius, & supplicium, quam ad felicitatem. Hæc est vita ęterna, vt cognoscamus, & amemus parentem luminum. Rursum hęc, vt huiusmodi vita nullis spatijs definiatur. Appellat autem sic beatitudinem illam, itaque describit, vt significet ibi vulgò nasci myrrham, & redolere thus; nimirum ita immortalitatem, & contemplationem esse illius propria, vt sine illis esse non possit; Nec aliud ibi adhuc in corporum societate reperiri; nam & immortalis anima, immortalia corpora, immortalis gloria. Rursum laudabunt animæ, laudabunt corpora & passim. Vnde dicitur, quod in plateis 4 Hierusalem Alleluia semper cantabitur. Duo hæc, & alijs artificiosè coniuncta reperies; vt quibus maximè felicitas illius vitæ contineatur. Vnde Dauid, 5 Beati, inquit, qui habitant in domo tua Domine, in sęcula sęculorum laudabunt te. Vides in eo bonum, vt laudent, & quidō in sęcula seculorum. Sed sponsus idem, qui se eò iturum post noctem dicit, Christus Dominus est, qui se ad Patrem reuersurum relicto mundo, non antea pollicetur, quam exacta omnis dolorum, & tribulationum, quibus se destinarit, fit nox. Atque hæc si ad vineam verba referamus. Nam si ad vbera, vt diximus, ea interpretatione, vt potiundi vberum sit spes, iam antequam illucescat, quę amore doctore sic dicat, montem myrrhę, collem thuris; certè videbitur esse sensus is: Vbera ego hęc, hanc Virginis parentis commiserationem, & beneficentiam, aliaq. effecta caritatis ante lucem potiar. quod est, ante discessum ex hac vita experiar probare. Quę quidem inardescens vberum amore ait, dum ostendit se harum virtutum amore in Virgine maximè captum. Ex quo intelligimus, quid in illa inprimis ipsi placuerit. Et quidem vt prophetauit, deinde euenit res: enim verò euentu verba probante, & cum in Ægyptum fugit, & cum reuertit, & cum triduus affuit, & deni-

4 *Tob.*

5 *Psalm.*

denique cum in cruce perpessus est, commiseratione optimę parentis, beneficentiaque in primis recreatus est. Quod fortasse in figura est, [6] Viro à muliere forti in Prouerbijs plurima bona fuisse. Vnde meritò confidit in ea cor viri, & spolijs non indigebit. Stabat iuxta crucem Maria è cruce pendenti, & quæ in stabulo vbera Filio corporis ministrarat, iuxta crucem hęc ministrat vbera animę, commiserationem, beneficentiam. Quod & beata illa vbera, & hęc quidem beatiora. O dignissimam commiserationem, siue compassionem, Deo patienti solatium! ò beneficentiam in benefactorem ipsum refusam! Hęc & ipse Dominus dum memorat omnia, concludit tandem vno omnia tamquam epilogo.

[6] *Prouerb.*

Tota pulchra es anima mea, & macula non est in te. Ac si, quid multis opus est? verè Virgo tota pulchra, quę sic gratia plena, sic virtutibus redundans, & semper scatens. Tota pulchra, cui nihil luminis deest coronatę stellis, amictæ Sole, & Luna, Sole exornatę. Sed vnde tota illa pulchra, nisi à te artifice, qui vt in vnius intenderemus oculos pulchritudinem, pręstare vnam omnibus voluisti, & solam apparere perfectam? Pręclara pulchritudo, tanto teste pręclarior. Et macula non est in ea: quę sit, aut esse possit, tanto Sole iam inde ab initio prospiciente? an est originale peccatum macula? sanè est, & quidem turpissima. quid igitur incurrisse illam dicemus Virginem sine nota tanti testimonij? sed tu Domina, tu pulchra, ego totus deformis ac turpis. macula non est in te, cum ego quantus quantus sum, totus macula sim. quid dicam? inuideam: absit. Gratulor tibi, & misereor mei, cui adstare in conspectu Dominę suę, cum hac deformitate, his maculis, noua adhuc deformitas est; & veterum macula accedens ad cumulum. Si te totam pulchram tuus facit Sol, & sine macula, quid non me ex parte pulchrum facis, & alicuius maioris maculæ expertem? An te ego artificem impedio? & hęc tibi difficultas superanda est, quę sit maxima operis commendatio posteritati futura. Quorsum autem hæc laus Dominæ? an est ad veniendum vltimum incitamentum? Iam parata ad veniendum; nihil habet, quod optet antiquius. Vide autem quà sit eundum, ne itinerum ratione, quo minus liberè veniat, detineatur. facilis ne via? facillima per Libanum.

Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano. Quod est, mecum per Libanum. Sanè per Libanum Iudaæ montem, quam candidum interpretamur, multis delitijs frequentem locum, Virginitatem intelligimus; Hęc enim virtus & propter difficultatem mons, & propter candorem Libanus, & propter eas, quę ex ipsa sunt hominibus opportunitates, delitijs frequens locus. Et difficilis quidem illa: [1] Vnde Paulus præceptum Domini non habet, consilium autem dat. & [2] Dominus, Qui potest capere capiat. est enim difficile in carne extra carnem viuere; & Angelos in terris exprimere. Iam verò candida virtus, quæ propterea niui, cœlo sæpè collata. Et quidem crediderim, quia à corporum mixtione aliena, candor illi attributus, & propterea quia lux est, nec tantum lux, sed lucis delitię, & flos. Denique quan-

[1] *Paul.*
[2] *Euang.*

tę delitiæ eius, quæ ſemper cogitat quæ Domini ſunt, procul à tribulationibus carnis. Per hunc igitur montem inuitatur Virgo in cœlum factura viam, vt ſignificetur illi in hoc propoſito perſiſtendum; & non quidem ea ratione, quòd eguerit admonitione hac; at potius vt quod futurum erat fieret apertum.

Veni, Coronaberis. Collectura ſcilicet mecum in coronam flores, qua coronata incedas, & vineę tandem te ſiſtas. Flores Virgines ipſe ſunt propter elegantiam, & virorem. Senſus igitur eſſe poterit: Veni per virginitatem Virgines ipſa factura, quæ tibi ſint ornamento, & capiti tuo, vt potè à te factę; quibuſque tu fueris virginitatis magiſtra. idque mecum. Ego enim hac in re præcipuus, vt in ceteris, tu adiutorium mihi ſimile. Ita à generationibus noſtris adimplebitur orbis. Qua in re illud eſt aduertendum, quod ſicut in Libano multi flores cum eſſent, non omnes Sponſi domum ſunt aſportati, niſi quibus ſe Sponſa coronarit; ita & in cœlum non omnes Virgines, ſed tantummodo eæ, quibus Virginis fuit fides & Chriſti Domini, ſunt illatæ. Vnde beneficium ipſarum fuit Virginum, vt illis Virgo caput ſuum ornarit. Atque hoc fortaſſis eſt, quòd Regi Virgines non ipſæ ſe ſiſtunt, & præſtò ſunt, ſed prophetæ à [a] Regina adducuntur, poſt ſe: Et quidem in lętitia, & exſultatione, dum à Regina; ſtat enim ſic certa merces operę, & defatigationi corona. Quare ſi poſcas, Virginum quę nam fatuę, quę nam prudentes, facilè reſpondebimus, eas prudentes, quę poſt Reginam adducuntur contrà eas fatuas, quibus nullum poſt Reginam obſequium. Sane à Regina diſciplina, [a] ornatus muliebris, ſeu melius Virgineus, inceſſus, leges, aliaque. Sed cum Libanus virginitas ſit, flores virtutes, poſſumus per flores Libani virtutes eas intelligere, quæ ſunt cum virginitate, vt ſit ſenſus, Veni per virginitatem, virginitatis fructus deguſtatura. Et ſanè virginitas & ipſa multas virtutes cordi inſerit, inſertaſq. cuſtodit: nam ſi matrimonium multa habet incommoda, & carnis tribulationes; à virginitate multa commoda hominibus ſint, neceſſe habet. Et quidem ſpiritualia commoda, quæ virtutes ſunt, aut virtutum effecta. Et ſanè à decoro, à luce multæ opportunitates; quibus viginitas donatur nominibus.

[a] *Pſalm.*

[a] *Eſther.*

De capite Amana. Idem ſenſus. Amana fidem ſeu veritatem interpretamur. & hanc vt tranſeat excitat, ſiue, tranſituram pollicetur eodem ſenſu, eademque interpretatione augendæ virtutis, non acquirendę.

Vulneraſti cor meum Soror mea Sponſa. Idem ſenſus qui ſupra, cum ad corpus retulimus hæc.

In vno oculorum tuorum. Vno aſpectu contēplationis tuę. Ita Virgo ſe in contemplatione erigebat ad cœleſtia, & altiſſima penetrabat.

Et in vno crine colli tui. In vna cogitationum tuarum, de quibus modò.

Quam pulcræ ſunt mammę tuę. ſcilicet pulcherrimæ ſunt miſericordia, & beneficentiæ tuę. Et ita ſanè, quę potuerint ipſum auctorem, & opificem in admirationem adducere.

Fauus

Fauus distillans labia tua Sponsa. Verba tua, vt suprà, dum ad corpus retulimus.

Mel, & lac sub lingua tua. idem sensus qui & superius.

Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.

Videtur vno conclusisse omnia. Sponsam aspectui, auditui, olfactui pulchram. Per hęc etiam aut translatè, aut per redundantiam quamdam animi, & gustui pulchram. Et ipsa ab odore poëtica, & amans laus.

[1] Sinus, inquit ille, expensa profert cinnama.

Sed quid est sicut odor thuris? vehemens, acer, salubris?

* Et odor vestimentorum tuorum, &c. Vestimenta fortè virtutes sunt aliæ à superioribus, morales, tum acquisitæ, tum infusę. Eæ enim vt vestimenta ornant simul, ac tegunt; & extrinseca sunt & coniuncta; & quidem non alia ratione extrinseca, nisi quòd acquisitę, aut infusæ. Porrò odor, qui afflatur, ędificatio est proximorum. Vnde [1] Paulus ait: Christi bonus odor sumus, scilicet is, qui vt essemus optabat Dominus, qui dicebat: [2] Videant opera vestra bona. Ait igitur Dominus Virgini, vno concludens omnia: Ædificatio virtutum tuarum, sicut odor thuris, nimirum suauis odor, vehemens, acer, vtilis, salubris, iucundus, vnò verbo, regius. Is fuit Virginis vestimentorum odor, hæc virtutum ędificatio; & hunc quidem odorem omnes persenserunt; in primis verò ipse sponsus; vt erat sagacior. Possumus & per vestimenta alios quoscumque habitus intelligere, vel adhuc gratias gratis datas, vt ipsis dicatur Virgo vsa proximorum maxima vtilitate, Christi Domini iucunditate.

[1] *Corn. Gall.*

[1] *Paul.*

[2] *Euang.*

Hortus conclusus soror mea, &c.

Vides nunc alterutro separatim, nunc vtroque coniunctim dictam nomine sororis, & sponsę, ad fastidium fugiendum, alendam iucunditatem? Ingeminatur autem, hortus conclusus, eodem decoro.

* Hortus conclusus Soror mea Sponsa, hortus conclusus. Dum sponsus ad instituta laudum redit, sanè & idem Christus Dominus cum Virgine facit, quam vt amoris exemplar ostendat, amatamque summo amore, nunc Sororem, nunc Sponsam dicit, vt scilicet significet, à se illam & vt sororem, & vt Sponsam amatã, & si qui sint alij maioris amoris tituli. Rediens autem ad laudes, hortum conclusum dicit; Idq. propter virginitatem: nam vt castitas alijs viris amata coniugum, ita huic imprimis virginitas nouo exemplo, admirationeque. Hæc miraculorum via, & eius qua ipse esse potestatis manifestandę. Hortus manu Dei positus eodem architecto, fabro, custode, delitias ex illo capiente; frequens omnibus voluptatibus, cuius vix illa olim à Deo posita paradisus, ex argilla typus. Sed cuinam conclusus? hominibus, Deo; quia conclusus, apertus. Quibus autem conclusus ostijs? proposito, voto, gratia, ipsomet Dei egressu, regressuque, qui perficere venit, non vastare; augere magis, quam quidpiam minuere; qui

propterea

propterea [a] confortauit feras portarum illius, ingrediens, egredienſq. lux, ac Sol; & ſecundum nominis proprietatem ſeruauit. Atque idem eſt.

[a] *Pſalm.*

Fons ſignatus.

Redit ad principium, nimirum ad laudandam ſimul ex toto, adhuc ſimilitudinibus. Et primò quidem horto ſimilem facit, tum fonti ſignato. Sed vide quanto poeſis artifitio, ſimul hic duo ponit, Hortus concluſus, Fons ſignatus. Tum repetens ſingula deſcribit: Emiſſiones tuæ, quæ ad Hortum: Fons hortorum, quæ ad fontem pertinent.

Crediderim vtramque ſimilitudinem ad caſtitatem relatam; ſanè amatores, præſertim ſponſi cum pulcritudine caſtitatem in amatis in primis amant, à qua in primis adhuc laudatas volunt, quòd & ipſas ſciunt huiuſmodi laudibus delectari; propter quod dicebat illa.

Amatores veri cũ pulchritudine caſtitatem maximè amant.

[a] Bonam ego, quam beatam me eſſe nimio dici mauolo.

Et rurſum.

Pudorem gerere magis decet, quam purpuram.

[a] *Plaut. in Pœnul.*

Id quod commodo ipſorum fit, dum nihil ſibi, nè illæ deficiant, timent. Artifitiosè igitur, dum poſt pulchritudinem caſtitas coniugalis ſponſæ laudatur.

Pudorem gerere decentius, quam purpuram.

Fons ſignatus. Signo aliquo obſignatus, aquæ ſignati fontis purę.

* Fons ſignatus. Signatus à Deo ipſo, ſibi Deo auctori ad guſtum, delitiaſque. Ex quo videtur, quam longiſſimè à veritate abſint hęretici Virgini iniurij, & quam peſſime philoſophentur; nam cum quę Deus ſignet, [a] aperire nemo poſſit, vt in Apocalypſi, tam abeſt procul vt poſt partum Virgo virginitatem amiſerit, vt neque amittere potuerit.

[a] *Apoc.*

Emiſſiones tuæ.

Propagines, arbores. Horti diuitias, & ornamenta addit, oſtenditque non quemcumque hortum eſſe ſponſam, ſed qui omnibus commodis, & iucunditatibus conſitus ſit; tribuitque ei, quæ ad fructus; queque ad flores, & odoramenta ſint omnia. Significare vult eam omnibus pulchritudinibus vni ſponſo pulchram.

* Emiſſiones tuæ. Propagines, arbores, omnes ſcilicet habitus quicumque, cuiuſcumque ordinis.

Paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.

Septuaginta, cum fructibus nucum. Hebræi cum fructu delitiarum. quod eſt, cum omni fructu dulci, & delitioſo.

* Paradiſus malorum punicorum. Aſpectu ſcilicet iucundiſſima, fructu ſuauiſſima. Hic quoniam Sponſus tribuit Sponſæ omnia ornamenta, fructuum, florum, herbarumque omni attributione; ita referre licet ad Virginem, vt illi adhuc virtutum & perfectionum eadem attribu-

tributione, omnia decora, atque ornamenta tribuamus. Et sanè per mala punica rectè theologales virtutes intelligimus, siue quòd vt mala punica fructibus præstant, hæ ceteris virtutibus, siue quòd vt illa hæ coronam gestant, pręmium scilicet recipiunt, & triumphant. Vnde modo alteri harum virtutum attributam coronam reperies. Hæ quoniam virebant semper in Virgine, & mirificè efflorescebant, paradisus dicuntur, & pulchritudo, & formositas. Et quoniam solæ non erant, rectè additur,

Cum pomorum fructibus. Scilicet reliquorum omnium, quod est cum alijs omnibus donis, & fructibus Spiritus sancti, quæ charitatem consequuntur: quæ quidem omnia vt fonti Beatissimæ parenti, & optimæ tributa sunt. Atque idem sensus, si LXX. sequamur dicentes. cum fructibus nucum. Siue Hebræos, cum fructu delitiarum; quod est cum omni fructu dulci, & delitioso, vt diximus. Sanè vt fructus nucum, difficilè hęc dona, atque hi fructus obtinentur; siue melius, difficilè inueniuntur, at suauissimè degustantur.

Cypri cum nardo.

De his superius dictum:

* Cypri. Cyprus. Prudentia.

Cum nardo. Nardus, vt diximus, humilitas est, qua Virgo, vt ibidem, insignis.

Nardus, & crocus.

Simul coniungit simul dulcè spirantes. De proprietatibus autem horum, cum mysticè.

* Nardus, & crocus. Si artifitiosè Sponsus nardum repetit, certè non minore artificio Christus Dominus humilitatem Virginis, quæ carissima in primis & iucundissima fuit. Porrò crocus, feruor est, qui rectè cum humilitate coniungitur.

Fistula, & cinnamomum.

Canna, calamus odoratus.

* Fistula, & cinnamomum. Iustitia, & Fortitudo. Propter rectitudinem, & propter vim odoris.

Cum vniuersis lignis Libani.

Ex Hebræo thuris, vel montis Libani odoratis.

* Cum vniuersis lignis Libani. Si thuris cum Hebræis, virtutibus, à quibus odores, idest vt orationes, contemplationes esse possint. Si Libani, quod candidi interpretamur, cum vniuersis virtutibus virginitatem comitantibus, à quibus in proximos odores.

Myrrha, & aloë.

* Hæc, quæ à corruptione præseruant, sanè virtutes hę sunt, quarum est circa corpus exercitium, quæ quidem omnes in Virgine fuerunt,

runt,

runt, vt perfectiones ipsæ sunt, non vt imperfectionem connotant. Neque enim in gratia non conceptæ parenti gratiarum, mortificanda fuit caro, castigandum corpus, & in seruitutem redigendum. Quare non ad gustum, sed ad odorem ipsi hæc myrrha, atque aloë assumpta; nimirum in exemplum, & ædificationem Ecclesiæ.

Cum omnibus primis vnguentis.

Cunctis pretiosissimis plantis, & arboribus, à quibus vnguenta. Hebræi, cum omnibus capitibus aromatum. Longè hæc descriptio melior, quàm illa.

Floret odoratis terra benigna rosis.

Et notandum quòd hęc dum subijcit post illa, Myrrha, & aloë, myrrham, & aloem vtique inter hęc prima vnguenta connumerat.

* Cum omnibus primis vnguentis. Cum omnibus pretiosissimis plantis, & arboribus, à quibus vnguenta. Sensus est non de omnibus virtutibus absolutè, sed de omnibus illis, quæ proximorum sunt ędificationi, & odori. Vnde rectè Hebræi, cum omnibus capitibus aromatum. nam cum aromata virtutes sint, quarum odoribus adstantes afficiantur, certè capita aromatum, capita harum virtutum sunt. Hęc autem quę sint, vniuscuiusque esto iudicium: mihi & mortificatio ipsa corporis est, dum myrrha, & aloè inter ipsa prima vnguenta ponuntur, & præterea Pœnitentia, ceterę que huiusmodi. Et valdè notandum artificium, dum theologales virtutes ceteris pręponuntur, hisque fructus & dona Spiritus sancti adiunguntur. Dum subijciuntur virtutes morales, harumque pręcipuæ quædam, quę inter se rectè connectuntur. Denique dum illæ tandem describuntur vltimo loco, quæ sint post has postremę, virtutes scilicet quibus proximi ædificantur. Fortè & prima vnguenta, sunt gratiæ gratis datæ [a] in ædificationem datæ, & ad salutem aliorum, quæ quoniam vim maximam habent ad conciliandos animos, rectè prima vnguenta dicuntur.

[a] *Paul.*

Fons hortorum.

Redit ad fontem, cum dixisset signatum, dicit nunc redundantem in hortos: Ac si:

[a] Bibit irriguas (scilicet tuas) fertilis hortus aquas.

[a] *Ex Tibull. l. 2*

* Fons hortorum. Quod est redundans in hortos, in sanctos, in speciales homines, in hortos Domino positos. Hic est ille fons, de Paradiso ad irrigandum erumpens. Vel in hortos, in Ecclesias multis sanctis viris tamquam ornamentis frequentes. Vnde rectè mater Ecclesiarum Virgo dicta, cui propterea canit Ecclesia: [1] Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

[1] *Eccl.*

Puteus aquarum viuentium.

Hunc eumdem dicit & puteum; quà scilicet profundus. Aquarum semper scaturientium, & emanantium aliunde à monte optimo. Vnde, Quæ fluunt impetu de Libano. Exaudiebatur forte, vt fieri in nostris vide-

videmus, foris, ſecreto fluentis rumor. Nihil & hic de his, alibi fuſius cùm myſticè. Hic ſatis, ſponsam eſſe ſuo ſponſo hunc fontem, ipſi ſcilicet iucundiſſimam, ceteris caſtam.

* Puteus aquarum viuentium. Gratiarum, [1] Vnde Angelus, Gratia plena. Gratię viuentes aquæ, quia ſalientes in vitam ęternam. Sed vnde hę gratię, ſiue hec plenitudo? ab alia plenitudine.

Quæ fluunt impetu de Libano. De Domino, qui ipſe prior [1] plenus gratię, & veritatis. [2] de cuius plenitudine omnes accipimus. Vberius autem Maria, quia ipſi fonti vicinior. Sed quid eſt, quòd hę aquę impetu de Libano fluunt? vt copia ſignificetur in impetu, propterea quod, cum impetus ſit, [3] lętificat tamen ciuitatem Dei. Tanta enim gratiarum copia, in vnam, vt ab vna ſit deinde in omnes. Sed puteus altus eſt. Vnde igitur in nos aquę? quia altus, at plenus. & nos non de plenitudinis altitudine accipimus, ſed de redundantia, & plenitudine.

1 *Euang.*

1 *Io. 1.*

2 *Io. Epiſt.*

3 *Pſalm.*

Surge Aquilo, & veni Auſter: perfla hortum meum: & fluent aromata illius.

Cum comparaſſet tantarum delitiarum tanto horto, dixiſſetque felicem, & caſtam; reliquum erat rei optimę amans felicia precaretur, ſibique vni vſum illius optaret, cui ſe durans ſeruabat. Hęc precatur, Hunc optat. Sapienter autem eadem, qua cœpit tranſlatione, eiuſdemque quę eſſent propria, Surge, inquit, Aquilo ab ipſa. Quicquid ſiniſtri, ac pernitioſi eſſe in ipſam poteſt, abi, faceſſe hinc; Et veni Auſter, & perfla. Quicquid boni ipſi, & commodi, atque erga me amoris, te ipſum ſponte, boni obſeruans, infunde. Et fluent aromata illius. Et illi belliſſimè erit, & ſentiam ego commoda, iucunditateſque. LXX. & fluent aromata mea. Sane quod ex allegoria eſt, & metaphora, aptè omnia; Nam pernitioſus hortis, hortorumq; fœtibus Aquilo, à quo omne malum, vnde ad ignominiam obiectum Ponto, [1] Quicquid perflat Aquilo eſt. Commodus autem Auſter, vt dicemus. Hactenus ſponſus canendo, qui & [2] multa, & opportuna. Cui propterea dicere illud poſſumus, quod Parmenides Socrati: [3] O Socrates, ò ſponſe, quàm dignus es admiratione propter impetum hunc dicendi, ac canendi!

* Surge Aquilo, &c. Sponſus laudatę Sponſę poſt laudes, felicia, proſperaque precatur; & Chriſtus ipſe Dominus parenti adhuc felicia, fortunataque. Et quę nam hæc? ordine immunitatem à malo, boni ſucceſſum. Surge, inquit, Aquilo. quod primum eſt. Abi hinc, faceſſe Aquilo. Diximus cum verba explicaremus, Aquilonis nomine omne malum intelligi, dum hortis omne malum eſt Aquilo, qui ſiccat, perditque. Sane & hic omne malum eſt, quod ſpiritali animæ pulchritudini nocere poteſt. Contemplatus igitur Sponſus Dominus Sponſę Virginis eximiam, digniſſimamque pulchritudinis formam, eo, quo eſt amoris affectu, & admiratione dignitatis, ne illi ſit quic-

Aquilo pernitioſus.

Auſter commodus hortis.

1 *Tertull. lib. 1. adu. marcion. n. 1. de Ponto.* Quicquid perflatt Aquilo eſt.

2 *Ex Adagio ſumptum.* Non eſt eiuſdē multa, & opportuna dicere.

3 *Plat. in Parmenid.*

quam mali, imperat, aut optat. Et quidem non ignarus in Virginem cadere malum non potuisse vllum, ipso sanctificatore iam inde ab initio, & omnium gratiarum largitore; At vt ex hoc & ipse homo intelligatur, in quem cadat timor ex consideratione obiecti, perfectus ille quidem ac dignus; & Virgo pulchritudine digna, cui timeatur, quòd malum quodcumque, quantumuis leue, ac paruum, maximum sit futurum malum quo tanta rei formositas aliqua ex parte deformetur. Hoc sensu & sancti felicitatem æternam contemplati aliquando, eaque capti, illi mala ne acciderent, deprecati sunt.

Et veni Auster. Auster bonus hortis, omne bonum.

Perfla hortum meum. Nunquid igitur non flauerat in hortum Auster? An non Maria gratia plena? An non in eam Spiritus sanctus non superuenerat, & altissimi obumbrauerat virtus? At ipsa dixerat: Quia fecit mihi magna? Eodem sensu optat prospera, vt & se hominem optantem ostendat, & Virginem dignam, cui omnes felicia omnia precaremur. Hoc sensu & nos siue beatitudini, siue ipsimet Virgini interdum felicia precamur. Sed vt Aquilo Diabolus, à quo omne malum suasore, instigatore, ita & Auster Spiritus sanctus esse potest, à quo omne bonum inspiratore, largitore. Facesse Diabole, vt facis, & si coactus; Accede Spiritus sancte, vt accedis, & facis libenter.

Et fluent aromata illius. Vt fluunt. Sentietur odor virtutum eius in cunctis Ecclesijs, & à decore tota regio replebitur, vt dicamus singuli: Ecce odor matris meę, sicut odor agri pleni. Trahe tu me post te, Virgo dulcissima, & curremus in odorem aromatum tuorum, non quemcumque, sed vitalem, salubrem odorem. nam qui te inuenit, inuenit vitam, & haurit salutem à Domino. Quòd si vt LXX. aromata mea, certè sanè suo iure sua dicit Dominus, cuius ipse auctor, & in cuius oblectationem pręcipuè Virgo à Deo procreata vt erigeret se, huius consideratione, in diuinitatis amorem magis, magisque inardesceret.

CA-

CAPVT QVINTVM.

Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.

INCERTVM cuius verba; At satis decorè inserta post horti memoriam. Debebatur id sponso, vt de quo tanta predicauerat, in hortum inuitaretur. Certè si chori sunt, aptè: nec quicquam facit, quòd audias (dilectus meus; & in hortum suum;) consuetum enim poëtis ex persona alicuius actoris facere loquentem chorum. Adolescentes igitur sodali sponso amanti, felicia precanti sponsæ, sibique in amore successum gratificantes, optant eadem, quæ sibi ipse, eodem cantu, eademq. allegoria; induuntq. sponsæ personam, vt iucundius. Si vero sponsi, aptius, vt optet dicendo, hæc sibi dicenti responderi, mercedemq. hanc esse labori, amoriq. pretium. Si sponsæ ab intus respondenti, aptissimè, & scenæ iucunditati, quæ cum intus quis loquitur, maxima est, & contextui, cui vni insudamus. Hauserat cantum [1] gratas auribus illecebras, [2] deuorauerat q. dulcem orationem sponsa: iamq. letitiam, ac gaudium ne erumperet, continuerat diu secum; cum vbi eò deuenisse sensit amantem per amorem, vt sibi ipsam vehementer optaret, ignem amplius non sustinuit, sed peramanter respondit, se, suaque, eadem horti metaphora, offerens. Quare dicenti hortum, & optanti ad flatum Austri aromatum defluxus, cautè respondet: Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. Ceterum callidè exploratura amorem cum ambiguitate locuta est, & iecit iaculum, vt nescias vtrum ad amores, vt veniat, an vt eat in hortum sui ipsius, sit ille inuitatus. Eadem calliditate se non probè intellexisse simulans, vt cum oporteret dicere posset: [3]

Lingua locuta est, mens nequaquam.

Sed rursum vt chori sint hæc videntur melius expendenti, nescio quid maioris decoris, & propositi habere.

* Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum. Vt in fabula incertum, ita & in historia, cui sint hæc tribuenda. Sed cum vtrobique incertum, vtrobique & decorum. Certè si debebatur illud sponso, vt de quo tam singularia prędicauerat, in hortum inuitaretur; certè & id Domino seruatori debebatur adhuc, vt ad fruendum Virginis conscientia, in cuius laudem commendationibus impleuerat omnia, inuitaretur. Quare si chorus sibi loquitur, certè hic loquuntur Angeli, qui & ipsi personam Dominæ induunt, & ad id, quod optat, inuitant. Veniat dilectus meus in hortum suum, ad me scilicet ipsius æstimatione hortum consitum omnibus delitijs; Et comedat fructus pomorum suorum; & delectetur in me. Rursum si sponsi illa esse possunt optantis sibi hoc respon-

Scœna Secũda: Sponsus, Spõsa.

Cantus grata illecebra auribus.

[1] *Eurip. in Medea sic cantum vocat.*

[2] *Plaut. in Pœn.* Orationem deuorant aures dulcem.

[3] *Plat. verba in Con.* vt cum oporteret, dicere posset. Lingua locuta est, mens nequaquam.

deri, & hanc esse mercedem labori, amori pretium. Certè & hæc eadem eiusdem Seruatoris esse possunt, eadem affectus lege. Quod si sponsa ibi loquitur, aut subloquitur intus isthæc, flammam non patiens; certè hæc Virginis sunt secum intus in anima loquentis, & per ardorem erumpentis. Qua in re aduertendum est, quod sicut ambiguè loquitur sponsa de horto, ita & ad modum intelligentiæ nostræ ambiguè ipsa Virgo, dum in hortum inuitat; vt sit incertum nobis, an ad se inuitarit, an ad Empyreum remiserit, dicens: Veniat dilectus meus in hortum suum. Ex quo multa intelliguntur. Et primum quidem, conscientiam Sanctorum esse hortum Christi Domini, quòd in ipsa spatietur, & oblectet se. Hoc enim est, quod ait: Delitiæ meæ cum filijs hominum. Rursum & Empyreum, idest conscientiam beatorum adhuc esse hortum, eadem ratione. Ad hæc Virginem vnam cariorem Christo Domino fuisse, & voluptuosiorem hortum, quàm Empyreum, quòd omnibus vna præstiterit, & antecelluerit longè virtutibus. Denique modestissimè egisse Virginem, quæ ad Empyreum miserit Sponsum, voluptatis ergo, & delitiarum. Sed dices, quid est hic in hortum aduentus Seruatori, & quid hæc comestio fructuum? Sanè Deo honor, & gloria; homini ex consideratione gaudium.

Veni in hortum meum, &c.

Callidior sponsus, & amantior simul, animaduertit se occasionem ambiguitati obtulisse, cum diceret: In hortum meum perfla. Quare ita nunc ex parte respondet, vt tacitè, de quo horto sit locutus, ad quem inuitari cupiat, declaret. Ita.

Emisso iaculo fugam moliri quid?
[1] *Plat. in Con. vt diximus.*

[1] Emisso iaculo fugam molientem apprehendit.

Tanquam igitur ad suum ipsius hortum sentiat se à sponsa inuitatum, respondet se iam ad illum aliàs fuisse, fecisseq. in eo ea omnia, quæ cum operarijs rusticis, amicisq. simul fieri soleant, quin & facere, & facturum sæpè (id sæpè sensus præterito. Cœlo tonantem credidimus, & credimus, & credemus) Veni, inquit, iam in hortum meum. LXX. introiui, nihil est, quod me eò mittas. Amantium ioci. Quin &

Messui ibi myrrham meam.

Septuaginta, vindemiaui. ex Hebræo, collegi, decerpsi. Ad hæc. Cum aromatibus meis. Et.

Veni in hortum meum. His ita sponsus noster respondet, vt & ipse ostendat quem suum hortum intelligat eodem lepore, eademque gratia: Veni, inquit, in hortum meum. Ac si: Tu mihi hortus Virgo, Paradisus, & delitiæ. Nè me aliò remittas, quò aliàs sæpè veni; nec tantum inueni gaudij. Qua in re valdè aduertenda est Virginis excellentia tanta commendata iudicio, quæ ceteris antefertur; & præ cuius aspectu, ac dulcedine, despicatui cetera quodam pacto ducuntur. Rursum dum hortum suum dicit sponsus Dominus propter

eam.

eamdem ipsam excellentiam. [1] Verè tu supergressa es vniuersas Domina: Verè diligit Dominus [2] portas Syon, super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa, quid à me tibi non dicuntur? An non est bona [3] laus in ore peccatoris? Sed tu ita bona, vt è peccatoribus filios Dei, & quidem carissimos possis efficere. Vna igitur est dilecta tua sponsa, vna columba tua, vnus hortus, vna Paradisus? Sed tu venisti in hortum tuum, quod signum aduentus tui? vt nuntiemus ijs, qui à nobis id postulant. Cedo autem ante hæc: Venisti nè certè? Veni, immò & introiui; at tu foris es in prospectu quidem matris tuæ in stabulo, & in contemplatione altissimi operis, ac foris? Foris ego quidem, & introiui; oculatissimus verò tu, & perspicacissimus, qui de foris interiora omnia lustras. An igitur tu Deus, qui [4] renes, & corda scrutaris? Sed quando introisti, enarra quid vidisti? Quod cœlum? quæ salubritas loci? qui situs? quæ delitiæ? quæ ligna? qui fontes è medio? Quod lignum vitæ, aliaque? an & tu Verbum ipsum isthæc silentio magis, quam Verbo digna facis, quæ efferantur? Maxima horti laus, & nulli alij secunda. Sed iam quod signum aduentus tui? En,

[1] Prou. [2] Psalm. [3] Psalm. [4] Psal.

* Messui myrrham meam. En myrrham.

Comedi fauum cum melle meo.

Septuaginta, Manducaui panem meum, cum melle meo.

* Comedi fauum cum melle meo. En vinum, en lac.

Bibi vinum meum cum lacte meo.

Sic vinum, & lac coniuncta reperio. [1]

Et primum annoso spargant coniuncta Lyæo.
Mox etiam niueo fundere lacte parent.

Et rursum. [2]

Et niuei lactis pocula mixsta mero.

Vetustius illud apud [3] Euripidem.

Dimitte ibi mel cum lacte mixtum, & vini spumam.

Vinum, & lac sæpè coniũcta alijs. [1] Tibull. l. 3. eleg. 2. [2] Eleg. v. [3] In Orest.

Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi.

Septuaginta, Fratres: alij, fratueles, sodales. Manca ab artificio locutio. Sensus est. Neque solus in hortum meum venio, sed adhuc cum alijs conuiuantibus, quos vt proposito dulces faueant, alloquens hortor, comedite amici. Reperies idem apud poëtam alium, vt transcripsisse videatur è nostris.

[1] Vos modo proposito (scilicet bibendi, & [2] cyathissandi) dulces faueatis amici.
Neuè neget quisquam me Duce se Comitem.

Atque his insinuat iam sponsus se non de horto suo, sed de alio locutum, quem ipsa probè intellexerit. Rursum, quod ad concilian-

[1] Tibull. 3. eleg. vi. [2] Apud Plaut. cyathissare.

dum amorem singulariter facit, se tot delitijs in horto suo, quotidie affluentem, nihil propterea animo saturum, alijs, quas illis facilè præferat, siue aliarum studio; 3 citra vinum, quod aiunt, temulentus, detineri. Sed cum hic commodior sit sensus, non videtur alius incommodus. Inuitatus sponsus in hortum suum, vt iret illis (Veniat dilectus meus &c.) à quocumque; respondet se iam in hortum suum venisse, non habere, quò iret. Ianuam castissimæ, aream illam, limen, hæc sibi hortum. Ex ingenio omnia amantium; quin in huius rei signa, si expetat, habere secum myrrham, vinum, lac, amicos, quos secum tanquam ad hortum duxerit; Quòd si velit, conuiuas. Asportasse secum crediderim hæc omnia, myrrham, vinum, lac inter cetera, vt cum sodalibus conuiuium agitaret. Et myrrham quidem, vt ea se ipsi coronarent. Iam verò aromata in idem, vel adhuc ad odores. Cum igitur hæc ipsa diceret, se iam in hortum venisse suum, intelligeretq. hortum, illam in qua esset, aream domum sponsæ, statim myrrham vndequaque aspersit, affixitq. posti, statimq. vinum, ac lac, quæ præcipua nominat, apposuit sodalibus, cœpitque cum illis vino insuper, & lacte, 4 sermoneq. suaui conuiuium agitare. 5 Psaltitantes, cantillantes, ducentes ad pastoralem sonum, pastoralem choream, quibus ipse prior intonuerit, mox alij repeterent illud (Comedite amici) aliaque. Quod si ita factum est; cumque sit, conuiuium in scœna pastorali maximè decens, præsertim pastorale, ac pastoraliter, nimirum ob iter, & inter canendum, celebratum; maximo scœnæ decore, ac voluptate; propè est vt exclamem, verè vnam in omnium legem esse positam actionem, cui neque & hoc desit ornamenti, omniaq, in vnius ornamentum, decora coniurasse. Reperias apud 6 comicum dicenti,

Tu quidem vigilas,

Ita respondentem, vt vigilias sibi somnum dicat:

Hic somnus est mihi,

Vt mirari non debeas amantem sibi aream illam hortum dixisse. Nam quid de amantissimo Domino dicam, qui cum de cibo moneretur, prudentissimè respondens prudentia, 7 cibum sibi eum esse duxit, quo maximè delectaretur, patris facere voluntatem. Agitata autem in scœna conuiuia apud Italos poëtas maximè reperias, cum psaltu, sono, cantibus. 8 Omnium præterea horarum amicos, vt hi sunt, cum quibus conuiuatur sponsus, maximè expetit Dominus, vt dicemus. Vnde maxime è sensu spiritali est.

* Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi. En celebro conuiuium. His ostendit & ipse, se iucunde, festiue venisse. Quare horum explicatio hæc erit commoda: Messui myrrham meam, in coronam mei capitis, in coronam postium sponsæ, & in odores; idest asportaui mecum incorruptionem (id enim sæpe dictum myrrha significari,) & quidem mihi, sponsæ, amicis, ac sodalibus. En myrrham, en incorruptionem hanc ipsam, quam dico, cœlestem vtique virtutem, ac sociam, hominibus quidem nondum visam, immò

3 *Adag. ex Theophrasto, vt Plut. in sympos.* Citra vinũ temulentos Adagium quid?

4 *Plaut in Asin.* Hoc agitemus cõuiuium vino, & sermone suaui.

5 *Silenus apud Eurip. in Cyclo. comedit psaltãs.*

6 *Plaut.*

7 *In Euang.* Cibus meus, &c.

8 *Adag. apud Suet.*

mò & inuisam; tibi & Angelis sodalibus aspectabilem, & in delitijs. Et vide. (Proh dulcedinem infinitam) quam quadrent hæc veritati. Cum ad Virginem venit Deus homo, hanc sibi sociam asportauit, aut duxit virtutem, incorruptionem. Propter quod rectè Angelus Virgini argumentatus est, non futurum vlla ratione, vt Virginitatem amitteret conceptu eius, qui Sanctus, idest incorruptus esset, & immortalis. Hac caput suum coronauit adueniens ante pugnam triumphator in ortu ipso, nihil hac ex parte pugnaturus cum carne, vt nos communiter homines, quibus propterea post mortem est laurea. Sed & adhuc postes sponsæ coronauit, adhuc hac myrrha, nimirum corpus ipsius; vt meritò dicatur, [1] confortasse seras portarum illius, & Virginem in Conceptione, & in partu, & post partum seruans, itaq. seruans, vt iam inde ab exordio illo meruerit coronari. Denique & sodales ipsos, idest Angelos. Quod non est vtique ita intelligendum, quasi tunc Angeli in ortu Seruatoris incorruptionem obtinuerint, sed quòd multò antea, in præuisione tamen illius Dei hominis meritorum. Vnde meritò tunc coronati dici potuerunt. Propter quod & meritò Angeli [2] eius dicuntur: Adorent eum omnes Angeli eius, introductum scilicet à Patre in orbem terrarum. Atque hinc afflatus odor incorruptionis ex sponso, ex sponsa, ex sodalibus. Et ex sponso quidem tamquam parente, ad id dato, primo auctore. Ex sponsa verò tamquam ex adiutorio simili sibi. Ex sodalibus tamquam ex ministris & adiutoribus. Sponsi myrrha erat, postes sponsæ receperant, sodales participarent. Et sponsi quidem in horto, in Empyreo, siue in illa mentis, & intelligentiæ diuinæ fœcunditate orta: quo principia nobilitates Virginum apparent, & Diuini exortus: Nam Dei, & Mariæ filij Virgines, Angelorum fratres, ac socij. Hæc de myrrha. Sequitur, Cum aromatibus meis; vt non est vnquam sola integritas, sed multis adhuc coniuncta virtutibus, ideo addit Myrrhę aromata. Quod ipsum veritati congruit; nam non solum cum virtute venit, ad Virginitatem in mundum inferendam Dominus, verum adhuc & cum omnibus alijs virtutibus: vt & hi Angeli ad reuerentiam conuolauerint numinis, atque hę stellę Solem suum conspirarint. Quibus quidem omnibus, & seipse coronauit, quòd ab initio perfectissimas obtinuerit, & sponsam adhuc Dominam, quam simul & suam, & virtutum parentem effecit: & adhuc Angelos ipsos, qui eadem meritorum prçuisione omnia obtinuerunt, quibus nunc lucent ęternitati, & vero Soli pulchros se sistunt. Quid prçterea?

Comedi, inquit, fauum cum melle meo. An est igitur hoc, quod [1] Isaia prophetauerat, Butyrum, & mel comedet? certissima aduentus coniunctura, aut signum. Bibi vinum meum, cum lacte meo. Sanè per hæc beatitudo significatur, vt quibus nihil dulcius, nihil in terra melius sit. propter quod & ad beatitudinem significandam ab alijs assumpta; vnde [2] terra fluens lacte, & melle, beatitudo. Et rursum dicitur conuiuium illud, [3] conuiuium pinguium, medullatorum, & vindemię defœcatæ. Qua in re aduertendum est, non abs

[1] Psalm. [2] Psalm.

[1] Is. [2] Exod. [3] Is.

re tot congesta, & conglobata; nam Deum ipsum inuisibilem multa ad intelligendum visibilia ducunt; Ita & cum beatitudine fit, quæ res perfectissima est, & cuius obiectum ipsemet Deus. Quare mel dulcedinem illius ad significandum assumptum, vinum firmitatem, & soliditatem, lac facilitatem. Sensus igitur est: Veni, & Beatus veni, ita homo sum, vt beatus sim. Quod & ipsum veritati congruit, Beatus enim Christus Dominus, ab ipso instanti conceptus sui, secundum quod dictum: 4 Beatus, quem elegisti, & assumpsisti. Dices, quorsum hæc? vt illud significaret in hortum suum se iam venisse; suumq. Empyreum ipsam esse Virginem parentem. Nam quid in Empyreo fit, inquit? Deus videtur facie ad faciem, & beatitatem degustant ij, qui eò conscendunt; iam & hæ mihi in hoc horto voluptates captæ. Comedi enim, &c. Fortè & propter myrrham præmisit, vt significaret se corpore quidem passibili superiore parte animæ beatum (est enim myrrha aliquibus mortificatio) vt sit sensus, coronaui me myrrha, mortificatione, passibilitate; at ita, vt beatus tamen sim, & perfectissimè beatus. Vt hoc sit optimum signum aduentus. Ita enim venit, atque ita venturum prædixerunt Prophetæ, itaque vt veniret maximè decuit, quando ita venisse videmus. Sed illud melius. Fortè adhuc non de beatitudine æterna, & absolutissima loquitur; sed de quacumque quam corpore, animoque haurire ex conspectu tanti operis, scilicet parentis dignissimæ, & contéplatione tantarum virtutum posset; vt sit sensus: Ego te hortum meum habeo; nam quid in horto fit? voluptas capitur; iam ego ex tui aspectu tantam capio, quantam non ex ceterarum simul rerum complexu.

4 Psalm.

Tu meum mel, meum lac, meum vinum, suauia mea omnia. Id, quod & ipsum adhuc consonat veritati; nam ex vnius Virginis vno aspectu, tum puer, tum grandæuus filius Dei, frater, ac caro nostra, Christus Iesus Dominus noster, tantam homo capiebat animi voluptatem, quantam nec Adam vnquam ex conspectu suæ Euæ, nec quilibet alius ex conspectu, contemplatione rerum conditarum omnium, neque ipsemet adhuc ceterarum consideratione cùm terrestrium, tum cœlestium creaturarum. Id, quod & sæpius, & alibi fusius diximus. Hæc dum dicit, & ipse conuiuium celebrat, psaltitansque, ac cantillans sodales in idipsum inuitat; nimirum cœlestes spiritus, vt Mariam contemplentur, vel vt beatitudini indulgeant secum, vt faciunt.

Ecquid ait? Comedite amici, & bibite, & inebriamini Carissimi, quibus eadem beatitudine fruentes amicos dicit, & sui simillimos virtute, carissimos. Hortatur autem vt ad ebrietatem bibant, quod est ad eximiam, insignemq. voluptatem. Id, quod frequens in sacris: 5 Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, vt copiam significet; propter quod addit, Et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Consonant & hæc veris; nam Angeli die ortus Domini incredibili lætitiæ voluptate repleti sunt, & Mariæ conspectu. Vnde 6 surrexerunt filij ad laudandam eam, & spe nostræ salutis, & Seruatoris ipsius beneficentiæ consideratione, & salute ipsa sua, cuius auctorem, atque Opificem

5 Psalm.

Prou.

cem

cem illum ipsum puerum infantem intelligebant. Vnde die illo accepto epulo exsultarunt. Sed quid si verborum sensus est de horto ipso, idest Empyreo, Ac si: Iui ego in hortum hunc meum, ad quem tu remittis me opinione, aut melius amica simulatione opinionis maioris lætitiæ: Iui, veni, vidi, vici? Idem erit & spiritualibus sensus, atque eadem interpretatio, vt significet se beatum, incorruptionis amicum, Angelorum conuiuam, ac socium, immò & conuiuij Imperatorem. Vt autem hoc de Angelis non omittamus. Vnde illis canticum illud in ore, Hodie gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, nisi à conuiuio, & ebrietate dulcedinis?

Ego dormio, & cor meum vigilat.

Sanè si consideretur, & sponsi pulsatio ad fores, & vox sponsæ, intus manifestò loquentis, videbitur hæc noua scœna. Sponsus vbi vigilantem ex responso sensit, siue iocans, siue nutriens adhuc amorem, aut acuens absoluto cantico, & si velis peracto conuiuio, fores, vt [1] alij fecere, percussit. Sensit strepitum, & ictum sponsa, & toto [2] Nihil extra telorum iactum manens, immò icta animo magis.

Ego dormio, inquit, & cor meum tamen euigilat.

Excusat acutum in somnis auditum, eo quòd non vigilem dormiret somnum præ amore, & sollicitudine exspectationis. [3]

Quis igitur tundit ostium (inquam)

Turbatq. somniantem,

*Ego dormio, & cor meum vigilat. Sponsus ad pulsandas fores accedens, intusq. sponsa clata voce respondens, dum nouam videntur facere scœnam, sanè admonent, hæc non iam ad natiuitatis tempora, vt hactenus, sed fortasse ad alia commodius referenda. Nec fabulæ indecoro, nam cum fabula sit ipsa vna, atque decentis actionis, & continuæ, non postulat, vt quos exprimit mores sponsorum, ij locis, & temporibus contigui inter se sint cohæreantque. Quod cum apertum per seipsum sit, nec exemplis egeat, petique ex omnibus fermè fabulis possit, præsertim ijs, quę sint Epithalamia quædam; nihil est, quòd probando laboremus. Crediderim igitur hęc ad extrema tempora pueritiæ Saluatoris referenda; nimirum ea, cum triduo amissus, quæsitus à parentibus, & inuentus est. Suadet quòd cum hic præcipuę quędam Virginis actiones tradantur, sanè præcipua hæc est vna pueri amissi, & inuenti. Rursum quòd cum hoc Theatrum sit amorum, quos exercuerint ad imitationem simul, & admirationem, hac in re eximio quodam amore esse se erga filium Mater ostendit. Quo obijcientibus responderi potest, quid sit, quod & tempora Circumcisionis, & fugę in Ægyptum, aliaque multa prætereantur? dignissima illa quidem describi, atque tradi hoc Theatro; at hæc precipua, qua horum diuinorum amatorum amor mutuus significatur.

Denique neque in Circumcisione, neque in fuga in Ægyptum, neque

[1] *Apud Poëtas alios l. gas factum.*

[2] *Adagiū apud Q. Curt l. 3. aliosque.* Sed extra teli iactum vtraque acies erat.

[3] Quis igitur tundit, &c *verba Anacreon. de Cupid.*

neque in alijs actionibus tantum nobis exempli relictum est, cum aufugerit à nobis Dominus, quo pacto illum quærere debeamus, quantum est in hac actione relictum, ac traditum. Id autem maximè intererat nostra, vt sciremus. Hanc igitur prosequentes, ita exprimemus. Et quid si multa adhuc illius ætatis, à natiuitate ad amissionem hanc per triduum complectemur? Sponsus itaque, qui vigilantem in somnis sponsam sentit ex responso inter labia mussitantem, Christus Dominus est, qui optimè intelligit Virginis, vel in contemplationis ipsa altitudine, animum ad opera, ad propassiones paratum, ac si dicentem excipiat: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Idemque qui absoluto cantico, & peracto conuiuio fores percutit cum strepitu, sybilatque, & sponsam excitat è somno, compellitque surgere, idem adhuc Dominus, & Seruator noster est, qui post gaudia natiuitatis suę, & communicationem bonorum suorum immortalium quamcumque, sensus gemendo, lacrymando percutit matris, inuitatque ad actiuam vitam, præsertim ad officia erga se, & ad aduersa toleranda sui caussa. Quòd si ille iocans, acuens amores facit, certè ijsdem hic & officijs, & finibus facit; nimirum ad merita augenda, ad experiendam erga se beneuolentiam, & constantem, ac fortem præmijs afficiendam. Neque enim in aduersis nostris delectatur, depascitque tribulationibus suorum animos, qui cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis, & vesperam ad mane ordinat. De more illo suo, & ex instituto; nam primum quidem consolationes animę affert, tum tribulationes subijcit, quas tandem, vt compositores fabularum faciunt, in consolationem iterum inexspectatò, ideoq. magna cum lętitię voluptate facit erumpere. Propter quod ille post lucem tenebras, post tenebras rursum lucem exspectat, diuinorum morum obseruans. Nam quid dicam, quòd cum tribulationes immittit per iocum, facit vt amorem acuat sponsus sanguinum in tribulatione nostra, nihil aliud, nisi bonum nostrum in similitudine sui, ac gloriam quærens. Neque enim ille alia ratione tot, tantaque perpeti voluit operatus salutem nostram, quàm aliàs potuisset verbo operari, nisi vt nos beneficio nostro cum ipso pateremur. An igitur patiente Domino, & Domina non pateretur? & dante se illo in viam perpessionum, non & ipsa in adiutorium simile procreata, ac data se daret? Per aduersa salus illi nostrum percurrenda, & per aduersa adhuc à Virgine ille in salutis nostræ procuratione adiuuandus. Quò si oportuit Christum pati auctorem nostrę salutis, oportuit & ipsam adhuc Virginem, vt & ipsa pro reuerentia sua suo tempore exaudiretur. Ceterum pulsanti fores è toro sponsa respondet, quia è contemplatione Virgo ad actiuam molestiam, molestiasque, ac labores se offert. Et quid ait sponsa è toro? Ego dormio, & cor meum vigilat. Excusat scilicet acutum in somnis auditum, eo, quòd non vigilem dicat se dormire somnum prę amore, & exspectatione dilecti. Quid Maria eadem? excusat & ipsa acutum sensum, siue intelligentiam, dum scilicet intelligit leuissima significatione

[margin: Euang.]

se

se à Filio vocari ad dolores, & defatigationes, ex eo quòd non ita contemplationi sit defixa, vt his non sit parata. Quare ait, Ego quidem dormio altissima contemplatione sopita, & cor meum tamen euigilat, paratum enim est ad omnia. quare omnem excipit significationem ad quæcunque. & subdit.

Vox dilecti mei pulsantis.

Mihi scilicet videtur dilectus, qui loquatur, & pulset. Quasi alia intus, quæ de horto locuta fuerat respondisset; aut ipsamet somnians, nunc autem euigilans, summo scœnæ decoro, noua, recensque respondet. Sponsus, qui percusserat, idem; & cur, significat statim.

* Vox dilecti mei pulsantis. Tantummodo pulsantem acceperat Sonsa, & accepisse se adhuc ait loquentem, quia nimirum habent id iusti, vt quodcumque signum ad quodcunque opus, diuinam putent voluntatem; & dicant: Ipsa est Virgo, ipse est dilectus, qui in natiuitate pulsat frigore, in circuncisione doloribus, in fuga laboribus, in omni pueritia multis incommodis, & perpessionibus. Ipse est, qui pulsat; & quidem non vt te ex somno excitet, scit enim excitatam, idest paratam ad omnia, sed vt ad compatiendum vocet: quod est, vt faciat è lecto exsurgere ad merita, ad exempla posteritati, ad similitudinem, ad amorem ex similitudine. Ecquid ait Sponsus?

Aperi, *inquit*, mihi soror mea.

Sorores video amantes alios sibi aliquando suas dixisse, se fratres.

Amica mea, columba mea, immaculata mea.

Erat [1] delitias facturus ab amore (ex ingenio amantium, eius maximè, qui hic depingebatur, sponsi, de quo fusè suo loco, ad quem referebantur omnia, cuique [2] seruiebat scœna; qui cum anima, quę sponsa est, sic in hoc mundo agit, quamdiu vita absoluta, in vado esse velit salutis.) Erat, inquam, delusurus, & siuę ad doctrinam, nè scilicet aliàs sponsi in exspectatione, nimis delicata cubitum discedat; siue ad iucunditatem, acuens, vt dixi, amores, surgentem frustraturus. Quare nè [3] videatur ipse prior, deprehendaturque, nimirum nę ipse deludatur, cumulat hęc omnia, vt se maximè amorem, & morarum impatientem ostendens, faciat quem simulat, ingressus maximè ardentem.

Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. [4] Mollissima verba, & machinę, vt ille ait, tormentaque. Adduntque arietando quę commiserationem vltrò à natura miserenti, augeant.

* Aperi mihi soror mea, &c. Crediderim hic petere, vt sibi aperiatur, esse petere, vt sibi Domina compatiatur patienti. Vnde nos aperire sinum commiserationis vulgò, pro compati; nam cum solatium sit foris degentibus, fores aperire, & introducere, solatium autem sit miseris maximum patientibus habere sibi compatientes; rectè pro compati, aperire fores est, & domum suam introducere. quasi

enim

[1] *Ex Plaut. in Menech.* Delitias facis, ludis me simulans.

[2] *Ex Tull. seruire scœna.*

[3] *Ex illo Virg.* Lupi Mœrin videre priores. &c.

[4] *Plaut. in Pœn.*

enim sub eodem tecto sunt degentes, qui in eadem sunt angustia patientes. Vel quoniam in aperiendo fores alicui, obsequium aliquod est, & famulatus, siue commodum, & opportunitas; melius aperire hic fores sponsæ, est exsurgere ad illi seruiendum, & ministrandum, vt vocet Dominus Dominam ad actiuam vitam, nec quamcumque, sed quę in sui sit offitijs, & famulatu; vt sit sensus: Exsurge ad obsequium meum, munus tuum. iam enim ad id deputata illa à Deo muneris. Et exsurge quidem è contemplatione hac, qua perfrueris, siue in qua, tanquam in lecto ociaris. Id, quod non propriè vsurpat sponsus, vt significet Virgini in actione contemplationem relinquendam, siue difficultatem illi futuram vt ad actionem descenderet; minime quidem, absit hoc & à tanto laudatore, & à tanta dignitate sponsę. cur igitur? vt illi de voluntate sua significet, quæ in eo erat, vt post contemplationem illam altissimam, & Diuinitatis visionem multa operaretur, multa adhuc pateretur, itaque extaret nobis exemplum obedientiæ Virginis, & Diuinæ voluntatis significatio, vt & ipsi inclinaremus aurem, & è lectulo contemplationis iussi ad aperiendum, idest ad actionem exsurgeremus pro necessitate, & voluntate Diuina. Ceterum instanter poscit Sponsus, vt sibi aperiatur; vtiturque mollissimis verbis; vt nimirum per hæc intelligamus quàm cara sit Christo Domino nostra compassio patienti, & quàm iucundi labores, ipsius caussa suscepti.

Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

1 Pulcher sanè, atque diuinus, mihi crede, impetus iste tuus, qui ad rationes se fert. Mihi scilicet

2 Pigra nocent hybernæ frigora noctis.

Et mihi cum multa decidit hymber aqua. Vel.

3 Madidis lapsa corona comis.

Legas hæc eadem: vt quàm sedeant intelligas, cum, alijs 4 alios fecisse, vt sibi aperiretur, cum per illunem noctem errarent; atque eodem argumento mouisse, quòd dicerent se ab imbre madere totos.

Sanè Nazarenus hic pastor patria, qui comam nutriebat, bibebat vinum. Sic 5 annotarunt meritò. Iam igitur vides hæc noctu, vt alia qua, fieri vsque ad lucem. At quanto commodo rei mysticę?

* Quia caput meum, &c. Et ipse caussas ducit, vt ad aperiendum suadeat. Est autem caussa, quia ego multum patior in nocte, in hac vita. Caput quod de foris est, & intelligentię sedes est, rectè humanitas est, quę est Diuinitatis habitaculum. Cincinni, qui in capite, & à capite sunt, partes quędam sunt ipsius humanitatis, quę apparent. In his Dominus passus est; & quidem ea, quæ secum nox ipsa ferret, non alia; nimirum quæ conditio mortalitatis, & vitæ ferret, non quæ lapsus, & ignorantia. Vnde cum frigora, æstus, aliaque sit passus, non vtique neque peccatum, neque quæ peccati sunt perturbationem

1 *Verba Plat. in Parmenid.* Pulcher sanè, atque diuinus, &c.
2 *Tibull. lib. 1. Eleg. 2.*
3 *Ouid. lib. 1. amor.*
4 *Anacreon. de H. St.*
Pastor, qui inducitur in Canticis Nazarenus, & vnde?
5 *Chrisost. hom. 4. in Matth.*

tionem aliquam passus. Sed quanam ratione multa passum dicimus, qui paucorum meminit, roris, guttarum noctium? sanè parua ab amore dicit. Parua autem maxima quæ sint, vt ipsi intelligamus, alijs ex capitibus nobis considerandum relinquit. nam omitto, quòd dum peccata non patitur, siue lapsus, aut internos motus in turpitudines, parua omnino sint, necesse habet quæcunque patiatur quicunque. Et notandum valde est, quòd ea, quę sponsus patitur, è Cœlo sunt, quia nimirum, quę Christus Dominus, ex sua ipsius voluntate. vnde rectè ait, [1] Potestatem habeo ponere animam meam, &c. Et rursum alius, [2] Oblatus est quia ipse voluit. vnde ipsi [3] Calix è Cœlo ab Angelo offertur, super quę consolationem accipit. His sic Virgo respondet.

[1] *Euang.*
[2] *Is.*
[3] *Euang.*

Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illam?

Vides apertè, quæ [1] ab alijs dicta sunt de mulierum ingenio? Aut velocius, aut tardius quod deceat.

[2] Nolunt vbi velis; vbi nolis cupiunt.

Hoc nostrum cum Deo miserum ingenium est. Et.

[3] Fugit sequentem, & non sequentem prosequitur.

Sed non tam hoc ego ingenium admiror expressum; quam quòd munditiem prætendunt, vt alliciant magis, & aliud; quòd dum se efficere aliquod nequire afferunt, querendo faciunt. Est & id amantium ingenium, vt venditent ad amorem, quæ faciunt caussa amoris.

Mulieres ex ingenio aut velocius, aut tardius quam deceat. Et nolis vbi velis.
[1] *Verba Plat. in Philæb. ex aliorum dicto.*
Mulierum alij mores.
[2] *Terent. dictũ in Eun.*
[3] *Theocr. Idyl. 4*

* Expoliaui me tunica mea, &c. Et quidem per tunicam, quæ vsui diei est ad aspectum, & consuetudinem hominum; possumus vitam ipsam actiuam intelligere, vel ipsam adhuc actionem, quam communiter cum contemplationi vacare volumus, tanquam vestem exuimus, vt in cubilibus nostris compungamur nudati. propter quod vt à natura exuere modo vestes, modo resumere docemur pro tempore, ita & à Domino gratiæ, actionem, contemplationemque grata vice permutare. Vnde Angelus nunc agere, modò contemplari docuit Antonium; quod est nunc Martham, nunc Mariam alloqui, Domini nostri exemplo, & institutione, siue nunc in monte ascendere, nunc descendere ad turbas. ita ex die, & nocte, siue ex mane, & vespera dies fit vnus. His igitur positis, sensus nunc is erit commodus verborum: Expoliaui me tunica mea, ac si: Deposui iam actionem, siue hoc agendi institutum. Quo modo induar illa? qui fieri potest, vt resumam? Sed dices, quidnam Virgini cum his, quę imperfectionem continent? Sane nihil, quà imperfectionem dicunt. Sed non omnino ea sunt hęc, quę non eos habeant explicatus, vt perfectionem non contineant. In quo quidem vno valde admiranda est auctoris Sapientia, & commendanda; qui ita locutus est, vt eadem si vni applicentur, imperfectionem habere dicantur, siue exprimere; si vero alteri, idest Virgini, nihil minus, sed perfectionem. id, quod non in vno solum modo, sed in multis est locis obseruare.

Ad Virginem igitur si referamus, imperfectionem non habent vllam, immò & maximam amoris perfectionem. Quod quidem mi-

rum

rum nè videatur facit, quòd ex imperfectionibus, & perfectionibus constant res. Sensus autem is erit: Sponsa femineo more id facit, quod fieri nequiri queritur; & Virgo amantium more Diuinitatis, sui, quàm alterius similis, siue imitatrix id ipsum facit per amorem, & amati obedientiam, quod fieri non posse ait. Idque dum illud ipsum ait, nimirum ad patiendum, & tolerandum descendit è contemplatione, assurgitque ad actiuæ vitæ munera, ad quæ vocatur. Quod dum facit, artifitiosissime difficultatem rei, non, vt ita dicam, impossibilitatem, aperit. nam si fieri non potest, qua ratione fit à sponsa, vt induat iam tunicam, qua se spoliarit? & difficultatem quidem eam, quæ ex obiecto ipso est, aperit, non quæ personæ ratione, quæ nulla est. Idque nostri exemplo, & ad nostram intelligentiam, ac captum, vt sæpè seruator ipse facit, qui propterea quasi difficile sibi sit, cum sit nobis, secedit in montem oraturus, nostra institutione & exemplo. Quo fit, vt cum exempla exstent Seruatoris, qui hæc, aut his similia fecerit; necesse est ad dicendum ducamur, alias nostras esse oportere actiones, alias nostri principum, ac ducum. Eandem verò etiam esse rationem, vt alia nos, alia illi, qui in lucem nostram positi sunt, eloquamur. itaque vt multa seruator ipse & fecisse, & locutus fuisse nostri caussa creditur, non sua; id ipsum de parente optima dicendum est. Quorum vnum hoc, quo scilicet, vt diximus, difficultates, non quibus ipsa; sed quibus nos vtamur, prætexit. Et sane quàm difficile id nobis accidat, vt è contemplatione descendamus ad actionis molestias, Petrus ostendit, dum ait, Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic, &c. & alius, Domine quò ibimus, verba vitæ æternę habes. Possumus adhuc dicere, quod verba maxime amantis sunt hęc, amorem suum significantis, & iam ostendentis opere ipso; vt non tam difficultates prætexat, quàm rem alioqui alijs difficilem, vt quam prompto animo aggrediatur, petitam, ac postulatam ostendat amato Sponso, ac Seruatori. Enim verò dicto citius Sponsa exsurgit vocata, & ad aperiendum procedit. Et quidem non terrena amantium solummodo id moris venditare, quæ faciunt ad amorem; verum & adhuc eorum, qui cœlestia, atque immortalia amant. Vnde sæpe Dauid angustias Deo commemorat, quas patitur. Atque eodem sensu, & quæ sequuntur, interpretamur.

Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

[1] Ab animo ægræ, & in amore non temperantes, caussantur, quominus se posse dicant, friuola impedimenta, vt rogentur magis. Sed fito, vt nostra hęc sponsa, non rarò se telo sauciant, [2] Reperiuntque mali fontem; [3] dum in syluam abeunt coniuges, nimirum negligunt ipsas. Frequentes autem mulieribus lauationes, pręsertim dum eunt cubitum:

[4] Laui, sacrificaui, cubui.

Quod moris lauandi Hebræis fuisse ex ea, quæ fuit [5] Vriæ, [6] & Iudith cognoscemus.

1 *Plaut. verba in Epid.* Ab animo ægra. Suo se telo sauciare Adagium. In syluam abire Adagium. Muliebre lauare se.
2 *Adag.*
3 *Adag.*
4 *Plaut. amph. Tibul l.1. eleg.3 ait.* Pureq. lauari te memini. & puro secubuisse toro.
5 *Reg.*
6 *Iudith.*

Tardio-

Tardiorem cum se sponsa ageret, nec aperiret, aut nō ageret tardiorem, sed ad aperiendum pararet; sponsus si posset ipse de foris aperire, manum, siue digitum in foramen immisit. Ita Hebræorum seræ erant compositæ, vt nisi intus suis artibus munirentur, possent de foris aperiri, vt nostrarum aliquę. De quo alijs doctè dicentibus, nihil adhuc sum sollicitus. Cum autem non succederet, nec tam ipse successum, quàm motum optaret, sentiretque interea 7 stratis lectis moueri sponsam, ne & id deesset amori optimo obsonij, & actioni gratiæ, aufugit, proripuitque sese procul statim, quasi illud vsurpans secum.

8 Statim obsequendum rogatis;

Et præterea.

9 Nunc ego te experiar quid ames?

quod est apud Comicum. Sana, & 10 sanè amantis fuga. Quòd si insanientis, cum 11 ratione insanientis, vt amantium fert conditio, ac natura; & præterquam quòd iucundus, vtilis est adhuc 12 habitus. Vt 13 ictus sapiat anima, nimirum, vt 14 post mala (quod aiunt) prudentior euadat in posterum, & si leniter sæuiens, fiatque si non ex fera mansueta, ex delicata feruentior, & sui magis contemptrix. sed & fit 15 ira amor iucundior, vt est Sol post caliginem feruentior. Vnde & in 16 præceptis pessimi amoris fuga. Sanè hæreo, cum contemplor paruum poëma tot artifitijs compositum, itaque nostra sapere, & è nostris ad diuina tam commodè euocare. Quid est igitur, quòd miremur, si id cum animabus faciat cœlestis diuinus auctor amoris, vt cat, veniat, quando id vt faciant suo amori homines, malè ab hominibus instituuntur? Sed artifitia dum admiror, gestit in spiritalem sensum mihi animus semper, mirificeque coarctor, donec ad illum deueniam.

Lætior interea iam aduenit sponsa, vtcumque vestita, sic aut sic tunicam induta, & fortè, quod ille sibi malè optabat, nudato pede, quamquam velato, discissa palla; quod ad spiritalia videbimus, quem aperient campum, & quem dabunt fontem. Sistit parumper extra ianuam semiapertam: nullum videt, nullum etiam sentit. Mirari, obstupescere. Tum foras prodit turbatior. Lustrare, exquirere, manibus etiam maligna luce quæritare. Quàm pulchra es, quàm decora mater, inquam, non filia fabularum, diuina fabula; liceat enim mihi hic ijsdem vti, quibus sponsam admirans sponsus affatur, & quē tractamus odorem optimum paulum olere. Hinc, quod non in decoro scœnæ fiat, dum vestigia relinquuntur in scœna turbationis, & diligentiæ; cursitare, & modò hac, modò illac se abdere ad quærendum, & nunc turbatam emergere; nunc iterum se ad quærendum immergere, donec tandem non redeat; finem tertio actui sic decorè imponens, spem alens, lactans pendentes animos. Posito interea 17 illo in ore omnium cum iucunditate ad sponsum.

Quam bellè vicem reddidisti.

* Laui pedes meos, &c. Vt sit interpetratio eadem amoris. Difficile quidem, amore duce opus aggredior; & difficile quidem si non mihi,

Seræ Hebræorum quo pacto compositæ.

7 *Ex Idyll. 20.* Hæc quidē stratis lectis psaltauit.

8 *Ex Plat. in Parmenid.*

9 *Plaut. in Pseu.*

10 *Plaut. ait sane amare.*

11 *Ex Terent. in Eunuch.* Cum ratione insaniūt amantes.

12 *Plaut.* exhabitu, *id est*, discessu.

13 *Aagd.* ictus Piscator sapit.

14 *Plaut. in Bacchid.* Leniter qui sæuiunt, sapiunt magis.

15 *Adagium ex Plut. in Cōmen. ἐρωτικῷ.*

16 *Ouid. lib. 2. de art.* Cum tibi maior erit fiducia posse requiri.

17 *Prot. Socrati apud Plaut. in Phil.*

mihi, communiter tamen omnibus; quod tibi ita aggredior, eaque animi promptitudine, vt & si mihi difficillimum adhuc accideret, aggrederer tamen. quamquam habet maiores hic difficultates hęc pedum lotio, quidnam illa fuerit Virgini Dominę semper integerrimæ ac purissimæ. Sed ea est hęc difficultas, quam facile dissoluamus. Sanè pedes affectus sunt, qui meritò à Saluatore Domino Apostolis lauantur, antequam communicentur, vt quo sit ad id Diuinitatis accedendum modo, quaue præparatione significetur. Et sæpe Dauid poscit dirigantur pedes ipsius; qui vt bene collocet amorem suum poscit, & qui ab amore sant affectus omnes. Et sane vt pedibus aliquò, ita affectibus itur ad id, quod amandum proponitur. Lauare igitur pedes est affectus purgare, ac mundare; quod quidem antequam cubitum discedat Sponsa facit, quia nimirum antequam ad contemplationem accedamus, faciendum est, vt curetur rite corpus omne, antequam ad Regem, aut Imperatorem per legationem penetretur. Id, quod sapientis consilio fit, ita præcipientis, & suadentis: Sapientis ęstimatione consilij. nam quo minus, & intelligentia euolare posset ad altiora, & amor sequi pręeuntem, affectus impuri, ac terreni impedimento essent maximo. Mitto quod impuritas nubes quędam est, ac velamen, qua lucis claritas, & perspicuitas suffunditur. Notandum autem valde, quod non eodem semper modo pedes nostri inquinati sunt, idest affectus impuri; sæpe enim impuros peccata, sępe autem actio ipsa facit; nam quod actio longe minor, quam contemplatio est, cui illa postponitur, fit vt in actione maculari affectus dicantur, quibus scilicet omnia nostra complentur; sicut mundari purgarique contemplatione. Rursum cum comparatione res existent, sępè mundum immundum dici, rei mundę magis respectu. Vnde qui in Angelis reperit prauitatem, qui mundissimi sunt, & in visione faciei Patris, certe eam reperit, quā facit sui comparatione ab alijs reperiri. Sicut Sol cum vitro facit. Sensus igitur Virgini est: Laui pedes meos, mundaui affectus meos, & composui ad altissimam contemplationem. Quod est, remoui iam ab actione, transferens in contemplationem. qui fieri amplius potest vlla ratione, vt inquinem illos iterum actione? Quod quidem ita intelligendum est de Virgine Domina, vt nullam aliam imperfectionem dicant pręter eam, quę secum affert melioris, siue cum meliore collatio. atque ita vt ex intimo adhuc amore & ipsa, vt superiora dicta videantur. Et en tui caussa illos, vt lubet, vt iubes, inquino in labore in patientia multa, in actione ipsa, quę vt sua fert secum natura, res molestissima, & plena laboris est. Et erit mihi quidem adhuc; sudandum enim mihi video deinceps, fugiendum, timendum, laborandum tui caussa. quamquam enim his non eò adducar, vt contemplationem deseram, non id tamen efficiam, vt tecum ex labore, & itineribus non defatiger. Alioqui mei labores nulli, & ad aspectum difficiles. Hęc Virgo, quę dum non sui caussa, sed obiecti defectu tardius agit, nimirum non habet, quę patiatur, nec quæ agat Christi Domini caussa, vt optat, & animus pollicetur amore po-

re po-

re postulante, Sponsus manum, siue digitum in foramen immittit portę, & aufugit; idest idem filius summè disponit ad tolerandum, & subtrahit se se deinde. quid est enim manum per foramen mittere, & seram tentare; qua actione fit, vt sponsa veniat, & procurrat lęta ad aperiendum; nisi gratiam maiorem infundere, atque ita ad eximia ęquissimo animo toleranda disponere? Ex quo quidem, quantum Virgo in omni vita, tum verò maxime in morte Filij perpessa fuerit, dolorum, & cruciatuum, rectè conijcimus, cum ad id plenissimè ab initio gratia, & redundanti fuerit adhuc maior, maiorque tributa semper, qua fortior appareret, & robustior descenderet pugnatura. rursum, quod in idem recidit, quantum antequam pateretur consolationum, & lętitiæ dulcedinis. Cumque hęc paullo ante tribuere Dominus suis consueuerit, quàm patiantur, quod tanquam oleum sint, quo vngantur, & arma, quibus armentur; vnde in figura [1] Dauid paullò antequam in singulare descendat certamen armatur, à Saule pro re, ac spe victorię; & Saluator suos communione corporis, & sanguinis sui ante pugnam communit; certe & id ipsum cum Virgine factum putandum est, plurimas scilicet consolationes cœlitus infusas, atque immissas, antequam pro tempore aliquid ad ferendum euocaretur. Itaque & antequam in Filij amissione doloris illo gladio transuerberaretur; & antequam adhuc Filius in cruce pateretur. vt meritò sciens quid in illa esset viatici, ad hoc confidens in ea cor viri sui describatur. Et fortasse hoc est; quòd antequam mittat manum suam ad fortia [2] mulier fortis gustat, & videt, quòd bona sit negotiatio, & euigilat. Itaque quę ante cruciatum Domini cum Apostolis non communicauit, idest sacramentum è manu Domini non suscepit, certè ante illum ipsum cruciatum longè copiosiorem accepisse, quàm Apostoli gratiam, qua ad bellum communiretur, certò credenda est. Et communiretur quidem pugnatura, non defectionis timore, sed maioris in exemplar fortitudinis, virtutisque bellicę amore. Sed quid est hoc sponsi subtrahere se se, Christo Optimo Seruatori? Sane ni fallor si ad ea velimus referre omnia tempora, cum inter Doctores repertus est, ipsum seuocare se ab illius oculis ad experientiam amoris; & alibi triduum à matre amantissima degere. Quoniam autem hęc adhuc referri ad omnia ea tempora commodè possunt, quibus Dominus vixit ad resurrectionem vsque; quæ omnia vna, siue duabus scœnis rectè comprehenduntur, dum eiusdem omnia tenoris sunt, exprimuntque in patiendo, & compatiendo vtriusque erga se inuicem amorem summo artifitio vt semper; subtrahere se Domino erit in vita quidem nunc ad predicandum in viam se dare, nunc ad orandum, ceteraque facienda, quibus è cœlo obediens filius venisset; Neque enim illo ex absentia Filij doloris gladio semel Virgo pijssima transfixa est, sed sępissime quoties sequi filium amori per varios prouidentiæ casus datum non est. Qui quidem omnes vno eiusdem scilicet formę, rectè comprehenduntur. Iam verò in extrema vita erit quàm celerrimè mori. nisi forte, quod adhuc rear, quando ita de vtroque sponso in-

[1] Reg.

Virgo Domina antequam aliquid pateretur, diuinitus solita consolationem accipere.

[2] Prou.

Sponsum se subtrahere sponsæ, quid sit in re Christi Domini, & Mariæ.

telliguntur hęc, vt commodè & ad animos & ad corpora referri possint vtriusque, Marię scilicet Dominæ, & Christi Domini; sit subtraxisse se sponsum sponsæ exurgenti, Dominam Mariam amatricem ad tribulationem quidem vocasse, disposuisse, sed deinde in tribulatione ipsa dereliquisse; non quidem gratia subtracta, esset enim id nefas vel cogitare, & sacrilegum; sed ea ratione aliquo modo, qua & ipse deinde in cruce à Patre derelictus est, vt puram, sinceramque tribulationem hauriret; quòd si lynphatam mixto, idest vino lynphatam, quod est addita tribulationi tribulatione, & angustię angustia. Id quod & ad meritum, & ad gloriam cum Virgine faciendum fuit, & ad experimentum quid tandem posset virtus in homine adiuto Diuina gratia. Itaque vt caput decebat, & exemplar haberent homines, non solum quod imitarentur, verum & quod admirarentur adhuc, & obstupescerent. Et sane ita decuit pati martyrem martyrum, & simillimam omnia Filio, simile scilicet adiutorium, nullo solatio præter hoc vnum, quòd ita & Filius pateretur. Atque ita & ipsum Dominum hoc eodem ipso in passione solatio, quo & nos. Non habemus matrem, quæ non possit compati infirmitatibus nostris: omnibus potest quæ omni modo sustinuit. Iam subtrahe te, Diuine amator, vt iubet; nunc experire, quid amet Maria, quæ immenso quodam, & inexhausto amore redundat. Quòd si iucunda tibi fuga, quippe quam nutrimenta putes amoris, fuge, dilecte mi, & assimilare capreæ; reuertere tantummodo vt videas quo modo floruerit vinea, seu melius quos, quantosque fructus condiderit. Reuertens quæ te tam fideliter sustinuerit, secundum multitudinem dolorum, consolatione resarcies. Nec ipsi interea non vtilis fuga tua, quæ non prudentior quidem tua fuga, non feruentior fiet, quasi imprudens, tepida antea extiterit; sed quasi de virtute in virtutes iens, & ad altiora in momenta, dignioraque se prouehens. Iam igitur in sani, & tu cum ratione, non vt sanes non ęgrotam, sed vt sanam firmiorem, idest offitiosiorem reddas ex offitiosissima. Sed quid tu interea Virgo, quę vocata intus, & iam doctissima pati, ac paratissima, exsurgis Sponso obuiam, vsurpasque: Ecce adsum, & paratum cor meum: quid ages, non reperto? Ecce iam induta tunicam ades, resumpta actiua vita. Ecce nudato pede inquinari idest affici doloribus parata, quanquam velato discissa palla, idest actiuę vitæ intuitu, & eius, cui sis deputata, mysterij? siste iam parumper extra ianuam, si sponsus, cui seruitutem, & obsequia meditaris, ingrediatur. Sed heu nullus videtur, nullus hic sentitur. Aufugit. eo ille est ingenio, vt eat, redeatque vias. Noui. Memini. Meministi quid antea prætexuerit de se. Ego flos campi, & lilium conuallium? Ad ea, quę patris sunt veniens, ea, quæ sunt matris quodam modo non curat, nisi ea, qua eadem sunt & patris. non est in comitatu nostro è Hierusalem reuertentium. quo nam ex oculis sese proripuit nostris, aut intulit? En, nullus est? nullus. Prodeamus in scœnam. redeamus Hierusalem. Quaritemus. Compleamus vocibus omnia, diligentięque nostræ vestigijs. Sed nox est, tempus

Mariæ Dominæ tribulatio pura, vt filij.

pus vitæ huius, sic fert humanæ vitę conditio, & vię status, vt patiamur isthæc. iam manibus quæramus nostris, memoria ipsum, atque affectibus recolentes. Quæramus, clamemus in Cœlum, & queramur. Clamemus.

Iesu Matris delitium,
Delitium, suauium.
Iesu amantis voluptas,
Voluptas, desiderium.
Quis te, mihi decus substulit,
Consilium, præsidium?
Ros mundi, flos ætatis,
Fons amoris, & spes matris
Dic vbi degis, & qui?
Hoc deerat doloris
Vix ferenti vim amoris.
Degere absentem à te
Dic vbi degis, & qui?

Hæc cum amisit ad disputandum progressum? Iam vbi extinctum defleuit quid? Quid vbi derelictam se intus in amaritudine sensit? Sed iam frustra diu quęsitum, clamatum, ploratum, dulcissima Virgo, amaritissima parens, Domina cordis, atque animę meæ. Cedamus iam tandem intrò aliò, alibi quæsituræ. O & decorum tertij actus finem, & huius Virginis spem & ipsam alentem, & lactantem præsentes animos. qui scilicet quo pacto deinde inuenerit, ac qua ratione tenuerit, & quid inuento fecerit, excitat ad quærendum, & sciendum præclarè animos.

Dilectus meus.

Act. Quartus Scœna Prima, Sponsa, mulieres.

Diu multumque quęsito, nec tamen reperto, cum puellis ad rumorem, & voces euocatis reuertitur, & omnium, quę sibi acciderint, subiratior enarrat historiam; eo consilio, si * lampada, quod est latinis prouerbium, accipiant; nimirum à fessa quęrendi curam. Vides quot actionum, quam armoniam? occipisque spiritualia adoriri? quo decoro nouus chorus foras euocatur? Ait igitur, puellas in egressu alloquens, quę intus fuissent de re sciscitatæ, nouoque euentu.

Lampada accipere, vel tradere Adagium.

* Adag. Lampada tradere, & capere.

* Dilectus meus. Diu, multumque quęsito, nec tamen reperto, sponsa cum puellis ad rumorem, & vocem euocatis reuertitur in scœnam; quia nimirum Domina, & primò quidem quæsito puero Iesu, quem amisisset; nec tamen reperto, multis adhuc ad compatiendum sibi commotis, & adiunctis offitio, incedentem se videndam præbet, & adhuc Filio quęrendo per Hierusalem perque vias insistentem. Tum tempore demortui Filij, atque extincti, deinde è Caluario monte, domum reuertitur Filio deplorato, ac sepulto in comitatu sanctarum Mulierum, aliarumque, ibi tantę matris tanto dolore commotarum. Denique quia tempore internę desolationis, & tribulationis, non quiescit à lectionibus, à contemplationibus, ab actionibus, quam-

diu lætitiæ voluptati salutaris restituat. Quòd si illa subiratior enarrat historiam Choro, ea spe, vt adiuuetur ad quærendum, fabulę magno decoro è gestorum enarratione partim notorum, partim ignotorum; certe hęc tristitia ex vi, magnitudineque dolorum, vel quę secum acta sint, enarrat filijs Hierusalem, quas comites, & socias sibi adiungat quęrendo Filio, aut deplorando; vel cum Angelis, alijsque, suisq. adhuc cogitationibus, de desolatione piè queritur, à quibus consolationem accipiat. magno adhuc historiæ decoro; dum non solum corporatas, visibilesque actiones, verum & incorporeas adhuc, & inuisibiles per illas agnoscimus. Ecquid intus cum Virgine in animo fuerit aliquando gestum, vrgentibus, prementibusque doloribus, idque adhuc maxima nostra vtilitate, qui doceri foris, intusque necesse habemus. Equidem non dubito Angelum Virgini adstitisse passionis præsertim temporibus confortans illam, & consolans pro officio. Sed iam ipsa quid loquatur videamus.

Mariæ Dominæ in passione credibile Angelum adfuisse confortantem illam.

Dilectus meus misit manum suam per foramen.

Septuaginta, de prospectu. Idem. Vnde scilicet, & ipse prospici poterat, & aperiri fores. Notum puellis vocabulum, & gentibus. Quid tum?

Dilectus meus, &c. Eorundem gestorum est enarratio. Interpretatio: Disposuit me; vocauitque quibus poterat expressioribus signis; & clarioribus ad patiendum. Sed quid est per foramen, siue, vt Septuaginta habent, de prospectu? An per sensus, vt id externis signis cognouerit? an per docilitatem, & facilitatem eam, quę in Virgine cùm à natura, tùm à gratię plenitudine, maxima? vt propterea in multorum animos manus Domini non intrò mittatur, qui non sint docibiles Dei, itaque foramen habeant, & ipsum aduersus gratiæ dona obseratum, vt cum ipsi aperire nolint, neque sibi aperiri permittant? Sed quid & ipsa tum?

Mittere manum sponsum per foramen quid sit?

Et venter meus intremuit ad tactum eius.

Videas historiam feminili ingenio, & digestam, & enarratam. LXX. venter meus conturbatus est super ipsum, quod est ipsius gratia, Amoris, timoris signa nescias, scias cum mulieribus fieri hæc his occasionibus. Vnde [1] illa.

> Ego autem ipsum postquam cognoui nuper portæ limen ambulantem pede leui,
> Omnis quidem frigui, niue plus. Ex autem fronte sudor mea stillabat.

Et paulò post.

> Et congelata sum chrystallo pulchrum corpus.

Alibi.

> Stratis lectis psaltauit timens mota cor.

Sed crediderim amorem his expressum, quàm timorem potius; nisi sit timens amor, amans timor. Sed si non ipsa tacta, sed sera, qui ait:

[1] Teoc. Idyll. 1.

Ad

Ad tactum eius? Est, vel ad tactum ferę, eius, scilicet ab eo; vel quia amore artifice ipsa tangi imaginata est sera tacta, imminente introitu, quo nostri poëtę artificium pulchrius, & sapientius.

* Et venter meus, inquit, intremuit ad tactum eius. Septuaginta, conturbatus est super ipsum. Venter cor, vt sępè; vnde illud, De ventre eius [1] flumina fluent. Cor meum valdè commotum est. Ad quid nam? Ad amandum. Ad patiendum. Ad obediendum. Ad ea facienda omnia, ad quę ipse vocasset. Frequentia igitur Dominę, Ecce Ancilla Domini. Et fiat mihi secundum verbum tuum; & antiqua. An est, intremuit: dilatatum est cor meum? & id commotum? Sed an cor tactum, an sensus? Sensus: Quid igitur cor commotum? Sera tangitur, venter intremit. Id obedientia promptitudo facit. [2] Sic capillo Propheta per manum Angeli aliò traspoitatur. Loquere, quia audit, [3] immò & intelligit seruus tuus.

Ventrem ad tact sponsi intremuisse quid?
[1] *Euang.*
[2] *Daniel.*
[3] *Gen.*

Surrexi, vt aperirem dilecto meo.

Lactata, scilicet statim, [1] & vno mutata pracordia verbo.

Quin addit, vt se amantissimam, & diligentissimam probet, ostendatque, quod nobis in Prouerbio est, [2] manibus, pedibusque; nimirum omni vsam industria, & officio.

* Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Vt compaterer, promptam me dedi, & adhuc pro ipsius nomine, vt paterer. Quin &

[1] *Prop. verba l. 2.*
Manib' pedibusq. Adagium quid?
[2] *Æschines in orat. cōtra Demo.*
Aperire dilecto, quid sit?

Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

Exsurgens enim noctu accurrit ad vas myrrhæ statim, officiosa, sparsura super ingredientem decus, si non ex more, ex amore; Ingeniosus enim amor, & nouorum officiorum semper nouus architectus, ac molitor. Ceterum cum aut frangeretur casu, aut fus, deque noctu versaretur, prodire stillantibus liquorem manibus, ac ita quærere (iucundissimum spectaculum) coacta est. Nisi dicere velimus, quòd inunctus sponsus manum per foramen immittens, seram aut industria, aut casu inunxerit myrrha, qua fuisset delibutus optima; cui aperiendæ mox sponsa admota manu, senserit commoda, opportunitatesque. Propter quod LXX. Digiti mei myrrham plenam super manus pessuli. Quod nunc referat sponsa, vt quem habeat sponsum, iactabunda ex ingenio insinuet, & quid sibi velit myrrha illa preuertat interrogaturas. Quodcumque horum sit, ex delitijs artificiorum compositi dramatis, sanè si nescirem Deum auctorem, non viderem, cui nam hominem, & poëtarum tribui possent. Quod autem horum esse potuerit, fortè ad agnoscendum lucem afferent illa [1] Theocriti in Helena Epith.

Primæ autem argenteo ex lecito humidum vnguentū capientes
Stillabimus sub vmbrosam platanum.

* Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha

[1] *Idyll. 18.*

probatissima. Manus affectus, digiti operationes. Vel manus, digitique simul, aut affectus, aut operationes; nam poëticè repetitio illa digitorum, siue additio manibus. Si igitur sponsa accurrit in fabula ad vas, & vnguenta effundit antea, quàm super sponsum effunderet, sensus ille erit: Affectus, operationes meæ pleni mortificatione, incorruptione, sanctitate; id enim myrrha, vt sæpè. Quò docemur, cum à Domino ad patiendum vocamur, quonam pacto nos agere debeamus; nam præterquam quòd exsurgendum nobis statim est per obedientiam, & ad internas vocationis nostræ voces responsa, accurrere ad vas myrrhæ debemus, idest incorruptionis, mortificationis: itaque obedientiam hanc nostram alijs cohonestare, confirmareque virtutibus, incorruptione præsertim, ac mortificatione. Nec dubium, quin ad recipiendum hic sponsum necessaria mortificatio, quando vt mortificet ille venit in hac vita, quos sit deinde in alia viuificaturus. Et hæc quidem mortificatio in affectu esse debet maxima, & in operatione; si quidem affectu promptissimos nos ostendemus, operatione verò prudentes, qui condiscamus pati, & tanquam præludamus virtuti. Id, quod illud est, quod repetijmus sæpius: [1] Paratum cor meum, paratum: [2] Hilarem enim datorem diligit Deus, & qui vsurpare belligerans possit prudens illud. Putaram. Etiam his medijs comparaui. Iam verò in corruptione, seu affectu ad incorruptionem, seu malis affectu ad immortalitatem, & parens incorruptionis, & futuræ gloriæ commodè, & decorè recipitur, tum præsertim cum venit, vt patientes faciat dolorum, & tolerantes; si quidem tunc maximè consideratione immortalitatis iuuamur. Vnde patientes veteres Hierusalem memoria in exilio, se in figura consolabantur: ac tunc maximè incorruptio conscientias consolatur, vt è contra corruptio, ac peccatum facit. Vnde videntur quàm pessimè faciant homines, qui in tribulatione positi à Deo, per amicitiæ amorem, vt e tribulatione respirent, humanas, quæ præsertim in libidine sunt, sibi consolationes exquirent. [3] Inquiruntq. cisternas dissipatas, & lutulentas ad sitis extinctionem. Sane tunc maxime seruanda castitas, & continendus animus, cum tribulamur; quodque castitati caussa est, ac fons, tunc maxime cum [4] Niniuitis ieiunandum, & abstinendum. Sed si sponsus ipse seram obliniuit, qua tacta, sponsæ manus, & digiti inuncti sint, alius erit sensus; nimirum vt myrrha virtus sit ad patiendum, & tolerandum, qua quidem non antea sponsus fugit, quàm seram inungat; nimirum non antea nos intus desolatos deserit experimento, & exercitationi, quàm virtutem, qua ferre possimus infundat; propter quod [5] fidelis, qui facit cum tentatione prouentum, omniumque nobis cedere in bonum nostrum permittit, & facit. Vnde recte respondet pie querenti, sufficit [6] tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur. [7] Et ego ero vobiscum, quamuis absens; aliaque. Quare sponsa aperiens inungitur ad distillationem e manibus, digitisq. myrrha; quia nimirum anima virtutem accipit tolerandi, quam affectu intus experiatur, foris operatione loquatur. Et hanc quidem virtu-

Qua ratione sponsus Christus Dominus recipiendus.

1 Psal.
2 Paul.

In tribulatione positi pessimè faciunt, qui ad libidines se couertũt.
3 Ierem.

4 Ioan.

5 Paul.

6 Paul.
7 Euang.

virtutem, quoniam, vt cetera vberem, copiosamque Virgo accepit, recte ait: Digiti mei pleni myrrha probatissima. Et notandum quòd sponsæ digiti non antea hac myrrha pleni, stillantesque, quàm exsurgat, & veniat adaperiendum, quia nimirum affectus nostri, operationesque non antea hanc virtutem sentiunt, quàm seipse homo disponat. Rursum pessulum hoc hostij interius oblinitum decore, quia hæc virtus in anima, & in animę potentijs interioribus. Sed an non hæc virtus in Virgine maxima, quæ ait: Quia fecit mihi magna, qui potens est? quæq. in cruce propterea se fortissimam ostendit, & aduersus tribulationes omnes præualentem.

Virtus tolerandi in Virgine Domina maxima.

Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.

Hæc, Declinauerat, atque Transierat, (nisi sint, declinauit, atque transiuit) faciunt me inclinare, vt putem, quòd e re, atque ex actione est; quoniam hęc referentis sunt; sponsam non statim vbi prodijt loqui cœpisse, vt dicebamus, sed post diligentissimam illam inquisitionem, & rumorem excitatum, ad quem mulieres hę, quibus narratur historia, prodierint; quas, de sponso infra quęrentes, qualis sit, non crediderim e choro esse, sed alias, in chorum accersitas.

* Pessulum ostij mei aperui dilecto meo. Me paratissimam, & promptissimam ostendi ad omnia, seu pati, seu compati necesse esset; familiare enim mihi illud cùm ore, tùm corde loquenti: Ecce Ancilla Domini, semel cum tanto fructu vsurpatum.

Pessulum aperire, quid sit?

Virgo in omnibus illis vsa, & non semel. Ecce Ancilla Domini.

At ille declinauerat, atque transierat. At ille absentia me sua, vt erat ipsi propositum, mihi vtile, Ecclesiæ necessarium, afflictam, & excruciatam voluit. Et quidem cum adolescens esset secedens, cum iam vir mortem subiens. Et rectè transitus, siue declinatio, mors, præsertim Seruatoris, qui [1] post triduum resurrexit. Vnde [2] phase idest transitus Domini in figura celebritas illa Hebręorum; qua in re voluntaria adhuc mors eiusdem innuitur. Declinauerat, inquit, atq; transierat. Oblatus siquidem ille, quia ipse voluit, & voluntaria morte voluntariè genuit. Vnde rectè [3] Pilato ait: Non haberes potestatem. Et rursum Hebræis: Potestatem habeo ponendi animam meam. Id, quod & ipsum de omnibus eiusdem actionibus dicendum est. Omnia siquidem ita voluntariè gessit Seruator optimus in omni vita, vt nihil supra. Quare & cum à matre secessit in Hierusalem, voluntariè declinauit, atque transiuit, non aliquo obiecto captus, ac ductus; neque alia naturali passione quadam ratione constrictus, à voluntate ipse sua, cum illa Patris conformi in omnibus, illuc Diuinorum caussa aduocatus. Sed si declinauit, atque transiuit, Virgo, Filius tuus, [4] Exspectans exspecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Id illi moris, & decoris experiri ita amantes, & ad magis amandum his ignibus, atque his facibus inflammare. Similis ille est capreæ, hinnuloque ceruorum, & fugit, & reuertitur ex ingenio

Declinare sponsi, quid fuerit?

1 Euang.

2 Exod.

3 Euang.

4 Proph.

genio amoris. Memineris quid ille suis dixerit: Et tertia die resurgam? 5 Post tenebras facit ille lucem; ad 6 vesperum dominabitur fletus, & ad matutinum lætitia. 7 Et quidem secundum multitudinem dolorum magna, vehemensq. lætitia. Sed te magnitudo doloris non facit inter horum recordationem respirare.

5 *Iob.*
6 *Is.*
7 *Psalm.*

Anima mea liquefacta est in sermone eius, &c.

Re enarrata, quoniam amoris defectui nè tribuatur malum (quod vtique summum putant malum, si expertes amoris per notam, præsertim sponsæ, dicantur) sibi meritò non tam ab inuidia aliquarum, aut ingenio, quàm à conscientia læsa timet, eo sollicitior, quò magis conscia, anteuertit reprehensionem, contenditque, neque per defectum amoris commissum, vt ille declinaret, neque per negligentiam, vt ille reuerterit. Anima, inquit, mea liquefacta est, vt locutus est. Siue vt LXX. egressa est in sermone eius. Dicendi modus, vt ille ab illo nescio quo 1 Charino: Cor ædepol miserum meum, quod guttatim contabescit, quasi in aquam tu indideris salem. Sed nostris quid eloquentius? quid artificiosius?

1 *Plaut. in Mer.*

* Anima mea liquefacta est in sermone eius. Scimus; vetus enim hoc tuum bonum, & non inexspectatum à te Idæa amorum, & lege. Et si Ecclesia quidem loqueretur, aut quæuis alia anima, id ad tegendum defectum, dictum intelligeremus; nunc verò, cùm ante profertur, ingenuè dictum accipimus. Animam tuam in sermone Angeli, vel naturali constitutione ad amorem propensam, liquefactam scimus; & ad verba dilecti. liquefacta est; & vt amantium est, egressa est in alium, in dilectum. Sed quid est, quod vel ad vnum verbum dilecti liquefacta est? Maximum amoris argumentum, & efficaciam verborum illius, & facilitatem tuam loquitur hæc liquefactio, mihi cum stupore, & admiratione, obdurescenti scilicet magis ad beneficia maxima, nè dicam ad verba, & significationem voluntatis. An est igitur hæc summa voluntas patiendi, & gratissima liquefieri ad sermonem? Cum alia inferior sit ad vocationem passionum sustinere, alia promptum se agere re, alia gaudere, alia liquefieri? Alius enim ait, modestè: 1 Persecutionem patimur, & sustinemus: alius: 2 Paratum cor meum, paratum. Alius adhuc aliter: Tu sola ad horum verba liquefias. Liquefacta est anima tua in sermone dilecti, quem scis verbi sermonem, cuius præsentiam nouem menses corporaliter in te habitantem habueris. Agnoscis verbi vestigia, in quocumque verbo, & non solum veneraris, quem amas, verum & valdè amas, quem veneraris. Sed nos hic longè digniorem, quam mulierem illam fortem prouerbiorum, nunc in his agnoscimus, & veneramur. Nihil horum de illa, & si plurima, & magnificentissima. En Solem agnoscis sponsum; en ignem, ad cuius sermonem liquefis. Et sanè ignis ille consumens, & oriens nomen eius. Quid ni facis, oriatur, & in cordibus nostris, vt liquefiant, & comburat, & in cineres redigat? O anima liquefacta Mariæ ad sermonem, & vocationem Domi-

1 *Paul.*
2 *Psalm.*

mini, quæ propterea in quodcumque illi vas conuerti potuerit. Sed cum amiseris Dominum tuum, Domina, siue progressum ad ea, quæ Patris sunt, siue mortuum, & extinctum. Quæsiuisti nè tu illum, & ad obtinendum vocasti?

Quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi.

* Quæsiui, & non inueni illum. Non dum inueniendi hora, quia non dum destinata.

Vocaui, & non respondit mihi. Cum igitur non quæres inuenies; vt sit diligentiæ hoc præmium; cum non vocabis, respondebit: nimirum ipse se tibi sponte tradet, & carissimum offeret munus. Sed quid fuit Virgini quęrere? quid vocare? Sanè tempore amissionis quærere ipsum corporalibus spatijs, vt in Euangelio dicitur; reliquis temporibus, mente, animoque; quamquam, & mente adhuc tunc, & aliàs adhuc corpore, pro tempore, pro officio, pro necessitate quæsiuit. Et qua diligentia quæsiuit, quæ dramam totius orbis terrarum, & pretium quęrebat? Vocauit, & quo affectu vocauit, quę parentem totius vniuersitatis, & decus vocabat? Et num solis vocabat vocibus? lacrymas adhuc, & suspiria addebat, tacitas voces, & efficaciores. Plorans enim plorabat in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius. Nunquid autem neminem inuenit? & si multos, neminem, dum non inuenit speciosum dilectum. Quare non fuit, qui consolaretur eam, donec ipsemet adfuit, qui solus potuit consolari. Id amoris maximi maximum argumentum, renuere consolationem omnem, & prę vnius amati consolatione nihili facere.

Virgo Domina, qua ratione Christum Dñm amissum quæsiuit, & qua diligentia?

Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatē.

Numquid igitur ad vrbem vsque progressa est? Non placent alijs hæc, quasi euenerint ficta, sed quasi euenire potuerint, non video quo ex imitatione artificio in dramate. Mallem dicere somnio deterritam, per quod hęc eadem ipsi acciderant, quæ superius enarrarat, prętexisse hanc causam, cur quęsitum non iret ipsa, quæreret magis, quæ quęrerent. Se inuentam à custodibus in somnio, alijsque pessimè acceptam, timere sibi nunc maximè (quam belle mos fœminæ hac in re præsertim, exprimitur) ne eadem per vigiliam fiant; portendere somnia sæpè vera, & somniantes monere. Quare adiurare ipsas, vt non quidem quęrerent: tantum non audere petere: sed si obuiarent, monerent, quid cum ipsa ageretur, & quo ipsius esset res loco. Malim tamen adhuc dicere, sponsam introductam, quę procurrerit noctu quęrendo vsque ad vrbem, à tertio ad quartum actum, (non multum enim distare diximus scœnam in suburbijs positam) ibi à custodibus, qui sibi timerent ab insidijs, nihil cognitam, malè acceptam, non ita tamen, vt ipsa, de more fœminarum, exaggerat dicendo; à quibus adhuc relicto pallio aufugerit. Et sanè sic certò existimarim propter decorum, quo his amor exprimitur, sponsa quęsiuit

Plat. verba in Parmen. — *Ouid. in Bris.*

fiuit ad id iens, quia amati opera indigens.

Magna in his amoris vis, & extremum periculum. Audaciam veri amoris dixeris, vt contrà, illam timiditatem.

Sæpè ego decepto volui custode reuerti.
Sed me, qui timidam prenderet hostis erat.
Si progressa forem, caperer nè nocte timebam.

Quamquam fortè, & ab amore hic timor.

Percusserunt me, & vulnerauerunt me.

Ceciderunt.

Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

Græci, Κάλυμμα, operimentum. Hebræi Redid. Operis ductulis peplum, seu velum, passum, candidum, nitidum, ac purum, Rabbinis aliquibus testibus. LXX. Theristrum, quod etiam Philoni Maphorium. Noctu autem hęc fieri, vt sibi quisque noctu timet, intelligas ex his.

Tibull. l. 1. eleg. 1.

Nec finit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta prœmia veste petat.

Inuenerunt me custodes, qui circumeunt Ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me. Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Sanè hæc ad litteram cum Dominus abfuit, hunc commodiorem habent sensum, vt intelligamus, ipsam progressam, siue reuersam in Hierusalem ad quærendum, à custodibus malè verbis acceptam, iniurijsque, ac contumelijs, vt fit, per pessimas hominum huius generis conditiones, ac mores; Deo insuper permittente nobis exemplar virtutum omnium interea per summum artificium ex hominum defectibus, fabricante. Quæ quidem cum Virgine spiritualiter gesta, & in animo, Sponsa in fabula, eo modo explicat, quo communiter, & vulgò cum alijs fiunt. Quare percussa est sponsa, quia nimirum Virgo Domina male verbis accepta. Vulneratur insuper illa, quia hæc contumelijs affecta, & probris. Et in pallij per vim ablatione, & scissione, agnosce eas contumelias, eaque maledicta, quę secum dedecus, & ignominiam afferunt: Honestate enim se mulieres intus velant, & nomine, atque æstimatione decentium officiorum, vt pallio foris. Nihil igitur his amplius significatur, nisi quòd vt sponsa non inueniens inuenta est, & malè accepta, ita & ipsa Virgo non inueniens puerum Iesum, eius loco contumelias, & iniurias retulit. Quæ quidem vt illa non vt queratur, meminit, sed vt incitet magis ad quærendum amicas, commoueatque, ita & hęc. vnde subdit, Adiuro vos, &c. Hęc si ad ea tempora referamus priora; iam, quid si ad alia, deinde passionis, quibus animo, menteq. quęsiuit? Sanè meminit desolationis ab omni creatura, quam quadam ratione suo iure iniurias poterit appellare. Non inueniens quęsiuit, & inuenta est à custodibus, nimirum à principalioribus, & primoribus vniuersitatis huius creaturis, & ab his malè accepta. Sed quę nam hæ?

hæ? An Sol, & Luna, quę obſcurata ſunt, & retracto lumine, tantum abfuit, vt conſolari luce mœrentem potuerint, vt ſubtracta auxerint mœrorem? An vero Angeli, qui & ipſi in hoc malè acceperunt Virginem, in quo conſolationem illam non attulerunt, qui magis auxerunt mœſtitiam, mœroris calice oblato? An vero Dęmones hoſtes, quorum opera, & inſtigatione Chriſtus filius, & detentus, & occiſus eſt? An denique Apoſtoli ipſi Eccleſię principes, & mundi cuſtodes, qui relicto illo omnes aufugerunt, & ſcandalum paſſi ſunt? quo factum, vt nullo conſolante relicta ſit? Quidquid horum ſit, compatimur percuſſę, vulneratę, expoliatę, id eſt ex compaſſione grauiſſima patienti. Et patienti quidem corpore, ieiunijs, vigilijs, itinerum rationibus, in animo dolore, mœrore, in honore, & fama, iniurijs, contumelijſq. quorum primum percuti eſt, alterum vulnerari, tertium exſpoliari pallio. Sed quid interea rebus remedij?

Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis.

Modeſtè petitum, at quo ad mouendum nihil ſit efficacius. Non ita illa modeſtè: fortè propter imminens malum. [1]

Hei mihi amici opem ferte in hac
Ineuitabili fortuna, & ex vobis alij properent.

Aliaque.

[1] Leg. apud Soph. in Aiace Flagellif.

Dilectum meum.

Putabat omnibus notum. Nunquam illæ viderant. Mirum quòd non &, Veſtrum addiderit; in omnium eſſe delitijs putans, ex amore. Vbique, atque vndique ſcatent amoris proprietates.

* Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum. Dum ſponſa ad chorum, Virgo ad Angelos, quibuſcum familiariter vſa alloqui, ſe conuertit. Et modeſtiſſimè modeſtiæ parens, atque altrix ab illis petit, ſi inuenerint dilectum. Sciebat enim Angelis peruia, facilia. Et Angelos quidem omnes, ac quoſcumque alios omnibus notum, immò & dilectum. & quorſum hęc adiuratio?

Vt nuntietis ei, quia amore langueo.

Septuaginta, quid annuntiabitis ei? (quam decorè, & interrogat, cui multa obueniant, & reſpondet,) quoniam vulnerata charitatis ego ſum propter ipſum.

[2] Ego pereo, ego occaſo.

Adoleſcentulæ primum vocibus accerſitæ, deinde fletibus commotæ, nunc precibus incenſę, in primis vero cauſa rei ipſius, modeſtiſq. languentis petitionibus, iuuandæ omnia ſponſę ſe accingunt. Quare ſponſum exquiſiturę, de illo, vt noſcere poſſint, diligenter interrogant.

[2] Plauti verba in Caſin.

* Vt nuntietis ei, quia amore langueo. Ex amore. Sciebat enim & id ab illo optimè ſciri, quem ſcrutatorem cordium in carne ſciebat. Eſt autem, amore langueo: Valdè & intenſiſſimè amo. Is enim

exſtaſis

[2] Hyppolitum, videat prepositura Ioui.

Prudentissimè autem, dum, [3] non alios improbat, vnum probat, sed alios probat, vnum prefert probatis, [4] dignissimum inter multos repertum.

Atque hæc in vniuersum. Tum peculiaria addit, quę benè ostendit [5] se habere, ac noscere, quę alteri monstrat, & dat.

* Electus ex millibus. Illud [1] Speciosus forma prę filijs, inde dux Prophetis.

Caput eius aurum optimum.

Nihil ad capillos. Ad formam capitis. Caput formosum, affabrè factum, delectans. Optima auro emuntur, optima, & significantur. Et prętium, & ipsum valet. Est autem aurum optimum, alijs obrizum, alijs primum, alijs alia, nostro interpeti, optimè optimum. Ad omnia relatum aurum, siue ad aurum omnia pulchra. siquidem, [1] vel turpia, auro adornata, pulchra. Vnde,

[2] Aurea tunc pressos pedibus dedit vua liquores.

Melius; & si non à poëta; ab amatore.

[3] Amicissimus es, & re vera aureus, ò Phedre.

Et optimum dicere voluisse videtur.

* Caput eius aurum optimum. Formosum, affabrè factum scilicet, sedeo sapientiæ, curia Diuinę intelligentiæ, forum optimarum cogitationum, templum religionis, ac pietatis.

[2] *Phædra apud Ouid.*
[3] *Plat. verba in Conu.* Semper loquendo te, & alios improbas, vnum Socratem probas.
[4] *Plat. in Phæd.*
[5] *Ex Plat. in Con. Or. Agath.* quæ nec habet aliquis nec noscit, alteri dare, vel monstrare non potest.
[1] *Psalm.*
Capitis laus. Auri multæ laudes.
[1] *Plat. in Hipp. maior.* Turpe pulchrum videtur auro perornatum.
[2] *Tibull lib. 2.*
[3] *Socr. in Phæd.*

Comæ eius, sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.

Comarum laus.

Vides ordinem notitici. Color, caput, capilli; & comæ quidem plurimum ad notitiam. Vnde ille,

[1] Vidi Delphin simul, & Eudamippum euntes.
His autem erat flauior quidem Helichyso barba.

sunt & in oculis comæ.

[2] O pectus, ò genæ, ò pares auro comæ. Molles.

Nigræ quasi coruus. Ita pulchri. Vnde.

Spectandum nigris oculis (pupulis) nigroque capillo.

* Coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Ita historię loquuntur, ac deinceps; superfluum enim esset omnia recensere, presertim ad interiora properantibus. Iam igitur ad hæc:

Christus Dominus cādidus. quid?

Dilectus meus candidus. Purissimus, Virgo, virginitatis fundator, ac parens, sine macula, [1] innocens manibus, ac mundo corde, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Rubicundus quid?

Et rubicundus. Flammescens caritate, & ipse propter peccatum nostro sanguine rubescens fores, intus ardens caritate. propter quod vestimenta eius [2] alba sicut nix in transfiguratione, facies sicut Sol, quę cor est, siue cordis theatrum. Si inueneritis, intra Doctores candide docentem reperietis, quippe qui veritas ipsa est, & zelo paterni honoris

[1] *Theoc. Idyll. 2*
[2] *Agam. apud Eurip. in Iph in Aulid.*
[1] *Psalm.*
[2] *Euang.*

honoris ardentem, quippe qui Filius verus sit. Si apud inferos degentem, consolantem, recipientem, exspoliantem; ipse est.

Electus ex millibus. Non enim est inuentus similis illi, qui vt non inueniretur, pręcellens conditus est. Singularis ille homo singulariter conceptus, plenus gratia, & veritate. Speciosa forma ab humero, & sursum, præminens in nobilioribus, vt humerus, & caput sunt. Electus ex millibus, cui electi ceteri, vt vni seruirent, & quem vos Angeli iussi iam inde ab initio, ac [3] denuò in orbe terrarum introductum adorare. Mihi vnus pro centum millibus est, vnus electus, cui totus mundus seruiret, finis omnium, ac principium. [4] α & ω. E decem millibus ille quidem electus, idest ex infinito numero non solum Creatorum verum etiam creari possibilium, quos scilicet Deus auctor intelligit, vexillatus; nam si aspexeritis, de facie ita noueritis, vt dixeritis & de imperio simul nouisse. Antistes. vnde exultauit, [5] vt Gygas ad currendam viam (Hęc Virgo Angelis, Scripturas si opus esset interpetrans.) Princeps. quo Is. [6] princeps pacis. quare veri principatus princeps, qui in pace est. Signifer, immo & signum positus, id est in signum.

[3] *Paul.*
[4] *Apoc.*
[5] *Psal.*
[6] *Is.*

Christi Domini caput aurum optimum. quid?

Caput eius aurum optimum. Sapientia eius aurea, optima, dignissima, veritas ipsa; Datus enim à Deo [7] in Doctorem gentibus, primum, pręcipuumque, immò & in Doctorum Doctorem. Et rectè caput sapientia, quę pręcipuum quid in homine est. Ad veritatem autem omnia, non ex ingenio modò amoris; nam vt de increata Christi Domini sapientia omittamus, & de creata tantum modò loquamur, certè hęc aurea, nimirum supremi valoris, & pretij, quę vt aurum optimum, omne in se vt metalla sapientiam continebat. Et vt ab auro rebus pretia, ab illius sapientia ceterarum mensura, & dignitas, vt quę ad illam magis accederet, ea esset ex multis melior. Sapientia nostra neque aurum, quia [8] stultitia apud Deum, quia mendax; siquidem [9] omnis homo mendax: neque si aurum, aurum optimum; nam aurichalcum, sapientia scilicet mentita; aut aurum minimi pretij, quia paruum lumen est in nobis. Christi Domini vero sapientia aurum optimum, quod vtique emere nobis consilium, & ratio est, vt ditemur; siquidem vel Christum ipsum sapere, vel cum Christo, vel in Christo, id sapientia: quorum alterum fides, alterum spes, tertium denique caritas. Totum vero caput eius aurum, quia tota sapientia eius Diuina, Diuinorumque, & ad Diuina collata; nihil scoreæ, humanæ ad humana, & terrena. Sed & per caput possumus adhuc, si Virgo creaturas alias ab Angelis, quas informet, alloquitur, & quas in agnitionem dilecti sui enitatur adducere; diuinitatem Christi Domini intelligere; siquidem Christi caput Deus. Et ab hac quidem rectè exordia laudum Virgini; id enim caput, atque origo bonorum omnium in Christo. Hinc fluenta gratiarum. Hinc decora. Hinc vidimus eum [10] plenum gratiæ, & veritatis, quia nimirum hinc vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, quod est affirmatiuè vnigeniti. Hæc porrò diuinitas aurum optimum; siquidem hęc

[7] *Is.*
Sapiectia Christi Domini. quæ?
Sapientiæ nostræ mala.
[8] *Paul.*
[9] *Psalm.*
Christi Domini caput diuinitas, à qua omnia bona.
[10] *Io.*

diu lætitiæ voluptati salutaris restituat. Quòd si illa subiratior enarrar historiam Choro, ea spe, vt adiuuetur ad quærendum, fabulę magno decoro è gestorum enarratione partim notorum, partim ignotorum; certe hęc tristitia ex vi, magnitudineque dolorum, vel quę secum acta sint, enarrat filijs Hierusalem, quas comites, & socias sibi adiungat quęrendo Filio, aut deplorando; vel cum Angelis, alijsque, suisq. adhuc cogitationibus, de desolatione piè queritur, à quibus consolationem accipiat. magno adhuc historiæ decoro; dum non solum corporatas, visibilesque actiones, verum & incorporeas adhuc, & inuisibiles per illas agnoscimus. Ecquid intus cum Virgine in animo fuerit aliquando gestum, vrgentibus, prementibusque doloribus, idque adhuc maxima nostra vtilitate, qui doceri foris, intusque necesse habemus. Equidem non dubito Angelum Virgini adstitisse passionis præsertim temporibus confortans illam, & consolans pro officio. Sed iam ipsa quid loquatur videamus.

Maria Dominæ in passione credibile Angelum adfuisse confortantem illam.

Dilectus meus misit manum suam per foramen.

Septuaginta, de prospectu. Idem. Vnde scilicet, & ipse prospici poterat, & aperiri fores. Notum puellis vocabulum, & gentibus. Quid tum?

Dilectus meus, &c. Eorundem gestorum est enarratio. Interpretatio: Disposuit me, vocauitque quibus poterat expressioribus signis, & clarioribus ad patiendum. Sed quid est per foramen, siue vt Septuaginta habent, de prospectu? An per sensus, vt id externis signis cognouerit? an per docilitatem, & facilitatem eam, quę in Virgine cùm à natura, tùm à gratię plenitudine, maxima? vt propterea in multorum animos manus Domini non intrò mittatur, qui non sint docibiles Dei, itaque foramen habeant, & ipsum aduersus gratiæ dona obseratum, vt cum ipsi aperire nolint, neque sibi aperiri permittant? Sed quid & ipsa tum?

Mittere manum sponsum per foramen quid sit?

Et venter meus intremuit ad tactum eius.

Videas historiam feminili ingenio, & digestam, & enarratam. LXX. venter meus conturbatus est super ipsum, quod est ipsius gratia, Amoris, timoris signa nescias, scias cum mulieribus fieri hæc his occasionibus. Vnde [1] illa.

[1] Teo. Idyll. 1.

> Ego autem ipsum postquam cognoui nuper portæ limen ambulantem pede leui,
> Omnis quidem frigui, niue plus. Ex autem fronte sudor mea stillabat.

Et paulò post.

> Et congelata sum chrystallo pulchrum corpus.

Alibi.

> Stratis lectis psaltauit timens mota cor.

Sed crediderim amorem his expressum, quàm timorem potius; nisi sit timens amor, amans timor. Sed si non ipsa tacta, sed sera, qui ait:

Ad tactum eius? Est, vel ad tactum ferè, eius, scilicet ab eo; vel quia amore artifice ipsa tangi imaginata est sera tacta, imminente introitu, quo nostri poëtę artificium pulchrius, & sapientius.

* Et venter meus, inquit, intremuit ad tactum eius. Septuaginta, conturbatus est super ipsum. Venter cor, vt sępè; vnde illud, De ventre eius [1] flumina fluent. Cor meum valdè commotum est. Ad quid nam? Ad amandum. Ad patiendum. Ad obediendum. Ad ea facienda omnia, ad quę ipse vocasset. Frequentia igitur Dominę, Ecce Ancilla Domini. Et fiat mihi secundum verbum tuum; & antiqua. An est, intremuit: dilatatum est cor meum? & id commotum? Sed an cor tactum, an sensus? Sensus: Quid igitur cor commotum? Sera tangitur, venter intremit. Id obedientia promptitudo facit. [2] Sic capillo Propheta per manum Angeli aliò traspoitatur. Loquere, quia audit, [3] immò & intelligit seruus tuus.

Ventrem ad tact sponsi intremuisse quid?
[1] *Euang.*
[2] *Daniel.*
[3] *Gen.*

Surrexi, vt aperirem dilecto meo.

Lactata, scilicet statim, [1] & vno mutata pracordia verbo.

Quin addit, vt se amantissimam, & diligentissimam probet, ostendatque, quod nobis in Prouerbiò est, [2] manibus, pedibusque; nimirum omni vsam industria, & officio.

* Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Vt compaterer, promptam me dedi, & adhuc pro ipsius nomine, vt paterer. Quin &

[1] *Prop. verba l. 1.*
Manib⁹ pedibusq. Adagium quid?
[2] *Æschines in orat. cōtra Demo.*
Aperire dilecto, quid sit?

Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

Exsurgens enim noctu accurrit ad vas myrrhæ statim, officiosa, sparsura super ingredientem decus, si non ex more, ex amore; Ingeniosus enim amor, & nouorum officiorum semper nouus architectus, ac molitor. Ceterum cum aut frangeretur casu, aut sus, deque noctu versaretur, prodire stillantibus liquorem manibus, ac ita quærere (iucundissimum spectaculum) coacta est. Nisi dicere velimus, quòd inunctus sponsus manum per foramen immittens, seram aut industria, aut casu inunxerit myrrha, qua fuisset delibutus optima; cui aperiendæ mox sponsa admota manu, senserit commoda, opportunitatesque. Propter quod LXX. Digiti mei myrrham plenam super manus pessuli. Quod nunc referat sponsa, vt quem habeat sponsum, iactabunda ex ingenio insinuet, & quid sibi velit myrrha illa preuertat interrogaturas. Quodcumque horum sit, ex delitijs artificiorum compositi dramatis, sanè si nescirem Deum auctorem, non viderem, cui nam hominum, & poëtarum tribui possent. Quod autem horum esse potuerit, fortè ad agnoscendum lucem afferent illa [1] Theocriti in Helena Epith.

> Primæ autem argenteo ex lecito humidum vnguentū capientes
> Stillabimus sub vmbrosam platanum.

[1] *Idyll. 18.*

* Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha

probatissima. Manus affectus, digiti operationes. Vel manus, digitique simul, aut affectus, aut operationes; nam poëticè repetitio illa digitorum, siue additio manibus. Si igitur sponsa accurrit in fabula ad vas, & vnguenta effundit antea, quàm super sponsum effunderet, sensus ille erit: Affectus, operationes meæ pleni mortificatione, incorruptione, sanctitate; id enim myrrha, vt sæpè. Quò docemur, cum à Domino ad patiendum vocamur, quonam pacto nos agere debeamus; nam præterquam quòd exsurgendum nobis statim est per obedientiam, & ad internas vocationis nostræ voces responsa, accurrere ad vas myrrhæ debemus, idest incorruptionis, mortificationis: itaque obedientiam hanc nostram alijs cohonestare, confirmareque virtutibus, incorruptione præsertim, ac mortificatione. Nec dubium, quin ad recipiendum hic sponsum necessaria mortificatio, quando vt mortificet ille venit in hac vita, quos sit deinde in alia viuificaturus. Et hæc quidem mortificatio in affectu esse debet maxima, & in operatione; si quidem affectu promptissimos nos ostendemus, operatione verò prudentes, qui condiscamus pati, & tanquam præludamus virtuti. Id, quod illud est, quod repetijmus sæpius: [1] Paratum cor meum, paratum: [2] Hilarem enim datorem diligit Deus, & qui vsurpare belligerans possit prudens illud. Putaram. Et iam his me diu comparaui. Iam verò in corruptione, seu affectu ad incorruptionem, seu malis affectu ad immortalitatem, & parens incorruptionis, & futuræ gloriæ commodè, & decorè recipitur, tum præsertim cum venit, vt patientes faciat dolorum, & tolerantes; si quidem tunc maximè consideratione immortalitatis iuuamur. Vnde patientes veteres Hierusalem memoria in exilio, se in figura consolabantur: ac tunc maximè incorruptio conscientias consolatur, vt è contra corruptio, ac peccatum facit. Vnde videntur quàm pessimè faciant homines, qui in tribulatione positi à Deo, per amicitiæ amorem, vt e tribulatione respirent, humanas, quæ præsertim in libidine sunt, sibi consolationes exquirunt. [3] Inquiruntq. cisternas dissipatas, & lutulentas ad sitis extinctionem. Sane tunc maxime seruanda castitas, & continendus animus, cum tribulamur; quodque castitati caussa est, ac fons, tunc maxime cum [4] Niniuitis ieiunandum, & abstinendum. Sed si sponsus ipse seram oblinuit, qua tacta, sponsæ manus, & digiti inuncti sint, alius erit sensus; nimirum vt myrrha virtus sit ad patiendum, & tolerandum, qua quidem non antea sponsus fugit, quàm seram inungat; nimirum non antea nos intus desolatos deserit experimento, & exercitationi, quàm virtutem, qua ferre possimus infundat; propter quod [5] fidelis, qui facit cum tentatione prouentum, omniumque nobis cedere in bonum nostrum permittit, & facit. Vnde recte respondet pie querenti, sufficit [6] tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur. [7] Et ego ero vobiscum, quamuis absens; aliaque. Quare sponsa aperiens inungitur ad distillationem e manibus, digitisq. myrrha; quia nimirum anima virtutem accipit tolerandi, quam affectu intus experiatur, foris operatione loquatur. Et hanc quidem

virtu-

Qua ratione sponsus Christus Dominus recipiendus.

1 *Psal.*
2 *Paul.*

In tribulatione positi pessimè faciunt, qui ad libidines se côuertût.

3 *Ierem.*

4 *Ioan.*

5 *Paul.*

6 *Paul.*
7 *Euang.*

virtutem, quoniam, vt cetera vberem, copiosamque Virgo accepit, recte ait: Digiti mei pleni myrrha probatissima. Et notandum quòd sponsæ digiti non antea hac myrrha pleni, stillantesque, quàm exsurgat, & veniat adaperiendum, quia nimirum affectus nostri, operationesque non antea hanc virtutem sentiunt, quàm sese ipse homo disponat. Rursum pessulum hoc hostij interius oblinitum decore, quia hæc virtus in anima, & in animę potentijs interioribus. Sed an non hæc virtus in Virgine maxima, quæ ait: Quia fecit mihi magna, qui potens est? quæq. in cruce propterea se fortissimam ostendit, & aduersus tribulationes omnes præualentem.

Virtus tolerandi in Virgine Domina maxima.

Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.

Hæc, Declinauerat, atque Transierat, (nisi sint, declinauit, atque transiuit) faciunt me inclinare, vt putem, quòd e re, atque ex actione est; quoniam hęc referentis sunt; sponsam non statim vbi prodijt loqui cœpisse, vt dicebamus, sed post diligentissimam illam inquisitionem, & rumorem excitatum, ad quem mulieres hę, quibus narratur historia, prodierint; quas, de sponso infra quęrentes, qualis sit, non crediderim e choro esse, sed alias, in chorum accersitas.

* Pessulum ostij mei aperui dilecto meo. Me paratissimam, & promptissimam ostendi ad omnia, seu pati, seu compati necesse esset; familiare enim mihi illud cùm ore, tùm corde loquenti: Ecce Ancilla Domini, semel cum tanto fructu vsurpatum.

Pessulum aperire, quid sit?

Virgo in omnibus illis vsa, & non semel. Ecce Ancilla Domini.

At ille declinauerat, atque transierat. At ille absentia me sua, vt erat ipsi propositum, mihi vtile, Ecclesiæ necessarium, afflictam, & excruciatam voluit. Et quidem cum adolescens esset secedens, cum iam vir mortem subiens. Et rectè transitus, siue declinatio, mors, præsertim Seruatoris, qui [1] post triduum resurrexit. Vnde [2] phase idest transitus Domini in figura celebritas illa Hebręorum; qua in re voluntaria adhuc mors eiusdem innuitur. Declinauerat, inquit, atq; transierat. Oblatus siquidem ille, quia ipse voluit, & voluntaria morte voluntariè genuit. Vnde rectè [3] Pilato ait: Non haberes potestatem. Et rursum Hebræis: Potestatem habeo ponendi animam meam. Id, quod & ipsum de omnibus eiusdem actionibus dicendum est. Omnia siquidem ita voluntariè gessit Seruator optimus in omni vita, vt nihil supra. Quare & cum à matre secessit in Hierusalem, voluntariè declinauit, atque transiuit, non aliquo obiecto captus, ac ductus; neque alia naturali passione quadam ratione constrictus, à voluntate ipse sua, cum illa Patris conformi in omnibus, illuc Diuinorum caussa aduocatus. Sed si declinauit, atque transiuit, Virgo, Filius tuus, [4] Exspectans exspecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Id illi moris, & decoris experiri ita amantes, & ad magis amandum his ignibus, atque his facibus inflammare. Similis ille est capreæ, hinnuloque ceruorum, & fugit, & reuertitur ex ingenio

Declinare sponsi, quid fuerit?

[1] *Euang.*

[2] *Exod.*

[3] *Euang.*

[4] *Proph.*

probatissima. Manus affectus, digiti operationes. Vel manus, digitique simul, aut affectus, aut operationes; nam poëticè repetitio illa digitorum, siue additio manibus. Si igitur sponsa accurrit in fabula ad vas, & vnguenta effundit antea, quàm super sponsum effunderet, sensus ille erit: Affectus, operationes meæ pleni mortificatione, incorruptione, sanctitate; id enim myrrha, vt sæpè. Quò docemur, cum à Domino ad patiendum vocamur, quonam pacto nos agere debeamus; nam præterquam quòd exsurgendum nobis statim est per obedientiam, & ad internas vocationis nostræ voces responsa, accurrere ad vas myrrhæ debemus, idest incorruptionis, mortificationis: itaque obedientiam hanc nostram alijs cohonestare, confirmareque virtutibus, incorruptione præsertim, ac mortificatione. Nec dubium, quin ad recipiendum hic sponsum necessaria mortificatio, quando vt mortificet ille venit in hac vita, quos sit deinde in alia viuificaturus. Et hæc quidem mortificatio in affectu esse debet maxima, & in operatione; si quidem affectu promptissimos nos ostendemus, operatione verò prudentes, qui condiscamus pati, & tanquam præludamus virtuti. Id, quod illud est, quod repetijmus sæpius: [1] Paratum cor meum, paratum: [2] Hilarem enim datorem diligit Deus, & qui vsurpare belligerans possit prudens illud. Putaram. Et iam his me diu comparaui. Iam verò in corruptione, seu affectu ad incorruptionem, seu malis affectu ad immortalitatem, & parens incorruptionis, & futuræ gloriæ commodè, & decorè recipitur, tum præsertim cum venit, vt patientes faciat dolorum, & tolerantes; si quidem tunc maximè consideratione immortalitatis iuuamur. Vnde patientes veteres Hierusalem memoria in exilio, se in figura consolabantur: ac tunc maximè incorruptio conscientias consolatur, vt è contra corruptio, ac peccatorum facit. Vnde videntur quàm pessimè faciant homines, qui in tribulatione positi à Deo, per amicitiæ amorem, vt e tribulatione respirent, humanas, quæ præsertim in libidine sunt, sibi consolationes exquirunt. [3] Inquiruntq. cisternas dissipatas, & lutulentas ad sitis extinctionem. Sane tunc maxime seruanda castitas, & continendus animus, cum tribulamur; quodque castitati caussa est, ac fons, tunc maxime cum [4] Niniuitis ieiunandum, & abstinendum. Sed si sponsus ipse seram obliniuit, qua tacta, sponsæ manus, & digiti inuncti sint, alius erit sensus; nimirum vt myrrha virtus sit ad patiendum, & tolerandum, qua quidem non antea sponsus fugit, quàm seram inungat; nimirum non antea nos intus desolatos deserit experimento, & exercitationi, quàm virtutem, qua ferre possimus infundat; propter quod [5] fidelis, qui facit cum tentatione prouentum, omniumque nobis cedere in bonum nostrum permittit, & facit. Vnde recte respondet pie querenti, sufficit [6] tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur. [7] Et ego ero vobiscum, quamuis absens; aliaque. Quare sponsa aperiens inungitur ad distillationem e manibus, digitisq. myrrha; quia nimirum anima virtutem accipit tolerandi, quam affectu intus experiatur, foris operatione loquatur. Et hanc quidem virtu-

Qua ratione sponsus Christus Dominus recipiendus.

[1] *Psal.*
[2] *Paul.*

In tribulatione positi pessimè faciunt, qui ad libidines se conuertũt.
[3] *Ierem.*

[4] *Ioan.*

[5] *Paul.*

[6] *Paul.*
[7] *Euang.*

virtutem, quoniam, vt cetera vberem, copiosamque Virgo accepit, recte ait: Digiti mei pleni myrrha probatissima. Et notandum quòd sponsæ digiti non antea hac myrrha pleni, stillantesque, quàm exsurgat, & veniat adaperiendum, quia nimirum affectus nostri, operationesque non antea hanc virtutem sentiunt, quàm ipse homo disponat. Rursum pessulum hoc hostij interius oblinitum decore, quia hæc virtus in anima, & in animę potentijs interioribus. Sed an non hæc virtus in Virgine maxima, quæ ait: Quia fecit mihi magna, qui potens est? quæq. in cruce propterea se fortissimam ostendit, & aduersus tribulationes omnes præualentem.

Virtus tolerandi in Virgine Domina maxima.

Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.

Hæc, Declinauerat, atque Transierat, (nisi sint, declinauit, atque transiuit) faciunt me inclinare, vt putem, quòd e re, atque ex actione est; quoniam hęc referentis sunt; sponsam non statim vbi prodijt loqui cœpisse, vt dicebamus, sed post diligentissimam illam inquisitionem, & rumorem excitatum, ad quem mulieres hę, quibus narratur historia, prodierint; quas, de sponso infra quęrentes, qualis sit, non crediderim e choro esse, sed alias, in chorum accersitas.

* Pessulum ostij mei aperui dilecto meo. Me paratissimam, & promptissimam ostendi ad omnia, seu pati, seu compati necesse esset; familiare enim mihi illud cùm ore, tùm corde loquenti: Ecce Ancilla Domini, semel cum tanto fructu vsurpatum.

Pessulum aperire, quid sit?

Virgo in omnibus illis vsa, & non semel. Ecce Ancilla Domini.

At ille declinauerat, atque transierat. At ille absentia me sua, vt erat ipsi propositum, mihi vtile, Ecclesiæ necessarium, afflictam, & excruciatam voluit. Et quidem cum adolescens esset secedens, cum iam vir mortem subiens. Et rectè transitus, siue declinatio, mors, præsertim Seruatoris, qui [1] post triduum resurrexit. Vnde [2] phase idest transitus Domini in figura celebritas illa Hebręorum; qua in re voluntaria adhuc mors eiusdem innuitur. Declinauerat, inquit, atq; transierat. Oblatus siquidem ille, quia ipse voluit, & voluntaria morte voluntariè genuit. Vnde rectè [3] Pilato ait: Non haberes potestatem. Et rursum Hebræis: Potestatem habeo ponendi animam meam. Id, quod & ipsum de omnibus eiusdem actionibus dicendum est. Omnia siquidem ita voluntariè gessit Seruator optimus in omni vita, vt nihil supra. Quare & cum à matre secessit in Hierusalem, voluntariè declinauit, atque transiuit, non aliquo obiecto captus, ac ductus; neque alia naturali passione quadam ratione constrictus, à voluntate ipse sua, cum illa Patris conformi in omnibus, illuc Diuinorum caussa aduocatus. Sed si declinauit, atque transiuit, Virgo, Filius tuus, [4] Exspectans exspecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Id illi moris, & decoris experiri ita amantes, & ad magis amandum his ignibus, atque his facibus inflammare. Similis ille est capreæ, hinnuloque ceruorum, & fugit, & reuertitur ex in-

Declinare sponsi, quid fuerit?

1 *Euang.*
2 *Exod.*
3 *Euang.*
4 *Proph.*

genio amoris. Memineris quid ille suis dixerit: Et tertia die resurgam? [5] Post tenebras facit ille lucem; ad [6] vesperum dominabitur fletus, & ad matutinum lætitia. [7] Et quidem secundum multitudinem dolorum magna, vehemensq. lætitia. Sed te magnitudo doloris non facit inter horum recordationem respirare.

5 Iob.
6 Is.
7 Psalm.

Anima mea liquefacta est in sermone eius, &c.

Re enarrata, quoniam amoris defectui nè tribuatur malum (quod vtique summum putant malum, si expertes amoris per notam, præsertim sponsæ, dicantur) sibi meritò non tam ab inuidia aliquarum, aut ingenio, quàm à conscientia læsa timet, eo sollicitior, quò magis conscia, anteuertit reprehensionem, contenditque, neque per defectum amoris commissum, vt ille declinaret, neque per negligentiam, vt ille reuerterit. Anima, inquit, mea liquefacta est, vt locutus est. Siue vt LXX. egressa est in sermone eius. Dicendi modus, vt ille ab illo nescio quo [1] Charino: Cor ædepol miserum meum, quod guttatim contabescit, quasi in aquam tu indideris salem. Sed nostris quid eloquentius? quid artificiosius?

1 Plaut. in Mer.

* Anima mea liquefacta est in sermone eius. Scimus; vetus enim hoc tuum bonum, & non inexspectatum à te Idæa amorum, & lege. Et si Ecclesia quidem loqueretur, aut quæuis alia anima, id ad tegendum defectum, dictum intelligeremus; nunc verò, cùm ante profertur, ingenuè dictum accipimus. Animam tuam in sermone Angeli, vel naturali constitutione ad amorem propensam, liquefactam scimus; & ad verba dilecti. liquefacta est; & vt amantium est, egressa est in alium, in dilectum. Sed quid est, quod vel ad vnum verbum dilecti liquefacta est? Maximum amoris argumentum, & efficaciam verborum illius, & facilitatem tuam loquitur hæc liquefactio, mihi cum stupore, & admiratione, obdurescenti scilicet magis ad beneficia maxima, nè dicam ad verba, & significationem voluntatis. An est igitur hæc summa voluntas patiendi, & gratissima liquefieri ad sermonem? Cum alia inferior sit ad vocationem passionum sustinere, alia promptum se agere re, alia gaudere, alia liquefieri? Alius enim ait, modestè: [1] Persecutionem patimur, & sustinemus: alius: [2] Paratum cor meum, paratum. Alius adhuc aliter: Tu sola ad horum verba liquefias. Liquefacta est anima tua in sermone dilecti, quem scis verbi sermonem, cuius præsentiam nouem menses corporaliter in te habitantem habueris. Agnoscis verbi vestigia, in quocumque verbo, & non solum veneraris, quem amas, verum & valdè amas, quem veneraris. Sed nos hic longè digniorem, quam mulierem illam fortem prouerbiorum, nunc in his agnoscimus, & veneramur. Nihil horum de illa, & si plurima, & magnificentissima. En Solem agnoscis sponsum; en ignem, ad cuius sermonem liquefis. Et sanè ignis ille consumens, & oriens nomen eius. Quid ni facis, oriatur, & in cordibus nostris, vt liquefiant, & comburat, & in cineres redigat? O anima liquefacta Mariæ ad sermonem, & vocationem Domi-

1 Paul.
2 Psalm.

mini, quæ propterea in quodcumque illi vas conuerti potuerit. Sed cum amiseris Dominum tuum, Domina, siue progressum ad ea, quæ Patris sunt, siue mortuum, & extinctum. Quæsiuisti nè tu illum, & ad obtinendum vocasti?

Quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi.

* Quæsiui, & non inueni illum. Non dum inueniendi hora, quia non dum destinata.

Vocaui, & non respondit mihi. Cum igitur non quæres inuenies; vt sit diligentiæ hoc præmium; cum non vocabis, respondebit: nimirum ipse se tibi sponte tradet, & carissimum offeret munus. Sed quid fuit Virgini quærere? quid vocare? Sanè tempore amissionis quærere ipsum corporalibus spatijs, vt in Euangelio dicitur; reliquis temporibus, mente, animoque; quamquam, & mente adhuc tunc, & aliàs adhuc corpore, pro tempore, pro officio, pro necessitate quæsiuit. Et qua diligentia quæsiuit, quæ dramam totius orbis terrarum, & pretium quærebat? Vocauit, & quo affectu vocauit, quę parentem totius vniuersitatis, & decus vocabat? Et num solis vocabat vocibus? lacrymas adhuc, & suspiria addebat, tacitas voces, & efficaciores. Plorans enim plorabat in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius. Nunquid autem neminem inuenit? & si multos, neminem, dum non inuenit speciosum dilectum. Quare non fuit, qui consolaretur eam, donec ipsemet adfuit, qui solus potuit consolari. Id amoris maximi maximum argumentum, renuere consolationem omnem, & prę vnius amati consolatione nihili facere.

Virgo Domina, qua ratione Christum Dñm amissum quæsiuit, & qua diligentia?

Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatẽ.

Numquid igitur ad vrbem vsque progressa est? Non placent alijs hæc, quasi euenerint ficta, sed quasi euenire potuerint, non video quo ex imitatione artificio in dramate. Mallem dicere somnio deterritam, per quod hęc eadem ipsi acciderant, quæ superius enarrarat, prętexisse hanc causam, cur quęsitum non iret ipsa, quæreret magis, quæ quęrerent. Se inuentam à custodibus in somnio, alijsque pessimè acceptam, timere sibi nunc maximè (quam belle mos fœminæ hac in re præsertim, exprimitur) ne eadem per vigiliam fiant; portendere somnia sæpè vera, & somniantes monere. Quare adiurare ipsas, vt non quidem quęrerent: tantum non audere petere: sed si obuiarent, monerent, quid cum ipsa ageretur, & quo ipsius esset res loco. Malim tamen adhuc dicere, sponsam introductam, quę procurrerit noctu quęrendo vsque ad vrbem, à tertio ad quartum actum, (non multum enim distare diximus scœnam in suburbijs positam) ibi à custodibus, qui sibi timerent ab insidijs, nihil cognitam, malè acceptam, non ita tamen, vt ipsa, de more fœminarum, exaggerat dicendo; à quibus adhuc relicto pallio aufugerit. Et sanè sic certò existimarim propter decorum, quo his amor exprimitur, sponsa quę-

siuit [a] ad id iens, quia amati opera indigens.

Magna in his amoris vis, & extremum periculum. Audaciam veris amoris dixeris, vt contrà, illam timiditatem. [b]

Sæpè ego decepto volui custode reuerti.
Sed me, qui timidam prenderet hostis erat.
Si progressa forem, caperer nè nocte timebam.

Quamquam fortè, & ab amore hic timor.

[a] *Plat. verba in Parmen.*
[b] *Ouid. in Bris.*

Percusserunt me, & vulnerauerunt me.

Ceciderunt.

Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

Græci, κάλυμμα, operimentum. Hebræi Redid. Operis ductulis peplum, seu velum, passum, candidum, nitidum, ac purum, Rabbinis aliquibus testibus. LXX. Theristrum, quod etiam Philoni Maphorium. Noctu autem hęc fieri, vt sibi quisque noctu timet, intelligas ex his.

Nec [c] sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta prœmia veste petat.

[c] *Tibull. l. 1. eleg. 2.*

* Inuenerunt me custodes, qui circumeunt Ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me. Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Sanè hæc ad litteram cum Dominus absfuit, hunc commodiorem habent sensum, vt intelligamus, ipsam progressam, siue reuersam in Hierusalem ad quærendum, à custodibus malè verbis acceptam, iniurijsque, ac contumelijs, vt fit, per pessimas hominum huius generis conditiones, ac mores; Deo insuper permittente nobis exemplar virtutum omnium interea per summum artificium ex hominum defectibus, fabricante. Quæ quidem cum Virgine spiritualiter gesta, & in animo, Sponsa in fabula, eo modo explicat, quo communiter, & vulgò cum alijs fiunt. Quare percussa est sponsa, quia nimirum Virgo Domina male verbis accepta. Vulneratur insuper illa, quia hæc contumelijs affecta, & probris. Et in pallij per vim ablatione, & scissione, agnosce eas contumelias, eaque maledicta, quę secum dedecus, & ignominiam afferunt: Honestate enim se mulieres intus velant, & nomine, atque æstimatione decentium officiorum, vt pallio foris. Nihil igitur his amplius significatur, nisi quòd vt sponsa non inueniens inuenta est, & malè accepta, ita & ipsa Virgo non inueniens puerum Iesum, eius loco contumelias, & iniurias retulit. Quæ quidem vt illa non vt queratur, meminit, sed vt incitet magis ad quærendum amicas, commoueatque, ita & hęc. vnde subdit, Adiuro vos, &c. Hęc si ad ea tempora referamus priora; iam, quid si ad alia, deinde passionis, quibus animo, menteq. quęsiuit? Sanè meminit desolationis ab omni creatura, quam quadam ratione suo iure iniurias poterit appellare. Non inueniens quęsiuit, & inuenta est à custodibus, nimirum à principalioribus, & primoribus vniuersitatis huius creaturis, & ab his malè accepta. Sed quę nam

hæ?

hæ? An Sol, & Luna, quę obscurata sunt, & retracto lumine, tantum abfuit, vt consolari luce mœrentem potuerint, vt subtracta auxerint mœrorem? An vero Angeli, qui & ipsi in hoc malè acceperunt Virginem, in quo consolationem illam non attulerunt, qui magis auxerunt mœstitiam, mœroris calice oblato? An vero Dęmones hostes, quorum opera, & instigatione Christus filius, & detentus, & occisus est? An denique Apostoli ipsi Ecclesię principes, & mundi custodes, qui relicto illo omnes aufugerunt, & scandalum passi sunt? quo factum, vt nullo consolante relicta sit? Quidquid horum sit, compatimur percussę, vulneratę, expoliatę, idest ex compassione grauissima patienti. Et patienti quidem corpore, ieiunijs, vigilijs, itinerum rationibus, in animo dolore, mœrore, in honore, & fama, iniurijs, contumelijsq. quorum primum percuti est, alterum vulnerari, tertium exspoliari pallio. Sed quid interea rebus remedij?

Adiuro vos, filiæ Hierusalem, si inueneritis.

Modestè petitum, at quo ad mouendum nihil sit efficacius. Non ita illa modestè: fortè propter imminens malum. [1]

Hei mihi amici opem ferte in hac
Ineuitabili fortuna, & ex vobis alij properent.

Aliaque.

[1] Leg. apud Soph. in Aiace Flagellif.

Dilectum meum.

Putabat omnibus notum. Nunquam illæ viderant. Mirum quòd non &, Vestrum addiderit; in omnium esse delitijs putans, ex amore. Vbique, atque vndique scatent amoris proprietates.

* Adiuro vos, filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum. Dum sponsa ad chorum, Virgo ad Angelos, quibuscum familiariter vsa alloqui, se conuertit. Et modestissimè modestiæ parens, atque altrix ab illis petit, si inuenerint dilectum. Sciebat enim Angelis peruia, facilia. Et Angelos quidem omnes, ac quoscumque alios omnibus notum, immò & dilectum. & quorsum hęc adiuratio?

Vt nuntietis ei, quia amore langueo.

Septuaginta, quid annuntiabitis ei? (quam decorè, & interrogat, cui multa obueniant, & respondet,) quoniam vulnerata charitatis ego sum propter ipsum.

[2] Ego pereo, ego occaso.

Adolescentulæ primum vocibus accersitæ, deinde fletibus commotæ, nunc precibus incensę, in primis vero causa rei ipsius, modestisq. languentis petitionibus, iuuandæ omnia sponsę se accingunt. Quare sponsum exquisiturę, de illo, vt noscere possint, diligenter interrogant.

[2] Plauti verba in Casin.

* Vt nuntietis ei, quia amore langueo. Ex amore. Sciebat enim & id ab illo optimè sciri, quem scrutatorem cordium in carne sciebat. Est autem, amore langueo: Valdè & intensissimè amo. Is enim

excstasis

excstasis potissimus effectus amoris, vt concupiscat quis, & deficiat, incipiatq. se illius, quod amat, caussa relinquere. LXX. vulnerata caritatis ego sum. Id ipsum est; nam cum vulnerat amor, maximus est; si quidem ad mortem vulnus tendit, mors autem extra ire facit, & excstasim verè pati. Itaque cum alios vix pupugerit amor, alios vix affecerit, Virginem Dominam vulnerauit ad mortem, quo scilicet vulnere vitam tandem finiuit, siue meliore commutauit. Felicia vulnera quærenda, non fugienda cum grata sanguinis effusione inflicta, dum cum iucunditate infusione ex amore, & voluptatis, imposita. Quid ad hęc, Adolescentulæ in fabula? Quærendo sponso se accingunt. Quid hic Angeli, siue quicumque? Idem Virginis causa faciunt, à Virgine ipsa nuntij ad Dominum. Et ipsi de illo interrogant, si nouerint, vt amantem loqui faciant: nihil enim auditu dulcius, ac suauius; si non nouerint de hoc, vt sciant ex ipsa. quo rectè à nobis sæpè dictum, multa Angelos à Virgine edoctos, à quibus alia, & ipsa sit docta. Quare

Qualis est, inquiunt, dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto?

Ac si. Fare, iam age, Fare. Exprimitur iuuandi voluntas.

Ex dilecto. Septuaginta, fraternus à fraterno. Hebr. Præ. Videtur sensus, quid differt tuus sponsus ab alijs, aut quid prę alijs singulare habet, vt quæramus, quia; quando scilicet sic adiurasti nos?

* Qualis est, inquiunt, dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto? Agnoscunt mulierum pulcherrimam, quam scilicet fuissent præ ceteris admirati, cui magna facta desuper iure putassent, quam electam, & præelectam intellexissent, à qua sibi gratiam, & iucunditatem fuisse sensissent iucundissimo, & gratissimo sensu voluptatis. Denique quam in amore præstantem viderent, & cui in amore amorem ipsum quadam ratione concedere. Cuius vmbram, ac typum ex argilla extitisse longissimo tempore iam inde ab initio, & res, & homines viderent. Nec quidem in omnibus, sed vnumquodque aliqua in re, quòd exprimi ab vno tam insigne, ac praclarum opus, siue adumbrari nequiret. Iam verò & pulcherrimam corpore, pulcherrimam animo fatebantur; fontem omnis pulchritudinis, ac Solem, vnius tantummodo riuum, ac radium. Et sciunt quidem ipsam suis ipsius laudibus non delectari; at continere se nequeunt, quo minus laudent. Ita laudibus dignissimam, & Encomijs; habent enim id optima, vt & ad se rapiant, & sibi mancipent, & secum esse faciant, ac de se plenissimo ore prędicare. Sensus autem illorum: Qualis est? Idem est, ac diximus in fabula. Quid præ alijs singulare habet, vt quæramus? Sed pace vestra quicumque hæc interrogatis ex Virgine, quam malim putare, vt dicat à vobis interrogatam, id vestras esse delitias. Etiam quid non habet dilectus Virginis singulare? An non singularis homo, singulari-

gulariter conceptus, ac natus? An non fonti pulchritudinis vicinior? An non est ipse fons? An non dignus, qui à dignissima Virgine, & vestro testimonio pulcherrima amatus, atque dilectus? Sed quando vobis ex ipsa voluptas audire, iam dicentem accipite, siue magis pingentem admiramini.

Christi Conin singularia quædã.

Dilectus meus.

De qualitatibus sponsi interrogata sponsa, vt hæserant altè omnia, seque illis ipsa imbuerat, eumque menti depinxerat amor, vt depinxisse videretur; vix irritata in fauillas emicat, erumpitque ad tactum, & sponsi laudum aureum quoddam euomit, quod diu imbibefat, flumen; nec tam vt scœnæ, ac tempori seruiat, quam vt amori satisfaciat, suo decoro indecoro. Quo adhuc [1] currentibus calcaria addit, nimirum stimulos ad quærendum. Dilectus meus, inquit. Et [2] depingit ipsum ipsius met coloribus, quamquam suo pennicillo, [3] sermonis scilicet hæres.

[1] *Adagium ex Plin. Iun. in Ep. ad Pompeium Saturninum.*
[2] *Adagiũ Cic. Epist. ad Q. Fr. lib. 2. Epist. vlt.* tuis coloribus, meo penicillo. Depingere aliquẽ suis coloribus, tuo penicillo, quid?
[3] *Plat. lib. 1. de Repp.* Sermonis hæredem *dicit, qui dicat eadẽ, quæ alius.*

Candidus, & rubicundus.

Candidus corpus, rubicundus genas. E medio puellarum, & poëtarum sermo. Duos simul, pulchritudinis theatrum faciem, maximè decentes colores.

* Dilectus meus, inquit, candidus, & rubicundus. Sed abest ille, quid iuditium de absente ferat? manent infixi pectore vultus cordi, solatium, menti lux, siue mens. Sed nos hęc eodem, quo superius ordine, prius quidem ad corpus, tum ad animum referamus. Ad corpus autem breuiter, siquidem eadem illa sunt, quę in fabula, eandemque habent interpretationem. Dilectus meus candidus corpus, rubicundus genas. Ita ex veritate, ex certum relatu, qui hęc tribuunt. Hac optimę constitutionis signa, faciei imperio dignę argumenta. Nam non video quo fundamento pulchritudo Christo negata? An ex nostra libenter sententia loquimur? An suspecta nobis post peccatum pulchritudo corporis, vt nobis sine incitatione ad malum esse non possit? An Prophetas de passione loquentes malè interpetramur ad animum referentes? O igitur candorem candidè collocatum, ò ruborem dulcè flammantem, ò pulchritudinem non tam ad dandam, quam ad accipiendam pulchritudinem à Christo Domino acceptam.

Christi Domini corporis conditiones.

Christo Domino pulchritudo sine fundamento negata.

Eelctus è ex millibus.

Septuaginta, è decem millibus, ex infinito numero. Alij vexillatus. Alij Antistes Princeps, signifer alij ex Hebræo. Id fœminili locutioni accommodatius, si nostra illis respondent, & fœmina semper fœmina; Siculæ (porta la bandera.) Omnium præstantissimum sibi [1] Deianira dixit virum, quę ex parte explicant. Α᾽ φιλαυτία, idest amore sui, non modò suum vnicuique pulchrum, etiam non pulchrum; verum & singulariter pulchrum; vt merito illa dixerit, immeritò amans, & turpiter.

[1] *Deianira apud Soph. in Trachinijs.*

Hyppo-

[2] Hyppolitum, videar prępositura Ioui.

Prudentissimè autem, dum, [3] non alios improbat, vnum probat, sed alios probat, vnum pręfert probatis, [4] dignissimum inter multos repertum.

Atque hæc in vniuersum. Tum peculiaria addit, quę benè ostendit [5] se habere, ac noscere, quę alteri monstrat, & dat.

* Electus ex millibus. Illud [1] Speciosus forma pręfilijs, inde dux Prophetis.

[2] *Phædra apud Ouid.* [3] *Plat. verba in Conu.* Semper loquendo te, & alios improbas, vnum Socratem probas. [4] *Plat. in Phæd.* [5] *Ex Plat. in Con. Or. Agath.* quæ nec habet aliquis nec noscit, alteri dare, vel monstrare non potest. [1] *Psalm.*

Caput eius aurum optimum.

Nihil ad capillos. Ad formam capitis. Caput formosum, affabrè factum, delectans. Optima auro emuntur, optima, & significantur. Et prętium, & ipsum valet. Est autem aurum optimum, alijs obrizum, alijs primum, alijs alia, nostro interpeti, optimè optimum. Ad omnia relatum aurum, siue ad aurum omnia pulchra. siquidem, [1] vel turpia, auro adornata, pulchra. Vnde,

[2] Aurea tunc pressos pedibus dedit vua liquores.

Melius; & si non à poëta; ab amatore.

[3] Amicissimus es, & te vera aureus, ò Phedre.

Et optimum dicere voluisse videtur.

* Caput eius aurum optimum. Formosum, affabrè factum scilicet, sedeo sapientiæ, curia Diuinę intelligentiæ, forum optimarum cogitationum, templum religionis, ac pietatis.

Capitis laus. Auri multæ laudes. [1] *Plat. in Hipp. maior.* Turpe pulchrum videtur auro perornatum. [2] *Tibull lib. 2.* [3] *Socr. in Phæd.*

Comæ eius, sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.

Comarum laus.

Vides ordinem notitiæ. Color, caput, capilli; & comæ quidem plurimum ad notitiam. Vnde ille,

[4] *Theoc. Idyll. 2*

[1] Vidi Delphin simul, & Eudamippum euntes.
His autem erat flauior quidem Helichyso barba.

sunt & in oculis comæ.

[5] *Agam. apud Eurip. in Iph in Aulid.*

[2] O pectus, ò genæ, ò pares auro comæ. Molles.

Nigræ quasi coruus. Ita pulchri. Vnde.

Spectandum nigris oculis (pupulis) nigroque capillo.

* Coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Ita historię loquuntur, ac deinceps; superfluum enim esset omnia recensere, pręsertim ad interiora properantibus. Iam igitur ad hæc:

Christus Dominus cãdidus. quid? [1] *Psalm.*

Dilectus meus candidus. Purissimus, Virgo, virginitatis fundator, ac parens, sine macula, [1] innocens manibus, ac mundo corde, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Rubicundus quid? [2] *Euang.*

Et rubicundus. Flammescens caritate, & ipse propter peccatum nostro sanguine rubescens fores, intus ardens caritate. propter quod vestimenta eius [2] alba sicut nix in transfiguratione, facies sicut Sol, quę cor est, siue cordis theatrum. Si inuenietis, intra Doctores candide docentem reperietis, quippe qui veritas ipsa est, & zelo paterni honoris

honoris ardentem, quippe qui Filius verus sit. Si apud inferos degentem, consolantem, recipientem, exspoliantem; ipse est.

Electus ex millibus. Non enim est inuentus similis illi, qui vt non inueniretur, pręcellens conditus est. Singularis ille homo singulariter conceptus, plenus gratia, & veritate. Speciosa forma ab humero, & sursum, præeminens in nobilioribus, vt humerus, & caput sunt. Electus ex millibus, cui electi ceteri, vt vni seruirent, & quem vos Angeli iussi iam inde ab initio, ac [3] denuò in orbe terrarum introductum adorare. Mihi vnus pro centum millibus est, vnus electus, cui totus mundus seruiret, finis omnium, ac principium. [4] α & ω. E decem millibus ille quidem electus, idest ex infinito numero non solum Creatorum verum etiam creari possibilium, quos scilicet Deus auctor intelligit, vexillatus; nam si aspexeritis, de facie ita noueritis, vt dixeritis & de imperio simul nouisse. Antistes. vnde exultauit, [5] vt Gygas ad currendam viam (Hęc Virgo Angelis, Scripturas si opus esset interpertrans.) Princeps. quo Is. [6] princeps pacis. quare veri principatus princeps, qui in pace est. Signifer, immo & signum positus, id est in signum.

[3] *Paul.*
[4] *Apoc.*
[5] *Psal.*
[6] *Is.*

Christi Domini caput aurum optimum. quid?

Caput eius aurum optimum. Sapientia eius aurea, optima, dignissima, veritas ipsa; Datus enim à Deo [7] in Doctorem gentibus, primum, pręcipuumque, immò & in Doctorum Doctorem. Et rectè caput sapientia, quę pręcipuum quid in homine est. Ad veritatem autem omnia, non ex ingenio modò amoris; nam vt de increata Christi Domini sapientia omittamus, & de creata tantum modò loquamur, certè hęc aurea, nimirum supremi valoris, & pretij, quę vt aurum optimum, omne in se vt metalla sapientiam continebat. Et vt ab auro rebus pretia, ab illius sapientia ceterarum mensura, & dignitas, vt quę ad illam magis accederet, ea esset ex multis melior. Sapientia nostra neque aurum, quia [8] stultitia apud Deum, quia mendax; siquidem [9] omnis homo mendax: neque si aurum, aurum optimum; nam aurichalcum, sapientia scilicet mentita; aut aurum minimi pretij, quia paruum lumen est in nobis. Christi Domini vero sapientia aurum optimum, quod vtique emere nobis consilium, & ratio est, vt ditemur; siquidem vel Christum ipsum sapere, vel cum Christo, vel in Christo, id sapientia: quorum alterum fides, alterum spes, tertium denique caritas. Totum vero caput eius aurum, quia tota sapientia eius Diuina, Diuinorumque, & ad Diuina collata; nihil scoreæ, humanæ ad humana, & terrena. Sed & per caput possumus adhuc, si Virgo creaturas alias ab Angelis, quas informet, alloquitur, & quas in agnitionem dilecti sui enitatur adducere; diuinitatem Christi Domini intelligere; siquidem Christi caput Deus. Et ab hac quidem rectè exordia laudum Virgini; id enim caput, atque origo bonorum omnium in Christo. Hinc fluenta gratiarum. Hinc decora. Hinc vidimus eum [10] plenum gratiæ, & veritatis, quia nimirum hinc vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, quod est affirmatiuè vnigeniti. Hæc porrò diuinitas aurum optimum; siquidem hęc

[7] *Is.*

Sapientia Christi Domini. quæ?

Sapientiæ nostræ mala.

[8] *Paul.*
[9] *Psalm.*

Christi Domini caput diuinitas, à qua omnia bona.

[10] *Io.*

hęc summa, & bonorum ratio. Sanè si sapientiam creatam intelligimus, optima testis illius Virgo, quę ab illa suam deriuarat; & in illa iucundabatur, & intelligens, & intellecta, ac suo modo & comprehendens, & comprehensa; Non enim duorum diuinorum amantium diuine ardentium sibi inuicem mutuus erat oculorum tantummodò aspectus, mutua oris colloquia, aliaque; verum & in terra adhuc mentium, & cordium contemplatio. Iam verò si & increatam, adhuc optima testis, idest oculata, quę sæpius, vt sępè diximus, vsque ad contemplationem diuinitatis vel in hac adhuc vita, erecta, vt ferre potest mortalium, & iter agentium conditio, atque ratio. Et quadrat si ab Angelis alios alloquitur, vt de increata sapientia, ac de diuinitate interpetremur hac; si quidem illos in Dei agnitionem ferebat sapientissimè, eam nimirum, qua maior alia non esset; vt id, quod est de Deo, quodque omnibus vulgatum est, sentirent; Eum esse scilicet, quo nihil melius, neque maius sit aut esse possit. id quod per aurum optimum rectè explicat; siquidem hominibus neque auro quicquam melius, neque optimo deinde carius, ac pretiosius. Sanè caput tuum Virgo, aurum optimum, nimirum optima sapientia, quæ tam altè, tamque sublimè de vera sapientia philosopharis. Sed iam ad alia nobis signa, tibi amorum eruptiones progredere.

B. V. optima testis Sapientiæ filij Dei.

Comæ eius sicut elatæ palmarum. Comæ, cogitationes sapientes; à capite sapientia, siue à creata, siue communione increatæ. Hæc sicut elatæ palmarum molles, tractabiles, id est dignę, & eius, qui docibilis in primis esset Dei.

Christi Domini comæ quid?

Nigræ quasi coruus. In vnum scilicet defixę, collimantes ad vnum auctorem, eiusque gloriam; huius enim rei symbolum nigredo, quæ visum congregat, colligitque; atque ita pulchræ cogitationes à pulchro capite. in hoc enim cogitationum omnis est pulchritudo, vt omnes ad Deum, & in Deum dirigantur. propter quod Dauid, [1] Tibi, inquit, Fontes mei. quod est cogitationes internæ meæ, quę principium operationum sunt, & quasi fons; sic enim illa legunt alij, Sicut [2] lætantium omnium habitatio. Id autem Christo Domino proprium, ac familiare gloriam Patris semper quærentis, & in illius se honore, ac gloria gloriantis, qui propterea in his, quę Patris sunt [3] semper est, & vel cogitat orando in monte de Patre, vel pro Patre operatur, nostro adhuc exemplo ac documento.

Cogitationũ pulchritudo in eo, vt omnes ad Deum dirigantur.

1 Psal. ibi, vbi dicitur, sicut letantium. Hebr. tibi fontes mei.
2 Psalm.
3 Euang.

Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, &c.

Oculorum laus.

Omnibus, sicut oculi columbarum, scilicet nigri pupillam candenti albumine, nitentes. Pulchri enim columbarum sunt oculi, præsertim candidarum, quod est lacte lotarum, & lautarum, atque ad fluenta residentium, nitentium aquarum ad lucem reflexu, & maximè palæstinarum. Mihi sicut columbæ ipsę. Eodem sensu. Nam vt quid non columbarum dixit, vt suprà, sed sicut columbę? sicut columbæ igitur oculi, nimirum ad aspectum pulchri, amabiles: sic à natura columbæ. Nigri pupillam, candenti & albumine, & facie, vt pupu-

la pu-

la pupulæ, albumen, ac facies candens, toti columbæ corpori comparata sint, certis præterea interuallis distantes inter se; sic resident nescio quo instintu columbæ: quieti, deiecti ad terram, vt columbę, cum resident iuxta aquarum fluenta, hostis vmbræ desuper volantis intentæ. Vnde adduntur illa, Quæ resident iuxta fluenta. Quod idem est, ac habent LXX. super plenitudines. Sed quod super fluenta, aut super plenitudines ex Hebræo nobis est, idem esse potest ex eodem, pro ipsarum columbarum sedibus, atque cubilibus. Et id maximè nostræ expositioni fauet, dum oculos columbis ipsis dicimus comparatos. Est autem in eo præter cetera comparatio, quòd deceant, quod suo loco sint, tanquam sedibus, nec tam ipsi à sedibus, quàm ab ipsis sedes ornentur, vt à columbis nidi. Quadrat, quòd superius sponsus sponsam columbam dicens, vt sui videndi copiam in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ faceret, rogabat. Sed modestia, ac quies maxima oculorum laus, crebra enim nictitatio palpebrarum, & velox orbium motitatio malè affecti animi inditium. Vnde rectè dicitur.

Crebra nictitatio palpebrarũ, & velox orbium motitatio male affecti animi inditium.

[a] Circum spectatrix cum oculis emissitijs,
Quæ in occipitio quoque oculos habes pessima.

[a] *Plaut. in Aul.*

Rectè igitur dicitur, Quæ resident.

* Oculi eius, sicut columbæ. Id ipsum hic oculi, quod cum de Virgine. Verba enim sunt hæc à Virgine Domino resignata, nisi quod maiorem necesse habes in Christo perfectionem, absolutionemque virtutum, & decorum agnoscas. Atque idipsum Genę. De quibus ait.

Genæ illius, sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs.

Genarum laus.

Velint sibi alij lineas sulci, turres longinquitatum; qui amantes nouitatum, si hęc posita essent, mallent areolas aromatum. Rusticana hortensis comparatio, apta satis, areolę aromatum, præsertim multa arte consitæ, vt ab his, qui in pigmenta laborant; forma, odore, colore, pari pręsertim cultu, & ęquis inter se spatijs distantes valdè delectant. Olebat sponsę per genas sponsi anima, decentibus se depingebat coloribus, ac binis æque probeque dispositis, & pulchris viridarijs, aut melius areolis spatiabatur. Ipsa oculos, naresque pascebat. Poëtica autem comparatio, & artifitiosa benè consitis, qualis illa eadem arte.

[a] Talis in vario solet
Diuitis Domini hortulo
Stare flos Hyacinthinus, bene cultus.

[a] *Catull. in Epith.*

* Genæ illius sicut areolæ aromatum consitę à pigmentarijs. Amor Dei, Christi ordinati amores, duplex caritas, qua nihil neque ad aspectum iucundius, neque ad odorem suauius, neque ad pretium melius.

Labiorum laus.

Labia eius lilia distillantia myrrham primam.

Lilia purpurea in Syria.
[1] Ex Plin. & Diosc.

Lilia scilicet purpurea. Hæc vna labioru laus vtrique sexui. [1] Purpureis Syria lilijs laudatissimis gaudet. Fortè in nitore comparatio, vel in leuitate. vel distillantia (labia) myrrham primam, scilicet electam, transeuntem alij, vel pretio, vel diffusione sui maximè fragrantem. Ad habitum relata, quem suauissimum dicit. Hic ad sponsas plurimũ.

* Labia eius lilia. Scilicet purpurea, verba plenissima caritatis, flammantia; vnde Apostoli, Verba vitę ęternę habes: & Dauid, Diffusa est gratia in labijs tuis.

Verborum Christi Domini finis immortalitas.

Distillantia myrrham primam. Verba suauissima, iucundissima, & quod proprium est verborum munus: immortalitate animos, vt myrrha corpora, condientia. Et sanè eò tendebant optimi præceptoris, & Ducis verba, vt immortalitas esset in votis, despectui mortalitas, & contemptui. En lilia: [1] Hoc est pręceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. En myrrham primam: [2] Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. En lilia: [3] Solliciti seruare vnitatem. En myrrham: [4] Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. O mihi purpurascant, & vernent tua lilia. O myrrham suauissimam, ditissimam. Fortè & distillantia myrrham primam est, docentia veram, sanam doctrinam, præsertim eam, quę in mortificatione affectuum nostrorum est; & id enim per myrrham, quæ amara, significatum. Vnde frequentia illa in ore Domini: [5] Nisi quis renunciauerit. Et rursum: [6] Potestis bibere Calicem. adhęc: [7] Nisi quis reliquerit Patrem, aut Matrem, aut agros, aliaque. Et myrrha prima erant ea verba cum Hebræos reprehendit, & exagitauit ad veritatis agnitionem, & lucem. Amara quidem hęc myrrha, at pulchro à Donatore pulchrum vtique donum. Loquere igitur, Domine, quia audit & accipit seruus tuus.

[1] Euang.
[2] Eu.
[3] Paul.
[4] Eu.

Verba Christi Domini docentia mortificationem.

[5] Eu.
[6] Eu.
[7] Eu.

Manuum laus.

Manus illius tornatiles.

Prolixius, at offitiosè. Tornatiles, affabrè factę, decenter in orbem tumidulę. Vno verbo, aureę: omnia vno complexa est.

Christi Domini manus tornatiles quid?
[1] Eu.
[2] Eu.

* Manus illius tornatiles. Operationes perfectę, & perfectissimę quidem, vnde illi: [1] Benè omnia fecit; [2] &: Qualis est hic, quia mare, & venti obediunt ei? Perfectę, finem assecutę operationes, quę & ipsę omnes propter Deum. Affabrè factę, sapientia duce, assistente, decenter tumidę, plenę & ipsę doctrina, atque exemplo. Neq; enim solum verbo docere venit, verum & rebus. Vno verbo aureę, nimirum ipsę infiniti valoris, ac pretij, iucundissimę aspectui, pretiosissimæ re, salutem nobis nostram, & toti orbi operantes.

Plenæ Hiacynthis.

Hebræi, plenæ Tharsis. Idem, nisi Chrysoliti sint. Pulcherrimis, coloratissimis, pretiosissimis, suauissimis, aut vnguibus, aut melius digitis, quos referunt forma.

Ple-

* Plenę Hiacynthis. Siue ornamenta extrinseca, ideſt annulos, ſiue digitos ipſos, vel articulos intellexerimus. Plenæ pretio operationes, plenæ miraculis, quæ admirationi ſunt hominibus pariter, & vtilitati, vt Hiacynthi; ſic enim illi cum dicerent: Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui; vnde grauiſſima Hebræorum ingratitudo tot acceptis, & contemptis beneſitijs. Sed tu vide, Domine, quid aliquando dixeris, [1] margaritas non eſſe porcis mittendas. Hiacynthos nè dederis porcis, miracula nè in ingratos collocaueris. At vicit omnia amor, & vetuſtiſſima beneficiendi conſuetudo. Sed quid eſt, quod plenæ ait? Quia nimirum frequentia hæc miracula, paſſim, vulgò, vt ingratitudine obdureſcente viluerint, vt dicere potuerit: Operibus credite, ſingularibus, eximijs, cœleſtibus. Nunc de plenitudine eius, & horum miraculorum accipimus.

Plenæ Hiacynthis quid?

[1] *Eu.*

Venter eius eburneus.

Nihil hæc ad notitiam. Ad amorem exprimendum plurimum. Inuenias ſic in ſcœna apud poëtas loquentes ex affectu: Vrgente tamen negocio, & nihil moræ patiente. Sed quid eſt eburneus? candens, nitidum. Pectus intelligit, à cuius aſpectu de reliquis partibus fuerat argumentata. Apud [1] Theocritũ, poſt barbã, pectus laudatũ inuenias.

His autem erat flaua barba. Et deinde.

Pectora autem ſplendentia, multo plus quàm illud lunæ.

* Venter eius eburneus. Si nihil hæc in ſcœna ad notitiam, niſi ad amoris expreſſionem; certè & hic in re nihil adhuc (vt omnia concinnemus, faciamusq. omnibus reſpondeantia) ad notitiam, ad amorem potius Virginis declarandum. Quare venter erit, quia pectus eſt, cor, atque adeo voluntas candens, & nitida. propter quod docens orare ait: [1] Fiat voluntas tua. & orans: [2] Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat, ſe optimum comprobans præceptorem.

Ventris laus.

[1] *Idyll.* 2.

Cordis Chriſti Domini candor.

[1] *Eu.*

[2] *Eu.*

Diſtinctus Saphiris.

Aut floribus, quibus ornabantur de foris, aut tuberculis ſanguine rubeſcentibus, quibus notantur, & virigantur. Abundant adoleſcentes pleni ſanguine, & carnibus. Rubent præterea [1] Plinio Sapphiri. Si flaueſcant, non incongruè quis intellexerit lanuginem primam, vel in pectore flaueſcentem.

* Diſtinctus Sapphiris. Voluntas ardens amore patiendi, operandi ſalutem noſtram, flaueſcens lanugine, alijs ſcilicet deſiderijs in voluntatem Patres tendentibus.

[1] *Plin.*

Voluntas ardens eiuſdem.

Crura illius.

Tibiæ, & femora.

Crurium laus.

Columnæ marmoreæ.

Alij pariæ. An alba? an ſolida? an affabrefacta? an recta? an magis omnia.

Quæ fundatæ sunt super bases aureas.

Pedes adhuc laudat. Aureas, crediderim auratas. Comparatio à muliere adhuc vrbanis assueta.

Crura quid in Christo Domino.

* Crura illius. Ideſt tibiæ, ac fœmora, columnæ marmoreæ, quæ sunt fundatæ super bases aureas; nimirum ſolida, firma, affabrè fabricata. Hæc virtutes sunt, vel affectus, quibus nimirum incedimus & aliò nos ferimus. quæ quidem in Christo ſolidiſſimæ, dum ille ita [1] peccatum non fecit, vt nec facere potuerit. perfectiſſima, & potentiſſima impotentia. Dum nihil ſtultitiæ in eo ex mutatione voluntatis. Dum pulcherrimus affectus, & deſiderijs omnibus. Dum omnibus Spiritus ſancti artificis donis elaboratus, vt [2] Iſaia quod prædixit futurum, impleretur, qui ſi & timorem habuit, ſolidum adhuc habuit, dum habuit filialem, & vt decebat, nihil conſcientia formidante. Sed concludente ſponſa, & Maria adhuc concludit.

[1] *Iſ.*

[2] *Iſ.*

Species eius (*concludit artificiosè omnia*) vt Libani.

Aſpectus ſcilicet vultus, & totus corporis habitus, vt ſpecies Libani, iucundus, & decorè procerus, præ cunctis hominibus. Poëtica hominum montibus comparatio.

Quantus Atops, aut quantus Eryx.

Vultus Christi Domini dignitas.

* Species eius, vt Libani. Vt ſcilicet ſpecies Libani. Quod eſt: Aſpectus eius aſpectus, ac vultus candidi; ſic enim interpetramur Libanum; nimirum vultus immortalitatis, æternitatis, ſpirans æternum illum candorem, ac gloriam; vt qui videat, non modò in vultum Angeli ſibi intueri videatur, verum & in vultum Domini, vt eſt, Angelorum. Et aſpectum quidem, omnem aſpectum internum, externumque cognoſcimus. Sanè his illa vultus maieſtas notatur, atque deſcribitur, quæ modò deterrebat elucens foras, atque emicans hoſtes, modò ſuos conſolabatur; cuius Virgo hauriebat emanantem totam lucem, amici ſcilicet amicæ nihil ſubtrahentis, aut non reuelantis; ceteri per partem; ſic ſuum ardens Adam, & perfruens; ſinemque ſuum aſſequens, atque interea ad labores, doloreſque ſe præparans. Verba ne igitur vitæ æternæ ſolummodo habes, Domine, Apoſtolis? iam & vultum vitæ ęternæ Mariæ, quæ propterea te abſente ſic dolet, & cruciatur, ſuo nimirum abſente Sole, exterminato propter ſcelera noſtra Adamo, ſua extincta ad modicum luce, quod ſit ipſi præ amore non modicum, ſed æternitas. Quòd ſi vultus, atque ora loquuntur, verba in vultu vitæ æternæ habes: vnde propterea ſedente alia Maria peccatrice ad pedes tuos hæc tuo hæret in vultu, ab aſpectu pendet tuo, inſcriptione in ipſius vultu tacita. Loquere, quia audit mater tua; [1] Candor enim es lucis æternę, ſiue flos, & delitiæ.

[1] *Sap.*

Ele-

Electus vt cedri.

Altus, procerus. Hebræi procera electa dicunt. Vnde Saul filius Cis, primo Regum, quòd corporis proceritate superaret omnes ab humero, & sursum: dicitur, quòd erat electus, & bonus, quod est procerus, & pulcher. Et est cedrorum altitudo. Hæc ad externa corporis pertinere videri poterant, quare addit de voce, ac verbis.

* Electus, vt Cedri. Altus, procerus, sublimis, nimirum in terris, vt primi Angelorum, & celsissimi Cherubim, atque Seraphim: Hi Cedri, è quibus alij flante superbia deturbati, & eiecti in incendium; vnde dictum, Vidi impium [1] exsaltatum, vt cedrum: transiui, & ecce non erat. Qui quidem rectè cedri in monte gratiæ, & beatitudinis, scientia, amoreq. sublimes; immortales præterea natura, & incorrupti deinde à gratia, ac gloria. Et quidem his Dominus maior, à quo in illos gratia, ac gloria; non enim solum nobis; verum & illis adhuc [2] gratiam, & gloriam dedit Dominus omnium vnus; atque communis fons, & origo. Ceterum vt illi, idest Cedri, dictus nostri causa; nihil enim nobis illis sublimius. Sed reuertere Virgo ad verba; nouimus enim tibi nihil accidere gratius, quam si ille loquatur, cumque mel sint cetera, hoc tibi saccarum ipsum esse. Verbo delectaris, & verbis.

> Christus Dominus electus, vt cedri, quid?
> [1] Psal.
> Angeli Cedri, & cur?
> [2] Psalm.

Guttur illius (*Hebræi* palatum) suauissimum.

Cum nimirum loquitur, totus mel, totus saccarum est. LXX. Guttur eius dulcedines.

* Guttur illius, siue palatum suauissimum, vel vt LXX. Guttur eius dulcedines. Sanè assentimur, si quidem ille verbum, ille verborum ratio, ab illo sapientia, & dulcedo. [1] Diffusæ sunt gratiæ in labijs eius, nè dicam gratia: Nisi gratia sint omnes gratię. Felix Maria alia, quę sedens secus pedes Domini audit verbum illius. Sed longè tu felix nostra, quę stans, siue sedens, & complectens, & osculans adhuc, verba vides non tam loquentem, quam imprimentem.

> Gutturis, & verborum laus.
> Verborum Christi Domini dulcedo.
> [1] Psal.

Et totus desiderabilis.

Septuaginta, & totus desiderium. Hebr. & totus desideria. Diuus Hieronymus, & totus concupiscentia. Idem omnibus, totus gratia, & lepos, & qui in se omnium desideria conuertat. Conclusio & amans, & optima.

* Et totus desiderabilis. Et totus desiderium, vt LXX. vt Hebr. totus desideria, vt Hieronymus, & totus concupiscentia. Totus gratia, & lepos. Desiderabilis corpore, desiderabilis anima. Et corpore quidem; caro enim est [1] pro sęculi vita, panis de cœlo: Caro incorruptionem inducens, & spiritum. Sanguis adhuc cœlestis potus, [2] germinans virgines, vinum electorum, [3] vindemię defæcatæ. Iam verò anima; est enim plena gratia, & gloria. Nam quid de diuinitate dicam, quæ ipsa est fons vitæ? Iam vero totus desideria,

> Christus Dominus desiderabilis corpore, & anima, præsertim Virg.
> [1] Eccl.
> [2] Proph.
> [3] Is.

incendit, cum loquitur; verba enim vitæ habet; cum videt, sauciat amore animas, liquefacit vt Sol, respicit, & facit lacrymis irrorare, cum incendit; Virtus enim de illo [4] exit, quę sanat omnes. Desiderabilis in terris est ad gratiam, in cœlis ad gloriam. Et quidem siue in vtero meo descendit complens virtute ex alto, & me [5] splendere faciens à maiestate sua, siue nascitur oriens mundo in tenebrarum dissipationem, siue adoratur à Magis [6] spolians Damascum, iam inde ab infantia, & ditans Hebræos; siue circumciditur sanguinem lacrymis miscens suauè, quæ sint atra sanguinis, & aquę in nostrum aliquando pretium profundendorum; siue denique in Ægyptum fugit, & inde reuertitur, vbique lumen, vbique Sol, vbique fons ęternitatis, & gratię. Vagit in præsepio, & suauius Angelis concinit; clamat in circumcisione, & concentus optimos modulatur. Quid dicam? totus desiderabilis est; memini frontem diuinitatem spirare, oculos immortalitatem, os totum, totum decus, & pulchritudinem. Hærent infixi cordi lepores, & gratiæ, dum nascitur, dum balbutit, dum plorat, dum vocat matrem, dum clamat, dum adolescit, dum loquitur. Frons mihi Sol, os mihi fons. melior ille mihi largitor gratiarum, & glorię, gratia, ac gloria ipsa, quę sine illo nulla est. Et ille mihi totus desiderabilis. Et ego tota desiderium, ac cupiditas. Clamo ore, clamo corde, suspiro die, nocte suspiro, ingemisco intus forisque, manus, pedes, nè dicam ora, pectusq. mihi Iesum vnicum solatium, dulce refugium clamant. Non iam ego in cortice fagi, dulce, amatumq. nomen inscripsi; sed in corde, sed in ore, sed in brachio. Tota desidero, & ardeo, iacent prę vno cetera, tota sed hæreo in vno.

4 Euang.

5 Ezech.

6 Is.

Talis est dilectus meus.

Vt agnoscatis quærentes.

* Talis est dilectus meus. O Angeli, ò Creaturę omnes, ò pię animæ, ò vos omnes, qui transitis per viam, vt hinc ex tanta iactura facilè videatis, si sit dolor, sicut dolor meus. Talis est dilectus meus, quem vtcumque descripsi; maiorem tamen habeo, & digniorem. Et quoniam redamatio adhuc ipsa amore digna est, magis adhuc amo, quia redamantem amo. Nam

Et ipse est amicus meus.

Et ipse etiam me amat amat plurimum. Ita loquuntur de dilectis dilectę. Gloriantur, quòd optimè collocauerint amorem, & quòd redamentur. In altero prudentiæ laus est, in altero pulchritudinis. Erat sponsę nostræ necessarium præterea, vt diceret se à sponso redamatam. Ad quęrendum vrgebat magis.

* Et ipse est amicus meus. Ipse me amat, meus in amore Sol, in dilectione cor, meus ignis, mea flamma. Quin & ipse prior, me posterior, dilexit me, vt amor hinc ascendat potius, quam descendat, nouo miraculo, aut admiratione. Scio ego amantem, dum scio gratias

tias largientem. Scio diligentem, dum scio [1] præuenientem in benedictionibus suis. Sed num non aliorum amicus? ceteri comparatione mei serui, famuli, pedissequi. Ego amica tantummodo incedo. Mira profers, & quæ ad quærendum non tam tibi, quàm etiam nobis incendant; præsertim tot inditijs, ac signis. A planta pedis, vsque ad verticem capitis non est in eo, nisi formositas. Quare neque non quærendus tam pulcher, neque non agnoscendus quæsitus. Sed nos mores non nouimus hominis, neque ingenia. quò abijt ignoramus, vt ignoremus propterea vbi quæramus. Edissere & tu.

[1] Psal.

Virginis Dominę comparatione ceteri serui.

Quo abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum, quo declinauit?

Adolescentulæ, siue mulieres quæcumque, commiserantes, accinctæ obsequio; & suppetijs se comites amanti offerunt (timebant, nè non obuiaret; tametsi obuiam euntem posset ex signis agnoscere.) Quare aiunt, candidè, & sine inuidentia, aut simulatione, Quo abijt? ac si dicerent: Vide tu quò abijsse suspiceris, quòque tibi mentem veniat loci declinasse. nos præeuntem sequemur, & inquiremus tecum tibi.

Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quò declinauit? Iam præi, tecum sequemur.

CAPVT SEXTVM.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum.

RESPONDET petentibus, & vrgentibus locum diuinare, ait, Dilectus meus, vt scilicet certò crediderim, quando alibi non inuenerim, descendit in hortum suum ad areolam aromatum. Fortè recordanti illa, Veni in hortum meum; aliaque, ita in mentem venit, occurritque in hortum descendisse. Vnde ait: Eò proculdubio descenderit, nunc in mentem venit, eò eundum erat.

Vt pascatur in hortis, & Lilia colligat.

Muliebriter & zelotypè; vt se saturet, agatque rem rusticanam, rem, qua impensè præ sponsa delectatur.

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.

Hæc dum memorat, erigit oculos, obuiantem sibi videt, quacumque luce agnoscit. Hæret paulisper; tum mutila, vt in his fit, læti-

tia, Ego, inquit, dilecto meo, & dilectus meus mihi, ac si, quòd in alijs est maximo fabulæ decoro: Eccum ipsum. En obuiam ego illi, idque cum exsultatione, & exuberanti lætitia.

* Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. O rerum diuinarum sapientiam. O dulcem collationem, respondentem omnibus veritatem. O propè diuinum artifitium dramatis, & admirabile. Areola aromatum res Diuina, res Christiana, res qua Dominus pascebatur. qui propterea dixit se oportere esse in his, quæ Patris sunt, quique respondit se cibum habere, quo pasceretur, cum vt comederet, expeteretur. Docturus nimirum venerat, euangelizaturus filijs Israel, ipse per se concionaturus ad turbas. Id intelligebat Domina, id sciebat ne dicam, augurabatur. idque ex munere ipsius ex collocutionibus, ex inspirationibus, ex reuelationibus, ex alijs didicerat. Ex quo sanè fit, cum amisit, sciuisse certò Virginem eò filium sponte progressum, vbi id ipsi esse negotij, & exercitationis muneris. Ceterum signanter locum nesciuisse: Vt sæpè nobis accidit, qui cum aliquem ruri esse sciamus, quo tamen ruris loci nesciamus. Amplum illi munus, & muneri exercendo perampla adhuc regio, & patens. Hinc igitur progressus Dominus cum in templum progressus, in hos hortos in has delitias salutis animarum, collecturus lilia, facturus Sanctos Dei, [1] & veros in veritate adoratores; quibus quidem non solum per amoris conditionem pastus est, verum & per veritatis rationem. Quid enim dulcius, quid suauius, quàm cooperari Deo in salutem animarum? Pasci quidem nos oportet, non agere Pastores animarum, & duces. Ita nimirum hoc munere delectari, vt pascentes ipsi alios salute doctrinæ, ipsi exercitationis voluptate, & laborum pascamur interea, & delectemur. Itaq. atque ea ratione vt dicamus, in his oportere nos esse, vt Saluator dixit; vt sicut in cibo, vitæ necessitatem ponamus. quo amore cogente aliò aduocati prudenter respondeamus illud, quod imprudenter aliquando responsum ab alio est, Non possum venire. Sed næ animarum re Christus Dominus præ te Virgo delectatur, & gaudet? sanè ita, quando vt illas saluet, me deserit; vt illas redimat, me [2] Ioanni moriturus commendat. Sanè ita quando benedicenti vterum, & vbera, Quin immò ait, [3] Beati qui audiunt verbum Dei. cum matre illum esse non oportet, in his se esse asserit oportere. Quamquam me deinde amicam, amantem, animam redemptione adhuc indigentem, & quidem præclariore huius propterea intuitu, longè ante in conceptionis ipso instanti sanctificatam, omnibus præfert, & præ ceteris diligit. O igitur vnicum, & singulare Christi Domini amantis obiectum, animarum salutem, atque negotium. O animas Deo dilectas. O præclarissimum munus. O diuinissimam exercitationem. Sed ego te in amore, & præ amore officiosissimè, vt omnia sub irationem animaduerto: Dulces vel iræ tuæ; vel minæ, ita vt tu Virgo tota vita sis, & dulcedo, & suauitas, & mel, & saccarum. Iam aliquantulum vt soles, & offitia valdè sapis, minitare minas amoris, quas admiremur,

Areola aromatum res Diuina. & cur?

Virgo Maria sciebat in vniuersum Christus Dominus absens, quibus se occuparet. Et vnde?

[1] *Ex Euang.*

Cooperari Deo in salutem animarũ quàm dulce? Qua ratione nobis pascendum.

Christus Dominus præ Virgine salutem animarũ dilexit. Declaratur.

[2] *Euang.*

[3] *Euang.*

mur, suspiciamus, si fas est, imitemur. Sed eccum ipsum, iam venit. Ego illi vt obuiem festino, ille mihi obuiam venit. Omisi dicere, quod alio quidem tempore mortis, areola aromatum sinus Abrahe est, quò Dominus descendit, vt ibi pasceretur aspectu sanctarum animarum, quas quidem vt lilia colligeret, efferretque secum ornamenta Cœli, & delitias. Et sanè areola aromatum, pars Ecclesię, plena odorum, plena virtutum, meritorum exspectantium collectorem, idest liberatorem. Quò quidem descendisse illum, omnino credendum est, Virginem pro magnitudine amoris quęrentem, & nostri caussa, non latuisse. Hæ animę, illa lilia sunt, quibus deinde circundata sanctissima parens canitur, in sponsi amplexus progressa. Sed quid est quod quęrenti obuiam venit dilectus? sane moraliter, quia vix nos in viam damus, vt quęramus illum, cum ille statim adest largiturus, quę petimus. Vnde 4 Magdalenæ quęrenti fit obuiam, & 5 discipulis in Emmaus progredientibus pręstò est: Solicitis enim nobis ille amantior, solicitior. Quo fit vt bonum, immò optimum in illius manus amantis, & nos ardentes incidere. Id vnum ille à nobis quęrit, vt quęramus, aut saltem, vt nos in viam demus ad quęrendum. Si fecerimus, prastò adest, & quęsitus quærit ipse ardentius, seque tradit inueniendum. Vel igitur quęrere tantum amatorem fortunatum est, & dulce, nè dicam inuenire, & tenere; quando vt meriti sit nostri quodam pacto vult inueniri. Hac moraliter. Ad litteram de Virgine. Admonitus in templo, quòd quæreretur venit, aitque, 6 Quid me quęrebatis? aliaque. Iam mortuus 7 vbi liber exstitit, & rediuiuus primò apparuit matri. Vnde non immeritò in fabula, prima, quę obuiantem videt sponsum, est sponsa. Sanè cum ex Euangelio nihil fiat; hinc aliquid fortasse fit & mihi quidem certò fit, primo Dominum matri adstitisse; tum tanquam choro alijs ad quærendum accinctis, compatientibus scilicet ipsi Virgini, & condolentibus. O igitur pulchrè aspiciens, quæ pulchrum prima conspexit. Quam pulchrè tibi dictum, quòd oculi tui columbarum, & pulchri, & præterea perspicaces. Sed iam quid sponsus veniens afferat, videamus.

Areola aromatū quid sit, alia interpretatio.

Virgini Dominæ nō latuit Filij descensus ad inferos

Vix nos quærimus Deum, & præstò est.

4 *Euang.*

5 *Euang.*

6 *Euang.*

Christus Dominus exstans e mortuis primum apparuit matri. Et vnde?

7 *Ex Psal.* inter mortuos liber.

Pulchra es amica mea.

Ascendebat interea aurora, cum iter cogitantibus, vix ingressis, superuenit statim sponsus rediens ad amores. Sic in spiritualibus nobiscum fit: vix quęrendum nobis Deum proponimus in animo, cum adest ille statim, & tanquam fit obuius, ostenditque in alijs quidem initium, dimidium esse totius, 1 iuxta prouerbium, in hoc diuina beneuolentia, beneficentiaque in solidum totum. Et dubitamus adhuc 2 serere, atque impendere curam, nimirum spirituale negotium aggredi? Superueniens, vt qui sit totus pulchritudine raptus orditur.

* Pulchra es amica mea. Ascendebat interea aurora, cum sponsa sponsum vidit, quia nimirum vbi Christus Dominus resurgens matrem inuisit, exacta tribulationum nocte, iam appropinquare illa æternitati, & se inserere videbatur, & dans, & capiens pignus; ideoque iungens

Scœna Secūda, sponsus, sponsa Chorus.

1 *Adagium. verba Suidæ ex Marino quodam.*

In Diuinis in solidum totum. & quid hoc sit?

2 *Ex Virg. 1. Georg. Allusio ad adag.* serere nè dubites.

iungens fœdera cum immortalitate. Vel ascendebat aurora Solem ferens, quia nimirum Dei illi visio transiens obuenit, permanentem futuram, & persistentem prænuntians. Simul cum luce vidit sponsa dilectum, quia nimirum Maria Filium ex inferis exsistentem simul cum visione beata, vel simul cum luce auroræ, quæ lux, & tenebræ est, quia nimirum in verbo, matutina cognitione, & in propria specie, vespertina. Transeunte autem illa, vt sæpè diximus, quæ propterea meritò aurora dicitur; transit enim breui aurora, quam subsequitur Sol. Et quoniam rem omnem, melius philosophaturi, ad resurrectionem perduximus, iam de hac tantummodo philosophemur. Quanto autem decoro post inquisitiones, & clamores sponsa hærens, & diu silens depingitur; quando id ipsum in Filij resurrectione obuenit Mariæ? Post multitudinem dolorum, & defatigationum, hæsit primò aspectu contuens decus, & ad contuendam diuinitatem vocata conticuit, illi nimirum intenta, atque inhęrens. Id quod nostræ pietati, & deuotioni relinquitur cogitandum in meditatione cordis, quantum illa fuerit oblectata tunc temporis; vt auditoribus, aut lectoribus in fabula, quantum sponsa surgente aurora, sponsi repentino aduentu gauisa sit. Et inexspectatus quidem, ac repentinus Virgini aduentus Filij exsistentis accidit fortasse maioris argumentum, pabulumque lętitię, non tamen omni ex parte: sciebat enim certo resurrecturum; at quo ad horam spectat, siue melius horę momentum; Iam enim, & hoc sciebat legens illa, Exsurgam diluculo. Et sponsa quidem adhuc sciebat ex ingenio, & amore reuersurum sponsum, at magnitudo doloris nihil faciebat, vt exspectaret. Quicquid horum sit, & si quo artificio factum ignorem à Deo, factum tamen puto, vt Sol iste suus Dominę improuisò, & illicò sit exortus. Et ipsi [1] vt fur veniens, & qua hora, aut horę momento non putaret Filius hominis. Sed eccum illum. hilaris, gaudensque pręmittit ibi in silentio sponsa; siue, Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Quia scilicet Maria aliqua, quæ exuberantis Lætitiæ, & plenæ sint signa, verba aliqua, interrupta tamen, vt lætitia ipsa fert. propter quod & Magdalena Dominum videns sic locuta est, [2] Magister. & [3] Thomas deinde, Dominus meus, & Deus meus. Quæ autem in silentio cum sponsa sint acta, post hęc pauca silentur; & iure, quia nimirum quæ cum Virgine Domina eo tempore gaudiorum, ignorantur, vt quæ non licet homini loqui. Iam verò summo decoro Sponsus ipse prior loquitur, quia nimirum ipse venerat consolaturus. Orditur autem & ipse à laudibus parentis optimę, vt ostendat adhuc beatus se in illa maximè placere, aspectuque eius adhuc prę ceteris delectari. Raptus igitur ait,

Mariæ Dominę in resurrectione Filij quæ obuenere?

Visio per modum transeuntis aurora. Et cur?

Maria Domina sciebat Filium resurrecturum. Declaratur.

1 *Euang.*

Verba lætitię interrupta, & cur?

2 *Euang.*

3 *Euang.*

Christo Domino quæ cum Virgine Domina acta sint in resurrectione, cur silentur.

Pulchra es amica mea.

* Pulchra es amica mea. Sed vnde tibi, Domine, Pulchra in amaritudinibus posita, plorans, & valdè plorans in nocte; quæ propterea nè pulchra deinceps dicatur [1] legem statuit, quin potius vt amara?

1 *Ruth.*

ra? Sane hoc ipso pulchra, quia in amaritudine, & tribulatione, tribulationum fructum, & dolorum mei caussa pensanti. Vident alij in effectu pulchritudinem; equidem in caussa melius. Hęc autem tribulatio in pulchritudinem est eruptura. Sed quàm tibi pulchra? quàm amara; secundum enim multitudinem dolorum meni consolationes daturus, & tenebricosissimas nocti fulgentissimus Sol vt succedat facturus. [2] Lętare sterilis ad fœcunditatem seruata, & quæ sine filijs es, ad multitudinem filiorum. Ita facit Deus [3] cum tentatione prouentum; atque hęc eius sunt artes, hi fines. E periculosissima nauigatione, tranquillissimus portus, & splendidissima lux post tenebricosissimam noctem. Et non solum hac mihi ratione illa pulchra, quia mox pulchra futura per consolationem, cuius [4] apud me fontem, & in dextera mea, in os eius omnem infundam; verum & quia re ipsa pulchra adhuc in ipsa tribulatione; siquidem fortis, constans, amans. [5] qua propter cum ipsa sum in tribulatione, eripiam meo de more eam, & glorificabo eam. Felices tanto consolatore, tot consolationibus tribulationes.

Maria pulchra in tribulatione, & qua ratione.

2 *Psal.*

3 *Paul.*

4 *Psal.*

5 *Psal.*

Suauis.

Septuaginta pro suaui, sicut beneplacitum. Alij, vt complacentia, seu beneplacens. Noster, suauis, accepta, & gratiosa. Dixisset ille, Vna charitum. Hebraicę videtur esse. Pulchra vt suauitas. poëticè magis. Ex Caldęo, pulchritudo tua est ipsa gratia gratiosior, ipsa suauior suauitate. Plauticè. Cuncta suauia, & secundum bene placitum. Sed alijs ex Hebręo est, sicut Thirsa Vrbs. Pulchra es sicut Thirsa, quę vocabulo suauis in Hebræo dicitur. Appellabatur autem sic Thirsa suauis à loci amœnitate, cœlique fauore, & ędifitiorum magnificentia, atque cultu. Optima comparatio, nec aliena à pastoribus vrbibus visendis, assuetis.

Thirsa vrbs vnde sic dicta?

* Suauis. Sicut beneplacitum scilicet diuinum, sicut suauitas ipsa, vt res, quę maximè placeat; pulchritudine ipsa pulchrior: quia nimirum exemplar fortitudinis, atque constantię; ea mox gloriosissima ex tribulatione futura. Diximus ex Hebręo esse sicut Thirsa Vrbs. Possumus per Thyrsam militantem Ecclesiam intelligere, dignissimam, & pulcherrimam, siue loci amœnitatem spectes, id est Diuini numinis propitios fauores, siue ędifitiorum magnificentiam, atque cultum; nimirum virtutes, perfectionesque, vt intelligamus solam Virginem Ecclesię toti conferri, magisq́. placere vnam illam, quam hanc omnem artifici, siue architecto. Sed & possumus adhuc per Thyrsam ętemam beatitatem intelligere, siue triumphantem Ecclesiam; eam quidem ex parte, vt dignissimum situm habet. quod quidem est Empyreum ipsum beatorum curia, & forum: nam eidem deinde, quod ad alias pertinet perfectiones, sub Hierusalem nomine comparatur.

Thirsa vrbs Ecclesia militans, & triumphans.

Virgo vna plus placuit, quàm omnis simul Ecclesia

Et de-

Et decora ſicut Hieruſalem.

Vrbs totius tunc Aſię pulcherrima, Metropolis Iudæa, princeps, vt [1] Hieremias ait, prouinciarum. Incertum ad quod nam ſignificandum aſſumpta comparatio. Ex hoc certum, quòd ad pręclara, atque inſignia. Siquidem à natura, atque arte, pręſertim Deo architecto, multa præclaræ vrbi ornamenta. Videtur ad id aſſumpta exprimendum, quod in Adagio veteri fuit: [2] Nulla ſatietas rerum honeſtarum, quę ſcilicet nouis, ac pulchris, vnde ſtupor, ſemper ſcateant. Sicut Hieruſalem igitur. [3] Noua ſemper, & ſtupenda, quia pulchra. Quæ ſi propius ſtes,

[4] Te capiet magis, ac decies repetita placebit.

Et [5] quam cum magis fueris contemplatus, magis placebit.

* Et decora ſicut Hieruſalem. Nimirum vt ſemper ſcatens eſt dignitatum, & decorum, quę nequeant intelligentia vlla exhauriri. Sanè Virgo aut comparari non debuit, aut cœleſtibus, ac diuinis, cœleſtia ſapiens, referensq́. Cuius propterea procul & de vltimis finibus pretium. Nam ſi nulla in cœlis ſatietas rerum illarum honeſtarum, certè & hic in terris nulla Virginis contemplandę, quàm ſi contemplatus fuiſſes, magis, magiſque ſemper placuiſſet. Et quidem placuiſſet optimas, ac cœleſtes cogitationes ingenerans, infundenſque amorem cœleſtium, & occulto quodam volatu ad ſuperna euehens, nè dicam prouehens; quæ Apoſtoli ſenſere omnia, qui propterea vix abeſſe à beatiſſima parente, & præceptrice patiebantur. Sed quid mirum ſi in terris, ſicut Hieruſalem Virgo decora matri ſimilis erat ſuę, mox in cœlo ipſo pulchrior pulcherrima matre futura. Quę ſurſum eſt Hieruſalem, ita mater noſtra eſt, vt primogenitam agnoſcat, habeatque Mariam. Agnoſce ſimilitudinem & venerare vel in vno. Ibi, qui in ſuperna ſunt Hieruſalem, [1] confeſſionem, & decorem induunt: hìc qui Mariam contemplantur è pulchritudinis aſpectu [2] ad confitendum nomini Domini ſe erigere compelluntur. Sed quid pręterea laudum?

[1] *Hiere. Thren.*
[2] *Lucian. in Dipſadibus.* Rerum honeſtarũ nulla ſatietas.
[3] *Socr.* in Amatoribus noua & pulchra ſemper ſtupeſco.
[4] *Horat.*
[5] *Plaut. in Caſin.*
Virginis aſpectus ſemper nouus, & ſcatens diuinitate quadam formoſitatum.
Virgo Domina filia cœleſtis Hieruſalem, quia ſimillima illi, & in quo?

Terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.

Septuaginta, pauor vt ordinata. Videtur ex Septuaginta ſenſus: Stupor es cogitanti de ordine tuo, quàm ordinata ſis? noſter terribilis, &c. Ad quid autem hęc comparatio? Ad pulchritudinem ipſam eſſe poteſt. Eſt enim vt Lucianus annotauit, [1] Pulchra caſtrorum acies. Vnde vtà natura pulchritudinis amantis ſumus, annotatum eſt duces ipſos, qui ad victoriam dirigunt omnia, pulchritudini in primis inſtruendis, & vexillandis militibus conſulere ſolitos. Noſter & Homerus, & Virgilius, vtrumque vnus complexus ſummo decoro de exercitu agens, & ſpectaculo ex exercitu ingenti, vt [2] ille ait, inrecitabili.

[3] Bell'in ſi bella moſtra ancho è l'horrore,
E da mezzo la tema eſce il diletto.

[1] *Lucian.* Acies Caſtrorum ordinata pulchra, & vnde?
[2] *Eurip. in Iph. in Aul.*
[3] *Torq. Taſſ.*

Sed

Sed hic non tam ad pulchritudinem assumpta comparatio, quàm ad ipsammet cum effectu, quem in se sponsus experiebatur deditionis sui, suorumque. Habent id acies optimè instructę, vt ad ipsarum vel aspectum territę deditionem faciant missis legationibus vrbes, & vt in 4 Euangelio dicitur, rogent ea, quæ pacis sunt. Id exprimere voluisse videtur sponsus in se ipse experimenti; se nimirum ad aspectum cedere, nihil audere contrà, gladium, quod aiunt, in vaginam; deditionem statim facere animi, cordisque. Ex poësi, & ab amore. Ab artifitio prætereà maximo, sic pulcherrimas dicunt, quarum pulchritudini, tantum tribuunt. Vnde ille ait.

4 *Euang.*

5 Quin flamma cedat illi, ferrumque, si qua pulchra est;

5 *Anacreon.*

cum antea distributis à natura munijs dixisset mulieri pulchritudinem datam.

Pro parmulisque cunctis, pro lanceisque cunctis.

6 Qui amicę faciem magni sibi numinis instar dixit, terrorem eumdem, quamquam alia via, eumdemque effectum videtur descripsisse; & videri amantibus in amatis interdum aliquid exercitus, à quo terror, 7 illa gratissima tuendi illecebra mixtus, significasse; cum ait.

6 *Ouid. 3. Am.*

8 Pone recompositas in statione comas.

7 *Eurip. verba in Iph. in Aul.*

8 *Ouid. 1. Am. Eleg. 7.*

Sed quod ille ait.

Quin flamma cedat illi, ferrumque si qua pulchra est.

Equidem ita temperarim, vt de pulchritudine cum honestate coniuncta, aut ad conditorem relata, verissima esse contendam; sin minus, falsissima. Sed quid si ad iram amantis respexisse videtur sponsus hęc dicens, quam diximus ex indignatiuncula ad amoris cumulum iratiorem? Quadrabit & hoc in amoribus, decebitque cum legamus illa non absimilia.

Eia mea Iuno, non te decet esse iratam tuo Ioui.

* Terribilis vt castrorum acies ordinata. Vel cum LXX. Stupor es cogitanti de ordine tuo, quàm ordinata sis. Stupor nè tibi, qui artifex? qui architectus? qui Dominus? magnus omnino ordo, qui te possit, in operis tui admirationem adducere. Quis autem stupor nobis tantum ordinem suspicientibus? Pulcherrima igitur Virgo, quia sic ordinata. Sed quæ nam hæc castrorum acies ordinata, cui Domina comparata? illa cœlestis militiæ, & triumphantium ciuium. Omnis ibi ordo ab ordinis parente proximè deriuatus. Summa ibi disciplina, & obedientia. Idæa ibi ordinis, & exemplar; quando qui tenere disciplinæ illius seueritatem noluerunt, è castris eiecti sunt. His Virgo similis cuius aliæ superiores, aliæ inferiores virtutes, hæ illis, illæ his subiectæ ac subordidatæ, quarum omnium vnus dux, atque vna mens Deus. Hoc dicto Dominus deditionem facere quodam pacto compulsus est, dum ipsam mortali adhuc pulchritudine immortalem ipsum allicientem venerari, reuereri, complecti, osculari compulsus est. Mira res. nihil tam Deum ipsum deditionem nobis facere compellit, & ad obediendum conuincit, quam obedientia nostra. Vnde leges, 1 Obediente Deo voci hominis Solem contra Gabaon olim stetisse.

Maria Domina stupor auctori ipsi

Virgo cœlestium ordinibus comparata, & cur?

1 *Reg.*

ſtetiſſe. & rurſum, tribulatio noſtra, quam patimur, quæ nobis omnia, atque omne Diuinum auxilium promeretur. Cum ipſo, inquit, ſum in tribulatione. & rurſum, [a] Propè eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde. Sed ſi ſubiratior ſponſa erat; & illam mitigare conantis ſunt hæc; ſanè quadrabunt in id prius tempus, cum Dominus in templum perrexit. Siquidem tunc dicenti, Fili quid feciſti nobis ſic? officiosè vt ſemper, & illam decebat, interrogationi noſtri cauſſa & ad occaſionem veritatis aperiendæ, reſpondit: Quid eſt quod me quærebatis? an neſciebatis? &c. neque enim dubiũ quin ad conſolationem matris, & vt ita dicam ad ſedandum dolorem prolata ſunt hæc. Ita fit vt Diuino artificio cum duos ſenſus habeant verba hęc, terribilis vt caſtrorum acies ordinata; Poſſintque vt vidimus hæc ita geſta ad duo tempora referri. alter quidem vni congruat tempori, atque alteri alter, vt & quæ conſequuntur.

a Pſal.

Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.

SI ſponſi; vt erat iratior, toruula ex ſcœnę parte, forte ſponſa reſpiciebat ſponſum, & dulce in incendium maius fumabat; cum ſuſtinere nolens, & nequiens ſponſus precatur, vt auertat oculos ſuos, hos ſcilicet, ita ex arte in vindictam compoſito; à ſe ſcilicet. LXX. è regione ſui. [1] Remoue faces. Quia ipſi, inquit, me auolare fecerunt, ſiue ire extra me, & rapi in volatum altius. [2] Nam iſthic meus animus nunc quidem eſt non in pectore. & quod [3] alius: Nam ſimul te aſpexi, &c.

Miſero quod omnes.
Eripis ſenſus mihi.

Vel auolare ſuperbire, quod eſt apud [4] Italum poetam.

Che mi fa gire altiero.

Quod de aue loquens duobus videtur [5] Plato concluſiſſe, ſupernorum aſpectu, inferiorum contemptu. Vel, quod Hebræa habent: ſuperare, quod eſt ſuperari dederunt, figuratè. Quod ille ait: [6] O ſolem vides ſtatim vt occæcatu' ſt, præ huius candoribus. vel, quod eſt accommodatius, aufugere. Reſpondet tacitè obijcienti, ſeque cum exſurgere tanto incommodo fecerit, quòd aufugerit purgat, reijcitque in ipſam, culpam, eiuſque oculos. Ipſi me auolare fecerunt, conſideratione ſcilicet horum, ſi appareres, in volatum dedi me: quod nos per [7] Adagium latinum diceremus, procul à Ioue, atque fulmine. Excuſatio plurimum laudis habens, & quòd in promptu, & quòd cum laude plurima eius, quę vituperatur coniuncta. Amant enim mulieres non minus amari, quàm ex amore, cum oportet, timeri; nec à ſola pulchritudine laudari, ſed illud magis, quòd ſis cum grauitate, maieſtateque coniuncta. Vnde non ſine artifitio, quamquam viliſſima in materia illa dicta.

[8] Et vror, remoue faces. Et.

1 Tibull. lib. 1. Eleg. 4.
2 Plaut. in Pſeud.
3 Catull.
4 Franc. Petr.
5 Plat. in Phæd. tamquam auis in ſuperna ſuſpiciens, & inferiora contēnens,
6 Plaut. in Meneg.
7 Adag.

Mulieres non ſolum amari, verum & timeri amant, nec modò laudari à pulchritudine, verum & ſimul à maieſtate.

8 Tibull.

Facies

Faciem magni mihi numinis instar.

Scilicet vt impotentius illæ amant, ita & impotentius dominantur. Sed quid si non torua, sed amans respiciebat? (quando in hunc modum philosophari sua voluit nos Deus, ad exercitationem ingenij, & amoris, vt in incerto positi multa excogitemus, alteque collocata, vt cibum Lacedæmon filijs à summo tecto pendentem, proposuit; quæ nobis non multo nisi labore pararemus.) Quid inquam si non torua? Cum de more suo ex toto laudatam laudare ex partibus vellet; (hoc ad varietatem, & amoris variam significationem) modò laudare oculos aggreditur, dum se illos sustinere nequire dicit, precaturque tanquam ardentes soles remoueat è regione sua, quæ & maxima laus est. Non autem nisi hironicè dictum intelligas semper, auerte. Est enim amatoriè dictum, pro conuerte magis, magisque: facies enim tua decora. Quodcumque tamen sit, certe verè 9 victricem dicit, cum victus ipse fateatur. Ceterum hæc omnia, si hæc sponsi verba sunt. Quid si sponsæ vt vnus Nyssenus? Hanc habebunt interpretationem. Auerte oculos tuos, ne me deinceps aspicito, neque etiam mea quicquam. Auerte è regione, si fas est mihi optare, tibi concedere. Iratæ verba. Quia ipsi me auolare fecerunt. Ipsi me extra me ire, & ea facere, quę fortasse non decerent puellam, prę amore, & vagam incedere, & queritantem, fecerunt. Quorum tamen omnium fugam tuam mercedem accepi. Placet sanè vnus, qui hæc sponsę velit attributa. Habet etiam decorum vnius multa dicentis, & parantis dicere, interruptio. Aperitur preterea mysticis campus sensuum pluritate. Sed hæc, si iratæ sunt verba? Quid rursum si non sunt iratæ? Intuebatur raptus sponsæ sponsus, vnde laudes; laudata contrà laudat, aitque: Quin tu noli me aspicere, me enim rapis oculis tuis, & extra me ire facis, aut superas.

Mulieres impotentius dominantur. & cur?

Deus Opt. voluit nos laborare in inquisitione rerũ, & cur?

9 Ex Ennio. Victor non est victor, nisi victus ipse fateatur.

* Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Nam si sponsi sunt hæc, sponsam adhuc subiratam placare laudibus contendentis, & fugæ suę caussam in ipsam, cum laude reijcientis; certe in illud tempus quadrant prius, vt tamen amotorio stylo dicta intelligantur, & ad laudem, vt sit sensus: Ipsimet oculi tui, quorum sustinere nequiuerim pulchritudinem, me auolare à te fecerunt. Si vero eiusdem sunt tantummodo laudantes, in aliud, atque adeo in omne tempus, hac interpretatione: Ipsi me auolare, superbire fecerunt, vt & faciunt; scilicet agnitio tua vtraque, vtrumque lumen me incedere gloria plenum faciunt artificem, amatorem singularem, vt pro stemmate singulari mihi sint hæ stellæ, hi soles, hęc lumina & in te mea, quia tu mea, & in me tua, altè scilicet in mente per considerationem, contemplationemque defixa. Quare auerte illas (hironicè) ne auertas illas; immò potius erectos in me conuerte. Et glorior quidem hac ipse mea luce, qua Sol alijs me effero, inferoque cœlestibus, Solis victor, ac Sol. Glorior adhuc rediuiuus, & gaudeo toto hoc vniuersitatis aspectu, hisque corporibus beatorum, qui testes resurrectionis meæ mecum resurrexerunt; ceterum non ita glorior, neque gaudeo

Oculi Virginis qua ratione auolare fecerũt Saluatorem?

vt con-

vt conspectu tuo. Eia igitur nè sis irata, mea Eua tuo Adamo, mihi in sociam cœlestium, & immortalium generationum concessa. vel melius, ostende mihi faciem tuam; Facies enim tua decora. Suo ille iure, nam vt sępius diximus, iuuatque repetere; vt Adamo Eua, ita Virgo Christo Domino ad hoc data est, vt haberet oculus hominis Dei, quo obiecto plenè ac cum saturitate delectaretur. Sed si sensus est, vt in fabula, ipsi se superarunt, aut superandum dederunt, commodè ad omnia tempora referemus. Enimuerò oculi Mariæ ad id dati, vt Christum Dominum vincirent, obligarentque, propter quod, vt oculis vtatur ad deprecandum filium, rectè precamur. In illis cœlestis modestiæ vis, & diuinæ virtutis efficacitas infinita. Et vt per oculos nostra occulta omnia, ita & virtutes, & gratiæ Mariæ per oculos se Filio, quem allicerent, aperiebant. In illis Filius argumenta pietatis, & misericordię caussam omnem legebat. Ipsi in vita superandum in figura æternorum dederunt, cum diceret, Fili vinum non habent. Ipsi & nunc in ęternitate dant coram ipso ministrantes. In his igitur solibus, siue sideribus spes nostrę salutis omnis, & beatitatis semel obtinendę fiducia. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos prius conuerte, captura de miserijs nostris misericordiam; tum ad Filium tuum Iesum benedictum fructum in eadem commiseratione motura.

Oculi Mariæ Dominę ad Saluatorem ad quid dati.

Oculorum Mariæ Dominæ dignitas, & efficacitas.

O carissimę luces,
Nitidissimi Soles,
Felicissimę faces,
Augustissima sidera.

Luces animæ, Soles mentis, faces cordis, sidera animi. O vultum cœlum, tot tamque diuinis lucibus, facibusque cœlatum. Sed ipsum nè tantummodo Filium hi oculi tui auolare fecerunt? an & ad te conuolare Patrem, ac Spiritum sanctum; [1] vnde dixerit Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi? An & hos superbire dilecta Patri, dilecta Spiritui sancto, [2] opus excelsi, vas admirabile? An & vincendum tradere ac superandum Deum exercituum, Deum minacem, vindicem, interfectorem, seuerum iudicem, vindictæ amatorem? quem nunc omnes Deum pietatis, Deum commiserationis, Deum indulgentiæ per te agnoscimus, & tui consideratione vix nouimus ab ira illa, & minis timere, qui potius scuto tuo protecti securi, & lętantes incedimus. Quamquam id deplorabile nobis, & de nobis, quod oculis Filij matris non superbimus, non vinci patimur, neque originem rarę nobilitatis nostræ, & singularem imaginem agnoscentes, neque illi, cui concedit ipse Deus, per animi nostri duritiem, & rusticitatem concedentes. Hactenus si sponsi sunt hęc. Iam quid si sponsæ sunt, vt concessimus alicui, esse posse? Is erit sensus: Laus erit oculorum Christi Domini à Virgine. Noli me fili aspicere. Quod est aspice, iterumque atque iterum aspice; Ipsi enim me auolare faciunt, extra me ire. Me rapiunt. Et quidem cum semper carissimi oculi Filij parenti, tum maximè resurgentis pleni glo-

Oculi Virginis & Patrem, & Spiritum sanctum, adhuc auolare fecerunt. Declaratur.
[1] Euang.
[2] Sap.

Oculi Filij gratissimi Matri tépore resurrectionis præsertim.

ni gloria, exſuberantes dignitatem, ſpirantes Diuinitatem ipſam. Tunc afflictæ ſolatia, in tenebris Soles, iacenti opes, mœrenti delitiæ, quęrenti voluptates, bona omnia, ſolatia, fontes ſpecula, Soles. propterea quod non modo illud dicere potuit, petens vt reſurgeret: [3] Exſurge pſalterium, & cythara; verum & quod antecedit potiore iure: [4] Exſurge gloria mea. Qui rectè ſe diluculo reſurrecturum reſpondit; quacunque enim hora feciſſet, ſecum diluculum ipſe Sol attuliſſet, vt fecit.

[3] *Pſalm.*
[4] *Ibid.*

Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

Capillorum laus.

Idem, quod ſuperius, nunc repetit; eo crediderim conſilio, vt ſi probè noctu cantantem audiuiſſet, agnoſcat, qui fuerit ex aliquorum repetitione. Rurſum, vt oſtendat decere, ſibique placere. Denique quod pulchrum bis, vt diximus [1] ex adagio. Siue autem ſuperiora ſponſi, ſiue ſponſę ſint, rurſum iratæ, non iratæ, decent hæc, quę illa conſequantur. Aut enim ſponſæ laudes ab oculis denuo captus, denuò proſequitur ſponſus, aut laudibus iratam mollire inſiſtit, nihil audiſſe ſimulans iratorum verborum. Manifeſtus autem ex ſuperioribus ſenſus, vno illis addito, propter eos, qui non gregi ipſi caprarum, ſed è grege vniuſcuiuſque caprę crinibus, aut lanę comparatos volunt ſponſę capillos. Quod dixi ibi non probari, aut quàm aliud, minus.

Quod pulchrum bis Adagium.
[1] *Adagium.*

[2] Anacreon capillorum pulchritudinem in mollitudine, & nigredine collocat.

[2] *Anacr.*

Depinge molles
Primum, nigroſque crines,

ſufflauos crediderim voluiſſe, quales caprarum ſunt. Sed omiſi de oculis dicere, quod loquaces à poëtis dicti ſunt.

Oculorum alia laus.

[3] Nec lacrymis oculos digna eſt fœdare loquaces.

Vnde meritò, vt poëtæ alterius loquar verbis, in cauſſa rei eſt, vel lex recepta moribus mortalium, & iuſta,

[4] Aduerſa ne qua fœmina ſpectet viros.

[3] *Tibull. lib. 2. Eleg. 7.*
[4] *Eurip. in Hec.*

* Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Sequitur autem ſponſus laudes ſuas, repetitque eadem, quæ ſuperius dixerat, non laudum, neque eloquentiæ defectu; ſed veritatis argumento, de quibus dictum abundè, vt de his adhuc, quæ ſequuntur.

Dentes tui, &c.

Dictum.

Sicut cortex mali punici.

Labiorum laus.

Septuaginta præaddunt his: Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum decorum. Deinde: Sicut cortex. Non habent noſtra.

* Dentes tui,&c. Et,Sicut cortex mali punici labia tua,& eloquium tuum decorum; concluditque tandem omnia prerogatiua dilectionis.

Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.

Complacentia sui in illa, qua vna maximè capiatur, laudes concludit. Hanc & maximam dicit, & maxima maiorem. Dicit enim pluris vnam esse suam,quam Salomoni Regi,& Monarchæ cuicumq. quorum sit in delitijs vita, in amoribus animus, grex coniugum, concubinarum, adolescentularumque quarumcumque, quicunque, quantus, ac qualiscumque. Ait igitur, Sexaginta sunt Reginę. Potest de quocumque intelligi Rege. Videtur concessio. Sint, vt sunt huic, siue illi si placent in Gynecæo suo, Sexaginta Reginę; si malis, octoginta concubinę, secundarię scilicet vxores, siue cæremonijs, & ritualibus nuptiarum copulatę, seruilis, vel libertinæ conditionis. Atque ad extremum adolescentulę, quæ in alteram Thalami sortem mille clauibus asseruentur in domus penetralibus è toto regno diligentissima conquisitione selectæ.

Vna est columba mea, perfecta mea.

Vna [1] omnium victrix, vna sola placet, nec est alia mihi formosa: pro cunctis, & prę cunctis est, atque vna est etiam, aut esse deberet matri, & genitrici. Bene ostenditur quod vetustum est: [2] Suum vnicuique pulcrum. Et quod recens additum: Ita pulchrum, [3] vt sint cetera deformia. quod & vetustum adhuc ipsum, vnde illud: [4] Deleo omnes ex hinc animo. Melius: [5] Tędet harum quotidianarum formarum.

Summa autem amoris significatio, & audienti in primis grata, ac iucunda prelatio; vt nequimus, nisi aliorum ignominia exstare, & splendere. Vnde artifitiose.

[6] Omnibus è meis amicis.

Antistas. &

[7] Quid agis, carissime meorum æqualium, & amicorum, & cognatorum.

[1] *Verba ex Plat. in Alcibid.* 2. *vel de voto.*
[2] *Adag.* Suum vnicuique pulchrum. Adag.
[3] *Tibull. Eleg.* 4 Tu mihi sola places, nec iam te præter, &c. Præferri valdè iucundum.
[4] *Plaut.*
[5] *Idem.*
[6] *Catull. ad Veranii.*
[7] *Pyl. apud Eur. in Orest.*

Vna est matris suæ, (matri Septuaginta) electa genitrici suæ (Septuaginta, Electa est ei, quæ peperit ipsam.)

Nimirum vna est, qua fas est, vt electa, ac perfecta, glorietur. Vult matrem tanta filia gloriantem incedere, quam tanquam peritissima opifex, atque artifex, per summam industriam perfecisse, aut sibi, tanquam cui facta esset potestas, selegisse visa sit. An sunt hęc ex eo genere, quæ ad illa referri possint: [1] Beatus venter, & beata vbera, cum matris, genitricisque sit mentio? An respondent nostris, cum vulgò

[1] *Euang.*

vulgò dicimus, non futurum, vt similem aliqua matrum pariat aliquando? Sed sunt, qui hic Salomonem velint intelligi. Sexaginta sunt Reginę, Salomoni scilicet Regi. Suadet, quòd alium pastor non agnoscebat. Indefinitè prętereà loquitur. Carissimę adhuc Salomoni erant suæ, homini pace abutenti, delitijs, ac voluptatibus dedito. Dices, de Salomone igitur, & vxore fabula? Non video sequi. nimis scrupulosè, vt qui nolimus de Salomone, & filia Paraonis, aut amata alia esse, nolimus neque nominatum Salomonem. At Salomoni longè plures Reginæ, concubinæque, atque hæ, quam illæ plures? At pastori tribuuntur hæc, nihil numerum curanti; aut designatione maioris in minorem incidenti; Nisi fortè pro infinito finitus sit numerus.

* Sexaginta sunt Reginę, & octoginta concubinę, & adolescentularum non est numerus. vna est columba mea, perfecta mea. Eodem plane sensu, eademque quę in fabula, interpetratione. Trahat sua quemque voluptas; Delectentur alij alijs; mihi prę omnibus vna est, & pro omnibus. Vna est columba mea, quam amem: vna perfecta mea, quam extollam, & vt pręclarum opus admirer. Et suo ille iure, sic loquitur de ea, quę supergressa est vniuersas, [1] cum singulę sibi diuitias congregassent. [2] Et in cuius conuersatione nihil amaritudinis, & tristitię. Vna est vni, singularis singulariter Mater, & Virgo: Virgo, & humilis: humilis & gloriosa. vna perfecta, cetera ad instar operis ex argilla; [3] Rudimenta potius Mariam facere condiscentis, quàm opera. Vna est in terris, vna & in Cœlis; quantumuis vt cœlum sideribus, sit beatissimis mensibus repletum Empyreum. Sed sit tibi vna columba, quippe qui solus dignè amare, dignè valeas redamari, nobis tecum vna perfecta, communis est. Hanc nos habemus, & suspicimus tecum, tuo testimonio, te Iudice. Quo & paradisos despicimus, & despectui habemus magnificentiam templorum, diuitiasque sanctuariorum prę vna; quin & tecum adhuc noscimus, te dante. quòd vna est matris suæ, siue matri, electa genetrici suæ, ei quæ peperit ipsam. Nam & triumphans ipsa Ecclesia genitrix, nec similem visa sibi est, nec habere sequentem. Quą propter suspicit, & in vultum eius suspirat. quantumuis gloriosa incedat multitudine gloriosorum Filiorum, & vt [4] nouellis oliuarum Angelis vndequaque circundata omnibus Filijs, omnibus Senatorijs, omnibus Consularibus, quin adhuc & Triumphalibus, nè dicam Regibus, & Imperatoribus. Quare ipsam vnam alloquens, Veni, inquit, electa mea, & pone in me Thronum tuum, maius ex vna ornamentum, quàm ex ceteris simul omnibus sibi certò pollicita. Iàm verò non singulare tuum hoc testimonium Domine, neque priuatum priuati amoris iudicio: omnium est, atque commune.

Mariæ Domina singularis in oculis Filij in omnibus excellentia.

[1] *Prou.*
[2] *Sap.*
[3] *Ex Plin.*

Triumphanti Ecclesiæ Virgo singularis.

[4] *Psal.*

Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt.

Vt in vna pulchritudine omnes opes, & diuitiæ, & fœlicitas ipsa mulieribus.

* Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt. Quod in Prouerb. dictum. [1] Nimirum hæc mulier fortis est, cuius procul & de vltimis finibus pretium. Id ab prophetatum: [2] Ecce enim ex hoc, inquit, beatam me dicent omnes generationes. Sed & Angeli adhuc dicent, & animæ iustorum, & sancti. vnde subditur.

[1] *Prou.*
[2] *Euang.*

Reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

Scilicet omnes cuiuscumque ætatis, generis, conditionis. Ac si, [1] Et quidem tui pulchram aliquis videns faciem, laudauerit. Rectè probat sibi vnam esse amoris phœnicem, præclaro æmularum iuditio, vel ab ipso aspectu quocumque.

[1] *Theocr. Idyll. 35.*

* Reginæ, & concubinę, & laudauerunt eam. Nam quid de Ecclesijs dicemus, quarum illa mater, ornamentum, decus, & ipsemet, vita, illuminatrix ad vitam? Sanè in resurrectione, id sic adimpletum; dum omnes Angeli, animæque alternantibus choris Mariam, Dominam, & Reginam pręsente Domino, ac Rege totis animis consalutarunt, intonueruntque illud: Regina cœli, aliaque. Tunc surrexerunt Filij, tunc viderunt, tunc beatissimam pręedicauerunt.

Virgo mater, Ecclesiarum, & decus.

Quæ est ista, quæ progreditur.

Verba laudantium. Laus à laudatis. Et quid aiunt? quæ est ista, quę progreditur, cum scilicet incedentem vident.

Sicut aurora consurgens.

Hebr. apparens. id, & consurgens.

Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?

Optimis optimo ordine comparant. Incedunt ipsę comparantes, & progrediuntur. Prestat aurorę Luna, Lunę Sol: Vincit omnia pulchritudine, simul cum maiestate coniuncta, acies ordinata. Crediderim vulgaria hęc olim, vt nobis alia nostra, Hebręis, & tanquam cantilenę, sæpè in laudando vsurpata. Vtcumque pulchræ laudes pulchritudinis, mysticè pulchriores. Sed & sponsi adhuc ipsius videri possunt, non ex persona aliarum, sed sua, hac occasione: Mollita sponsi laudibus sponsa; quam ex parte scœnæ cum choro constituimus vtcumque; atque incensa ad sponsum mouebat loco, contollebatque ille contra gradus in oscula ruiturus; cum venientem videns, sponsus laudauit. Quæ est ista, quæ progreditur. Hic crediderim, itum in amplexus, in suauia, nihil alienum à scœna, vt poëtæ alij docuere.

Vbi columbari datum, sponsus tanquam noua scœna, vt omnino læsi, atque imminuti amoris à se remoueat suspitionem, & ex ea, si quid offensionis in sponsæ animo, [1] ollę vestigium in cinere turbat, dum affert sui discessus probabilem caussam, rei familiaris iniectam repentè

[1] *Adag.* Ollæ vestigium in cinere turbare. Adag.

repentè curam à recordatione, vt fit. Et sanè è consilio, sic enim res ipsa postulat à volentibus in amicitia ęternitatem, nulla iracundię vestigia vt relinquantur.

* Quæ est ista quę progreditur, sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Siue Chori, siue sponsi verba sint hęc in drammate; certè in Virginem maximè quadrant, lętantem à tempore resurrectionis Filij. Quod si dicta sunt hęc, sponsa ad sponsum gradum contollente, atque ita se ferente cupidam amplexuum, osculorum; certe hęc, eadem ratione, eademque occasione dicta sunt eo tempore. Exsurgens enim Maria è loco vbi aliquandiu iacuerat, mœrens, dolensque se ad Filium rediuiuum, & triumphantem ferebat lętam, hilaremque, suauia mille, mille oscula infixura; cum progredientem incredibili lętitia, simul modestia permixsta, atque ita augusto incessu, ac diuino sic excipiunt, siue Angeli, animęque, siue Filius ipsemet. Quæ est ista? Qua quidem in re nihil est admirabilius, quàm quòd cum vno explicare nequiuerint incedentis maiestatem, & vt ita dicam, diuinitatem, multis vt in cœlestibus fit, & excedentibus captum laudantium, explicuerunt. Quæ est ista, inquiunt, quę progreditur, sicut aurora consurgens? Nil formosius. Pulchra vt Luna? Nil plenius. Electa vt Sol? Nil luminosius, ac splendidius. Augent autem rem, quia gressus ipsa Virgo augebat, & cumulabat decore. Quo fiebat, vt vicinior, pulchrior appareret. Primo quidem aurora, tum Luna, Denique Sol. Omnem lucem continens vna, omniumque splendores. Ita tamen pulchra, vt decora, propter quod addunt: Terribilis vt castrorum acies ordinata, nimirum cœlestium. Fortè stipata exercitibus cœlestibus progrediebatur ad Filium, vt sic dicunt. vel ipsi in phalanges ordinati omnes, mirabantur vnam incedentem, omnes referre; multorumque continere ordinem, ac dignitatem. Hęc autem si ad corpus referamus dum gradum, vt dixi, contollebant: nam si ad animum, atque ad interna, is erit commodior sensus: Contemplabantur in Virgine Angeli, siue ipsemet ChristusDñs, qui nobis illam laudabat, nobis admirandam, imitandam tradens. Contemplabantur, inquam, progressus in virtutibus, tum in gradibus gratię. ad hęc in contemplatione diuinorum, & quidem felices Sanctis, ac celeres progressus videbantur. Ideoque sic laudant. visa illis nascens aurora, concipiens Luna, Filium recipiens Sol. alios conspiciens asseclas, castrorum acies ordinata. Videbatur & futura, ipso Filio reuelante, gentibus aurora, Ecclesiæ Sol, hostibus acies ordinata. Sciebat vnam pulchrorum omnium continere rationes, & in gloria superaturam, ideoque quicquid pulchri in mundò est, simul aggregant, simulque lucem luci addunt & ordinem ordini, vt adumbrent eius formositatem. Iam nos quid auroræ Filij non lætamur, ministri Lunæ, Solis pedissequi à castrorum acie ordinata protecti? Quæ nobis, aut vnde in exortu auroræ mæstitia, aut somnus? in plenitudine Lunæ tenebræ, in medio Sole cæcitas? timor in acie ordinata? O auro-

Maria tempore resurrectionis exsurgens se ferebat ad Filium rediuiuum.

Virgo aurorę, Lunę, Soli, exercitui cur comparata?

Et decora ſicut Hieruſalem.

Vrbs totius tunc Aſię pulcherrima, Metropolis Iudæa, princeps, vt [1] Hieremias ait, prouinciarum. Incertum ad quod nam ſignificandum aſſumpta comparatio. Ex hoc certum, quòd ad pręclara, atque inſignia. Siquidem à natura, atque arte, preſertim Deo architecto, multa præclaræ vrbi ornamenta. Videtur ad id aſſumpta exprimendum, quod in Adagio veteri fuit: [2] Nulla ſatietas rerum honeſtarum, quę ſcilicet nouis, ac pulchris, vnde ſtupor, ſemper ſcateant. Sicut Hieruſalem igitur. [3] Noua ſemper, & ſtupenda, quia pulchra. Quæ ſi propriùs ſtes,

[4] Te capiet magis, ac decies repetita placebit.

Et [5] quam cum magis fueris contemplatus, magis placebit.

* Et decora ſicut Hieruſalem. Nimirum vt ſemper ſcatens eſt dignitatum, & decorum, quę nequeant intelligentia vlla exhauriri. Sanè Virgo aut comparari non debuit, aut cœleſtibus, ac diuinis, cœleſtia ſapiens, referensq́. Cuius propterea procul & de vltimis finibus pretium. Nam ſi nulla in cœlis ſatietas rerum illarum honeſtarum, certè & hic in terris nulla Virginis contemplandę, quàm ſi contemplatus fuiſſes, magis, magiſque ſemper placuiſſet. Et quidem placuiſſet optimas, ac cœleſtes cogitationes ingenerans, infundenſque amorem cœleſtium, & occulto quodam volatu ad ſuperna euehens, nè dicam prouehens; quæ Apoſtoli ſenſere omnia, qui propterea vix abeſſe à beatiſſima parente, & præceptrice patiebantur. Sed quid mirum ſi in terris, ſicut Hieruſalem Virgo decora matri ſimilis erat ſuę, mox in cœlo ipſo pulchrior pulcherrima matre futura. Quę ſurſum eſt Hieruſalem, ita mater noſtra eſt, vt primogenitam agnoſcat, habeatque Mariam. Agnoſce ſimilitudinem & venerare vel in vno. Ibi, qui in ſuperna ſunt Hieruſalem, [1] confeſſionem, & decorem induunt: hìc qui Mariam contemplantur è pulchritudinis aſpectu [2] ad confitendum nomini Domini ſe erigere compelluntur. Sed quid pręterea laudum?

[1] *Hiere. Thren.*
[2] *Lucian. in Diſſadibus.* Rerum honeſtarũ nulla ſatietas.
[3] *Socr.* in Amatoribus noua & pulchra ſemper ſtupeſco.
[4] *Horat.*
[5] *Plaut. in Caſin.*

Virginis aſpectus ſemper nouus, & ſcatens diuinitate quadam formoſitatum.

Virgo Domina filia cœleſtis Hieruſalem, quia ſimillima illi, & in quo?

Terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.

Septuaginta, pauor vt ordinata. Videtur ex Septuaginta ſenſus: Stupor es cogitanti de ordine tuo, quàm ordinata ſis? noſter terribilis, &c. Ad quid autem hęc comparatio? Ad pulchritudinem ipſam eſſe poteſt. Eſt enim vt Lucianus annotauit, [1] Pulchra caſtrorum acies. Vnde vt à natura pulchritudinis amantis ſumus, annotatum eſt duces ipſos, qui ad victoriam dirigunt omnia, pulchritudini in primis inſtruendis, & vexillandis militibus conſulere ſolitos. Noſter & Homerus, & Virgilius, vtrumque vnus complexus ſummo decoro de exercitu agens, & ſpectaculo ex exercitu ingenti, vt [2] ille ait, inrecitabili.

[3] Bell'in sì bella moſtra ancho è l'horrore,
E da mezzo la tema eſce il diletto.

[1] *Lucian.* Acies Caſtrorum ordinata pulchra, & vnde?
[2] *Eurip. in Iph. in Aul.*
[3] *Torq. Taſſ.*

Sed

Sed hic non tam ad pulchritudinem assumpta comparatio, quàm ad ipsammet cum effectu, quem in se sponsus experiebatur deditionis sui, suorumque. Habent id acies optimè instructę, vt ad ipsarum vel aspectum territę deditionem faciant missis legationibus vrbes, & vt in 4 Euangelio dicitur, rogent ea, quæ pacis sunt. Id exprimere voluisse videtur sponsus in se ipse experimenti; se nimirum ad aspectum cedere, nihil audere contrà, gladium, quod aiunt, in vaginam; deditionem statim facere animi, cordisque. Ex poësi, & ab amore. Ab artifitio præterea maximo, sic pulcherrimas dicunt, quarum pulchritudini, tantum tribuunt. Vnde ille ait.

4 *Euang.*

5 Quin flamma cedat illi, ferrumque, si qua pulchra est;

5 *Anacreon.*

cum antea distributis à natura munijs dixisset mulieri pulchritudinem datam.

Pro parmulisque cunctis, pro lanceisque cunctis.

6 Qui amicę faciem magni sibi numinis instar dixit, terrorem eumdem, quamquam alia via, eumdemque effectum videtur descripsisse; & videri amantibus in amatis interdum aliquid exercitus, à quo terror, 7 illa gratissima tuendi illecebra mixtus, significasse; cum ait.

8 Pone recompositas in statione comas.

6 *Ouid. 3. Am.*

7 *Eurip. verba in Iph. in Aul.*

8 *Ouid. 1. Am. Eleg. 7.*

Sed quod ille ait.

Quin flamma cedat illi, ferrumque si qua pulchra est.

Equidem ita temperatim, vt de pulchritudine cum honestate coniuncta, aut ad conditorem relata, verissima esse contendam; sin minus, falsissima. Sed quid si ad iram amantis respexisse videtur sponsus hęc dicens, quam diximus ex indignatiuncula ad amoris cumulum iratiorem? Quadrabit & hoc in amoribus, decebitque cum legamus illa non absimilia.

Eia mea Iuno, non te decet esse iratam tuo Ioui.

* Terribilis vt castrorum acies ordinata. Vel cum LXX. Stupor es cogitanti de ordine tuo, quàm ordinata sis. Stupor nè tibi, qui artifex? qui architectus? qui Dominus? magnus omnino ordo, qui te possit, in operis tui admirationem adducere. Quis autem stupor nobis tantum ordinem suspicientibus? Pulcherrima igitur Virgo, quia sic ordinata. Sed quæ nam hæc castrorum acies ordinata, cui Domina comparata? illa cœlestis militiæ, & triumphantium ciuium. Omnis ibi ordo ab ordinis parente proximè deriuatus. Summa ibi disciplina, & obedientia. Idea ibi ordinis, & exemplar; quando qui tenere disciplinæ illius seueritatem noluerunt, è castris eiecti sunt. His Virgo similis cuius aliæ superiores, aliæ inferiores virtutes, hæ illis, illæ his subiectæ ac subordidatæ, quarum omnium vnus dux, atque vna mens Deus. Hoc dicto Dominus deditionem facere quodam pacto compulsus est, dum ipsam mortali adhuc pulchritudine immortalem ipsum allicientem venerari, reuereri, complecti, osculari compulsus est. Mira res. nihil tam Deum ipsum deditionem nobis facere compellit, & ad obediendum conuincit, quam obedientia nostra. Vnde leges, 1 Obediente Deo voci hominis Solem contra Gabaon olim stetisse.

Maria Domina stupor auctori ipsi

Virgo cœlestium ordinibus comparata, & cur?

1 *Reg.*

stetisse. & rursum, tribulatio nostra, quam patimur, quæ nobis omnia, atque omne Diuinum auxilium promeretur. Cum ipso, inquit, sum in tribulatione. & rursum, [2] Propè est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Sed si subiratior sponsa erat; & illam mitigare conantis sunt hæc; sanè quadrabunt in id prius tempus, cum Dominus in templum perrexit. Siquidem tunc dicenti, Fili quid fecisti nobis sic? offitiosè vt semper, & illam decebat, interrogationi nostri caussa & ad occasionem veritatis aperiendæ, respondit: Quid est quod me quærebatis? an nesciebatis? &c. neque enim dubiū quin ad consolationem matris, & vt ita dicam ad sedandum dolorem prolata sunt hæc. Ita fit vt Diuino artificio cum duos sensus habeant verba hęc, terribilis vt castrorum acies ordinata; Possintque vt vidimus hæc ita gesta ad duo tempora referri. alter quidem vni congruat tempori, atque alteri alter, vt & quæ consequuntur.

[2] Psal.

Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.

SI sponsi; vt erat iratior, toruula ex scœnę parte, forte sponsa respiciebat sponsum, & dulce in incendium maius fumabat; cum sustinere nolens, & nequiens sponsus precatur, vt auertat oculos suos, hos scilicet, ita ex arte in vindictam composito; à se scilicet. LXX. è regione sui. [1] Remoue faces. Quia ipsi, inquit, me auolare fecerunt, siue ire extra me, & rapi in volatum altius. [2] Nam isthic meus animus nunc quidem est non in pectore. & quod [3] alius: Nam simul te aspexi, &c.

Misero quod omnes.
Eripis sensus mihi.

Vel auolare superbire, quod est apud [4] Italum poetam.

Che mi fà gire altiero.

Quod de aue loquens duobus videtur [5] Plato conclusisse, supernorum aspectu, inferiorum contemptu. Vel, quod Hebræa habent: superare, quod est superari dederunt, figuratè. Quod ille ait: [6] O solem vides statim vt occæcatu' st, præ huius candoribus. vel, quod est accommodatius, aufugere. Respondet tacitè obijcienti, sequè cum exsurgere tanto incommodo fecerit, quòd aufugerit purgat, reijcitque in ipsam, culpam, eiusque oculos. Ipsi me auolare fecerunt, consideratione scilicet horum, si appareres, in volatum dedi me: quod nos per [7] Adagium latinum diceremus, procul à Ioue, atque fulmine. Excusatio plurimum laudis habens, & quòd in promptu, & quòd cum laude plurima eius, quę vituperatur coniuncta. Amant enim mulieres non minus amari, quàm ex amore, cum oportet, timeri; nec à sola pulchritudine laudari, sed illud magis, quòd sis cum grauitate, maiestateque coniuncta. Vnde non sine artifitio, quamquam vilissima in materia illa dicta.

[8] Et vror, remoue faces. Et.

[1] Tibull. lib. 2. Eleg. 4.
[2] Plaut. in Pseud.
[3] Catull.
[4] Franc. Petr.
[5] Plat. in Phæd. tamquam auis in superna suspiciens, & inferiora contēnens,
[6] Plaut. in Meneg.
[7] Adag.

Mulieres non solum amari, verum & timeri amant, nec modò laudari à pulchritudine, verum & simul à maiestate.

[8] Tibull.

Facies

Faciem magni mihi numinis instar.

Scilicet vt impotentius illæ amant, ita & impotentius dominantur. Sed quid si non torua, sed amans respiciebat? (quando in hunc modum philosophari sua voluit nos Deus, ad exercitationem ingenij, & amoris, vt in incerto positi multa excogitemus, alteque collocata, vt cibum Lacedæmon filijs à summo tecto pendentem, proposuit; quæ nobis non multo nisi labore pararemus.) Quid inquam si non torua? Cum de more suo ex toto laudatam laudare ex partibus vellet; (hoc ad varietatem, & amoris variam significationem) modò laudare oculos aggreditur, dum se illos sustinere nequire dicit, precaturque tanquam ardentes soles remoueat è regione sua, quæ & maxima laus est. Non autem nisi hironicè dictum intelligas semper, auerte. Est enim amatoriè dictum, pro conuerte magis, magisque: facies enim tua decora. Quodcumque tamen sit, certe verè 9 victricem dicit, cum victus ipse fateatur. Ceterum hæc omnia, si hæc sponsi verba sunt. Quid si sponsæ vt vnus Nyssenus? Hanc habebunt interpretationem. Auerte oculos tuos, ne me deinceps aspicito, neque etiam mea quicquam. Auerte è regione, si fas est mihi optare, tibi concedere. Iratæ verba. Quia ipsi me auolare fecerunt. Ipsi me extra me ire, & ea facere, quę fortasse non decerent puellam, prę amore, & vagam incedere, & quęritantem, fecerunt. Quorum tamen omnium fugam tuam mercedem accepi. Placet sanè vnus, qui hæc sponsę velit attributa. Habet etiam decorum vnius multa dicentis, & parantis dicere, interruptio. Aperitur preterea mysticis campus sensuum pluritate. Sed hæc, si iratæ sunt verba? Quid rursum si non sunt iratæ? Intuebatur raptus sponsæ sponsus, vnde laudes; laudata contrà laudat, aitque: Quin tu noli me aspicere, me enim rapis oculis tuis, & extra me ire facis, aut superas.

Mulieres impotentius dominantur. & cur?

Deus Opt. voluit nos laborare in inquisitione rerũ, & cur?

9 Ex Ennio.

Victor non est victor, nisi victus ipse fateatur.

* Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Nam si sponsi sunt hæc, sponsam adhuc subiratam placare laudibus contendentis, & fugæ suę caussam in ipsam, cum laude reijcientis; certe in illud tempus quadrant prius, vt tamen amotorio stylo dicta intelligantur, & ad laudem, vt sit sensus: Ipsimet oculi tui, quorum sustinere nequiuerim pulchritudinem, me auolare à te fecerunt. Si vero eiusdem sunt tantummodo laudantes, in aliud, atque adeo in omne tempus, hac interpretatione: Ipsi me auolare, superbire fecerunt, vt & faciunt; scilicet agnitio tua vtraque, vtrumque lumen me incedere gloria plenum faciunt artificem, amatorem singularem, vt pro stemmate singulari mihi sint hæ stellæ, hi soles, hęc lumina & in tę mea, quia tu mea, & in me tua, altè scilicet in mente per considerationem, contemplationemque defixa. Quare auerte illas (hironicè) ne auertas illas; immò potius erectos in me conuerte. Et glorior quidem hac ipse mea luce, qua Sol alijs me effero, inferoque cœlestibus, Solis victor, ac Sol. Glorior adhuc rediuiuus, & gaudeo toto hoc vniuersitatis aspectu, hisque corporibus beatorum, qui testes resurrectionis meæ mecum resurrexerunt; ceterum non ita glorior, neque gaudeo

Oculi Virginis qua ratione auolare fecerũt Saluatorem?

vt con-

vt conspectu tuo. Eia igitur nè sis irata, mea Eua tuo Adamo, mihi in sociam cœlestium, & immortalium generationum concessa. vel melius, ostende mihi faciem tuam; Facies enim tua decora. Suo ille iure, nam vt sępius diximus, iuuatque repetere; vt Adamo Eua, ita Virgo Christo Domino ad hoc data est, vt haberet oculus hominis Dei, quo obiecto plenè ac cum saturitate delectaretur. Sed si sensus est, vt in fabula, ipsi se superarunt, aut superandum dederunt, commodè ad omnia tempora referemus. Enimuerò oculi Mariæ ad id dati, vt Christum Dominum vincirent, obligarentque, propter quod, vt oculis vtatur ad deprecandum filium, rectè precamur. In illis cœlestis modestiæ vis, & diuinæ virtutis efficacitas infinita. Et vt per oculos nostra occulta omnia, ita & virtutes, & gratiæ Mariæ per oculos se Filio, quem allicerent, aperiebant. In illis Filius argumenta pietatis, & misericordię caussam omnem legebat. Ipsi in vita superandum in figura æternorum dederunt, cum diceret, Fili vinum non habent. Ipsi & nunc in ętemitate dant coram ipso ministrantes. In his igitur solibus, siue sideribus spes nostrę salutis omnis, & beatitatis semel obtinendę fiducia. Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos prius conuerte, captura de miserijs nostris misericordiam; tum ad Filium tuum Iesum benedictum fructum in eadem commiseratione motura.

Oculi Mariæ Dominę ad Saluatorem ad quid dati.

Oculorum Mariæ Dominæ dignitas, & efficacitas.

O carissimę luces,
Nitidissimi Soles,
Felicissimę faces,
Augustissima sidera.

Luces animæ, Soles mentis, faces cordis, sidera animi. O vultum cœlum, tot tamque diuinis lucibus, facibusque cœlatum. Sed ipsum nè tantummodo Filium hi oculi tui auolare fecerunt? an & ad te conuolare Patrem, ac Spiritum sanctum; [1] vnde dixerit Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi? An & hos superbire dilecta Patri, dilecta Spiritui sancto, [2] opus excelsi, vas admirabile? An & vincendum tradere ac superandum Deum exercituum, Deum minacem, vindicem, interfectorem, seuerum iudicem, vindictæ amatorem? quem nunc omnes Deum pietatis, Deum commiserationis, Deum indulgentiæ per te agnoscimus, & tui consideratione vix nouimus ab ira illa, & minis timere, qui potius scuto tuo protecti securi, & lętantes incedimus. Quamquam id deplorabile nobis, & de nobis, quod oculis Filij matris non superbimus, non vinci patimur, neque originem rarę nobilitatis nostræ, & singularem imaginem agnoscentes, neque illi, cui concedit ipse Deus, per animi nostri duritiem, & rusticitatem concedentes. Hactenus si sponsi sunt hęc. Iam quid si sponsæ sunt, vt concessimus alicui, esse posse? Is erit sensus: Laus erit oculorum Christi Domini à Virgine. Noli me fili aspicere. Quod est aspice, iterumque atque iterum aspice; Ipsi enim me auolare faciunt, extra me ire. Me rapiunt. Et quidem cum semper carissimi oculi Filij parenti, tum maximè resurgentis pleni glo-

Oculi Virginis & Patrem, & Spiritum sanctum, adhuc auolare fecerunt. Declaratur.
[1] Euang.
[2] Sap.

Oculi Filij gratissimi Matri tépore resurrectionis præsertim.

ni gloria, exsuberantes dignitatem, spirantes Diuinitatem ipsam. Tunc afflictæ solatia, in tenebris Soles, iacenti opes, mœrenti delitiæ, quærenti voluptates, bona omnia, solatia, fontes specula, Soles. propterea quod non modo illud dicere potuit, petens vt resurgeret: [3] Exsurge psalterium, & cythara; verum & quod antecedit potiore iure: [4] Exsurge gloria mea. Qui rectè se diluculo resurrecturum respondit; quacunque enim hora fecisset, secum diluculum ipse Sol attulisset, vt fecit.

[3] *Psalm.*
[4] *Ibid.*

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

Capillorum laus.

Idem, quod superius, nunc repetit; eo crediderim consilio, vt si probè noctu cantantem audiuisset, agnoscat, qui fuerit ex aliquorum repetitione. Rursum, vt ostendat decere, sibique placere. Denique quod pulchrum bis, vt diximus [1] ex adagio. Siue autem superiora sponsi, siue sponsę sint, rursum iratæ, non iratæ, decent hæc, quę illa consequantur. Aut enim sponsæ laudes ab oculis denuo captus, denuò prosequitur sponsus, aut laudibus iratam mollire insistit, nihil audisse simulans iratorum verborum. Manifestus autem ex superioribus sensus, vno illis addito, propter eos, qui non gregi ipsi caprarum, sed è grege vniuscuiusque caprę crinibus, aut lanę comparatos volunt sponsę capillos. Quod dixi ibi non probari, aut quàm aliud, minus.

Quod pulchrum bis Adagium.
[1] *Adagium.*

[2] Anacreon capillorum pulchritudinem in mollitudine, & nigredine collocat.

Depinge molles
Primum, nigrosque crines,

sufflauos crediderim voluisse, quales caprarum sunt. Sed omisi de oculis dicere, quod loquaces à poëtis dicti sunt.

[2] *Anacr.*

Oculorum alia laus.

[3] Nec lacrymis oculos digna est fœdare loquaces.

Vnde meritò, vt poëtæ alterius loquar verbis, in caussa rei est, vel lex recepta moribus mortalium, & iusta,

[4] Aduersa ne qua fœmina spectet viros.

[3] *Tibull. lib. 1. Eleg. 7.*
[4] *Eurip. in Hec.*

* Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Sequitur autem sponsus laudes suas, repetitque eadem, quæ superius dixerat, non laudum, neque eloquentiæ defectu; sed veritatis argumento, de quibus dictum abundè, vt de his adhuc, quæ sequuntur.

Dentes tui, &c.

Dictum.

Sicut cortex mali punici.

Labiorum laus.

Septuaginta præaddunt his: Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum decorum. Deinde: Sicut cortex. Non habent nostra.

O * Den-

* Dentes tui,&c. Et, Sicut cortex mali punici labia tua,& eloquium tuum decorum; concluditque tandem omnia prerogatiua dilectionis.

Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.

Complacentia sui in illa, qua vna maximè capiatur, laudes concludit. Hanc & maximam dicit, & maxima maiorem. Dicit enim pluris vnam esse suam, quam Salomoni Regi, & Monarchæ cuicumq. quorum sit in delitijs vita, in amoribus animus, grex coniugum, concubinarum, adolescentularumque quarumcumque, quicunque, quantus, ac qualiscumque. Ait igitur, Sexaginta sunt Reginę. Potest de quocumque intelligi Rege. Videtur concessio. Sint, vt sunt huic, siue illi si placent in Gynecæo suo, Sexaginta Reginę; si malis, octoginta concubinę, secundarię scilicet vxores, siue cæremonijs, & ritualibus nuptiarum copulatę, seruilis, vel libertinæ conditionis. Atque ad extremum adolescentulę, quæ in alteram Thalami sortem mille clauibus asseruentur in domus penetralibus è toto regno diligentissima conquisitione selectæ.

Vna est columba mea, perfecta mea.

Vna [1] omnium victrix, vna sola placet, nec est alia mihi formosa. pro cunctis, & prę cunctis est, atque vna est etiam, aut esse deberet matri, & genitrici. Bene ostenditur quod vetustum est: [2] Suum vnicuique pulcrum. Et quod recens additum: Ita pulchrum, [3] vt sint cetera deformia. quod & vetustum adhuc ipsum, vnde illud: [4] Deleo omnes ex hinc animo. Melius: [5] Tędet harum quotidianarum formarum.

Summa autem amoris significatio, & audienti in primis grata, ac iucunda prelatio; vt nequimus, nisi aliorum ignominia exstare, & splendere. Vnde artifitiose.

[6] Omnibus è meis amicis.

Antistas. &

[7] Quid agis, carissime meorum æqualium, & amicorum, & cognatorum.

[1] *Verba ex Plat. in Alcibid. 2. vel de voto.*
[2] *Adag.* Suum vnicuique pulchrum. Adag.
[3] *Tibull. Eleg.4* Tu mihi sola places, nec iam te præter, &c. Præferri valdè iucundum.
[4] *Plaut.*
[5] *Idem.*
[6] *Catull. ad Veranis.*
[7] *Pyl. apud Eur. in Orest.*

Vna est matris suæ, (matri Septuaginta) electa genitrici suæ (Septuaginta, Electa est ei, quæ peperit ipsam.)

Nimirum vna est, qua fas est, vt electa, ac perfecta, glorietur. Vult matrem tanta filia gloriantem incedere, quam tanquam peritissima opifex, atque artifex, per summam industriam perfecisse, aut sibi, tanquam cui facta esset potestas, selegisse visa sit. An sunt hęc ex eo genere, quæ ad illa referri possint: [1] Beatus venter, & beata vbera, cum matris, genitricisque sit mentio? An respondent nostris, cum

[1] *Euang.*

vulgò

vulgò dicimus, non futurum, vt similem aliqua matrum pariat aliquando? Sed sunt, qui hic Salomonem velint intelligi. Sexaginta sunt Reginę, Salomoni scilicet Regi. Suadet, quòd alium pastor non agnoscebat. Indefinitè prętcrea loquitur. Carissimę adhuc Salomoni erant suæ, homini pace abutenti, delitijs, ac voluptatibus dedito. Dices, de Salomone igitur, & vxore fabula? Non video sequi nimis scrupulosè, vt qui nolimus de Salomone, & filia Paraonis, aut amata alia esse, nolimus neque nominatum Salomonem. At Salomoni longè plures Reginæ, concubinæque, atque hæ, quam illæ plures? At pastori tribuuntur hæc, nihil numerum curanti; aut designatione maioris in minorem incidenti; Nisi fortè pro infinito finitus sit numerus.

* Sexaginta sunt Reginę, & octoginta concubinę, & adolescentularum non est numerus. vna est columba mea, perfecta mea. Eodem plane sensu, eademque quę in fabula, interpetratione. Trahat sua quemque voluptas; Delectentur alij alijs; mihi prę omnibus vna est, & pro omnibus. Vna est columba mea, quam amem: vna perfecta mea, quam extollam, & vt prędarum opus admirer. Et suo ille iure, sic loquitur de ea, quę supergressa est vniuersas, [1] cum singulę sibi diuitias congregassent. [2] Et in cuius conuersatione nihil amaritudinis, & tristitię. Vna est vni, singularis singulariter Mater, & Virgo: Virgo, & humilis: humilis & gloriosa. vna perfecta, cetera ad instar operis ex argilla; [3] Rudimenta potius Mariam facere condiscentis, quàm opera. Vna est in terris, vna & in Cœlis; quantumuis vt cœlum sideribus, sit beatissimis mensibus repletum Empyreum. Sed sit tibi vna columba, quippe qui solus dignè amare, dignè valeas redamari, nobis tecum vna perfecta, communis est. Hanc nos habemus, & suspicimus tecum, tuo testimonio, te Iudice. Quo & paradisos despicimus, & despectui habemus magnificentiam templorum, diuitiasque sanctuariorum prę vna; quin & tecum adhuc noscimus, te dante. quòd vna est matris suæ, siue matri, electa genetrici suæ, ei quæ peperit ipsam. Nam & triumphans ipsa Ecclesia genitrix, nec similem visa sibi est, nec habere sequentem. Qua propter suspicit, & in vultum eius suspirat. quantumuis gloriosa incedat multitudine gloriosorum Filiorum, & vt [4] nouellis oliuarum Angelis vndequaque circundata omnibus Filijs, omnibus Senatorijs, omnibus Consularibus, quin adhuc & Triumphalibus, nè dicam Regibus, & Imperatoribus. Quare ipsam vnam alloquens, Veni, inquit, electa mea, & pone in me Thronum tuum, maius ex vna ornamentum, quàm ex ceteris simul omnibus sibi certò pollicita. Iàm verò non singulare tuum hoc testimonium Domine, neque priuatum priuati amoris iudicio: omnium est, atque commune.

Mariæ Domina singularis in oculis Filij in omnibus excellentia.

[1] *Prou.*
[2] *Sap.*
[3] *Ex Plin.*

Triumphanti Ecclesiæ Virgo singularis.

[4] *Psal.*

Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt.

Vt in vna pulchritudine omnes opes, & diuitiæ, & fœlicitas ipsa mulieribus.

* Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt. Quod in Prouerb. dictum. [1] Nimirum hæc mulier fortis est, cuius procul & de vltimis finibus pretium. Id ab prophetatum: [2] Ecce enim ex hoc, inquit, beatam me dicent omnes generationes. Sed & Angeli adhuc dicent, & animæ iustorum, & sancti. vnde subditur.

[1] Prou.
[2] Euang.

Reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

Scilicet omnes cuiuscumque ætatis, generis, conditionis. Ac si, [1] Et quidem tui pulchram aliquis videns faciem, laudauerit. Rectè probat sibi vnam esse amoris phœnicem, præclaro æmularum iuditio, vel ab ipso aspectu quocumque.

[1] Theocr. Idyll. 35.

* Reginæ, & concubinę, & laudauerunt eam. Nam quid de Ecclesijs dicemus, quarum illa mater, ornamentum, decus, & ipsemet, vita, illuminatrix ad vitam? Sanè in resurrectione, id sic adimpletum; dum omnes Angeli, animæque alternantibus choris Mariam, Dominam, & Reginam pręsente Domino, ac Rege totis animis consalutarunt, intonueruntque illud: Regina cœli, aliaque. Tunc surrexerunt Filij, tunc viderunt, tunc beatissimam prędicauerunt.

Virgo mater, Ecclesiarum, & decens.

Quæ est ista, quæ progreditur.

Verba laudantium. Laus à laudatis. Et quid aiunt? quæ est ista, quę progreditur, cum scilicet incedentem vident.

Sicut aurora consurgens.

Hebr. apparens. id, & consurgens.

Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?

Optimis optimo ordine comparant. Incedunt ipsę comparantes, & progrediuntur. Prestat aurorę Luna, Lunę Sol: Vincit omnia pulchritudine, simul cum maiestate coniuncta, acies ordinata. Crediderim vulgaria hęc olim, vt nobis alia nostra, Hebręis, & tanquam cantilenę, sæpè in laudando vsurpata. Vtcumque pulchræ laudes pulchritudinis, mysticè pulchriores. Sed & sponsi adhuc ipsius videri possunt, non ex persona aliarum, sed sua, hac occasione: Mollita sponsi laudibus sponsa; quam ex parte scœnæ cum choro constituimus vtcumque; atque incensa ad sponsum mouebat loco, contollebatque ille contra gradus in oscula ruiturus; cum venientem videns, sponsus laudauit. Quæ est ista, quæ progreditur. Hic crediderim, itum in amplexus, in suauia, nihil alienum à scœna, vt poëtæ alij docuere.

Vbi columbari datum, sponsus tanquam noua scœna, vt omnino læsi, atque imminuti amoris à se remoueat suspitionem, & ex ea, si quid offensionis in sponsæ animo, [1] ollę vestigium in cinere turbat, dum affert sui discessus probabilem caussam, rei familiaris iniectam

[1] Adag. Ollæ vegistium in cinere turbare. Adag.

repentè

repentè curam à recordatione, vt fit. Et sanè è consilio, sic enim res ipsa postulat à volentibus in amicitia ęternitatem, nulla iracundię vestigia vt relinquantur.

* Quæ est ista quę progreditur, sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Siue Chori, siue sponsi verba sint hęc in drammate; certè in Virginem maximè quadrant, lętantem à tempore resurrectionis Filij. Quod si dicta sunt hęc, sponsa ad sponsum gradum contollente, atque ita se ferente cupidam amplexuum, osculorum; certe hęc, eadem ratione, eademque occasione dicta sunt eo tempore. Exsurgens enim Maria è loco vbi aliquandiu iacuerat, mœrens, dolensque se ad Filium rediuiuum, & triumphantem ferebat lętam, hilaremque, suauia mille, mille oscula infixura; cum progredientem incredibili lętitia, simul modestia permixsta, atque ita augusto incessu, ac diuino sic excipiunt, siue Angeli, animęque, siue Filius ipsemet. Quæ est ista? Qua quidem in re nihil est admirabilius, quàm quòd cum vno explicare nequiuerint incedentis maiestatem, & vt ita dicam, diuinitatem, multis vt in cœlestibus fit, & excedentibus captum laudantium, explicuerunt. Quæ est ista, inquiunt, quę progreditur, sicut aurora consurgens? Nil formosius. Pulchra vt Luna? Nil plenius. Electa vt Sol? Nil luminosius, ac splendidius. Augent autem rem, quia gressus ipsa Virgo augebat, & cumulabat decore. Quo fiebat, vt vicinior, pulchrior appareret. Primo quidem aurora, tum Luna, Denique Sol. Omnem lucem continens vna, omniumque splendores. Ita tamen pulchra, vt decora, propter quod addunt: Terribilis vt castrorum acies ordinata, nimirum cœlestium. Fortè stipata exercitibus cœlestibus progrediebatur ad Filium, vt sic dicunt. vel ipsi in phalanges ordinati omnes, mirabantur vnam incedentem, omnes referre; multorumque continere ordinem, ac dignitatem. Hęc autem si ad corpus referamus dum gradum, vt dixi, contollebant: nam si ad animum, atque ad interna, is erit commodior sensus: Contemplabantur in Virgine Angeli, siue ipsemet Christus Dñs, qui nobis illam laudabat, nobis admirandam, imitandam tradens. Contemplabantur, inquam, progressus in virtutibus, tum in gradibus gratię. ad hęc in contemplatione diuinorum, & quidem felices Sanctis, ac celeres progressus videbantur. Ideoque sic laudant. visa illis nascens aurora, concipiens Luna, Filium recipiens Sol. alios conspiciens asseclas, castrorum acies ordinata. Videbatur & futura, ipso Filio reuelante, gentibus aurora, Ecclesiæ Sol, hostibus acies ordinata. Sciebat vnam pulchrorum omnium continere rationes, & in gloria superaturam, ideoque quicquid pulchri in mundò est, simul aggregant, simulque lucem luci addunt & ordinem ordini, vt adumbrent eius formositatem. Iam nos quid auroræ Filij non lætamur, ministri Lunæ, Solis pedissequi à castrorum acie ordinata protecti? Quæ nobis, aut vnde in exortu auroræ mæstitia, aut somnus? in plenitudine Lunæ tenebræ, in medio Sole cæcitas? timor in acie ordinata? O auro-

Maria tempore resurrectionis exsurgens se ferebat ad Filium rediuiuum.

Virgo auroræ, Lunę, Soli, exercitui cur comparata?

ram surgentem Mariam Angelis, Lunam plenam hominibus, Solem splendentem Apostolis, aciem ordinatam martyribus. O omnibus omnem lucem, omnem tutelam Mariam. Sed quid est quòd pulchra vt Luna, Lunam pedibus premit in Apocalypsi? An quia sanctior semper facta, semper sui æmula, sui victrix? An verò quia alia Luna, cui ex pulchritudine comparata, nimirum triumphans Ecclesia, quam & vincit; alia, quam premit, militans, quam defendit? An denique plenę comparatur ob perfectionem, deficientem premit, quia perfecta, atque absoluta? Sed mihi nouo sensu, Aurora lex est, Luna gratia, Sol gloria, castrorum acies cum militans, tum triunphans Ecclesia. His omnibus similis ex comparatione Virgo lex ipsam: Et de [1] Sion exibit lex. Gratia ipsa: [2] Aue gratia plena. [3] Gloria ipsa: Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Ecclesia ipsa militans, ac triumphans, idest Ecclesię optimum membrum, & dignissima pars Ecclesiam repræsentans, atque agens, Ecclesię aduocata, & illuminatrix. Iam verò surgens lex, pulchra gratia, electa gloria, ordinata Ecclesia. Surgens ad gratiam vt ad diem lex, plena ad gloriam gratia, electa sibi gloria, & præcellens. Ordinata ad terrorem hostium, Ecclesia, ad consolationem pugnantium, ad gaudium triumphantium. Sed iam Domine mi, si tibi Maria aurora consurgens, [4] dimitte me, iam enim ascendit aurora, plenum consolatione, retributione reuertentem ad eum, qui misit me. Reuerere auroram, quam venerari nos, & reuereri voluisti. Mea autem obliuioni detur dextera, si auroram videns, si Lunam, si Solem, non extendero manum meam, & [5] deosculatus fuero illam; quando licet nunc adorare hæc per summam religionem, idest Mariam omnia referentem. Agite dum iam collato gradu ad sponsum peruenit sponsa, à quo amplexu, à quo suauia accipit. Et Maria ita laudata interea ad Christum Dominum eo die resurrectionis, à quo foris quidem eadem recepit offitia, & beneuolentiæ signa: intus vero ad cœlestia gaudia, ad beatam visionem peruenit; id enim sæpe oscula esse diximus. Columbari igitur datum, quia datum eo modo lętari; vnde rectè lętanti concinimus: Gaude, & lętare Virgo Maria; calcaria addentes currenti, nec non offitiosè. Id quod & ad alia tempora, cum priora, tum posteriora vitę Virginis Dominæ referre possumus, eodem decoro; siquidem semper Virgo, post tenebras lucem, & post labores quietem vidit, è maximis tribulationibus in portum voluptatum recepta. Cęterum post oscula sponsus discessus sui rationes affert, vt sponsam placet; quia nimirum quærenti, [6] Fili quid fecisti nobis sic? Respondit, post internas consolationes infusas Dominus, se in ea quæ Patris sunt, descendisse. Et resurrectionis tempore, ac quouis alio vsque ad ipsius Virginis assumptionem, credibile est post corporalia adhuc oscula, vel post spirituales internas consolationes, discessuum suorum amicè, & nostri adhuc in primis caussa, qui in his instituebamur rationem attulisse. Et quid ait hanc afferens?

Maria pulchra vt Luna, & tamen Luna sub pedibus eius. Declaratur.

[1] Psal.
[2] Euang.
[3] Psal.
[4] Gen.
[5] Ex Iob.
[6] Euang.

Descendi *(inquit, nè mireris si discesserim)* in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.

Poma pro quolibet fructuum. LXX. addunt, Tibi dabo vbera mea tibi. Simpliciter; [a] nam veritatis sueuit esse oratio simplex. Notandum autem, quòd descendere interdum, ascendere est: fortè hic sensus hoc loco (Ascendi in hortum nucum,) si quidem sponsi vineæ in ascensum situs. Id, quod veritati respondet, vt dicemus: Sursum enim est Patria nostra. Rursum hortus nucum, hortus nucleos continentium arborum.

[a] *Eurip. in Phœniss.*

Nesciui.

His sponsa, fœminarum more aptissimè. Nesciui. LXX. non nouit anima mea. Non noui, neque nosse sollicita sum: fit quodcumq; quod intexas. Sic mulieres in his: Vnum scio, & scias velim, Animam meam conturbatam præ celeritate in currendo ad inueniendum te, æmulam [b] subalati currus quadrigarum Aminadab. Atque hoc est. * Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. Illud ipsum, quod ipse breuiter: In his, quæ patris mei sunt, oportuit me esse, idest in salute animarum, in doctrina, in prædicatione veritatis. Rursum descendi ad inferos, ad animas ex sinu Abrahæ liberandas. Et quoniam descendere est, vt diximus; & rursum hæc ita in vnam congruunt vitæ Dominæ actionem, vt in omnia congruant, siue ita in vnum tempus, vt in aliud, quòd iugis illius omnis fuerit vita, & quadam ratione vniformis, quà omnis in tribulatione, & consolatione; placet in ea referre vltima, ac postrema tempora, quibus Dominum absentem Virgo, vtpotè post ascensum in Cœlum ægrè tolerans ardebat, ac suspirabat; Vt inquisitiones illæ, & compellationes sint in cœlum ad sedentem à dextris Patris. In quo quidem Diuinum apparet artifitium auctoris, qui similes inter se actiones, eiusdemque exemplaris; vnica adumbrauit, & expressit in scœna. Et sanè ita existimarem quantum licet homini de diuinis conijcere, & è penetralibus Diuinorum consiliorum extrahere, hæc de extremis illis esse temporibus, quibus Virgo Beatitati appropinquans, officiosius quam antea, amoris Filij impatiens, illius videndi cupiditate ardentius efferuescebat. Quadrat quod cum extremus actus, sit eorum lux, quæ sint in assumptione ipsius gesta cum amatore, & amato filio; videbatur id decorum postulare, vt quartus, in quo explicando versamur, esset eorum, qui illi proximè antecessissent. Virgini igitur exsilium suum, & solitudinem deploranti, diuque, ac multum in filium suspiranti; primò quidem adsunt, qui consolentur, Scripturæ, Creaturæ, Angeli, Chorus omnis, quem diximus: tùm demum ipsemet Christus Domi-

[b] *Plat. in Phæd. dicit currum subalatum.*

Vita Dominæ vniformis.

Similes actiones vna scœna expressæ, diuinum artificium.

Virgini Dominæ morituræ adsunt Angeli, & ipse Christus Dñs.

minus è Cœlo descendens aurora ascendente; nimirum appropinquante Virginis Assumptione. Id quod ita fieri decuit, vt qui per Angelum antea salutasset sponsam, per se ipsum nunc Matrem salutet, redeuntemq. gratijs, ac donis ipse coram alloquatur, & consoletur, adstetque, vt super quem sit illa mox innixura. Iam verò post infusas lætitiæ voluptates, ac consolationes post exhilaratum cor, post Assumptionis proximæ pollicitationes, ac spes futuræ mox gloriæ iam præsentes; absentię se purgat, & officiosam dilationem enarrat. Ecquid ait? Descendi in hortum nucum. In cœlum ad dexteram Patris. Visurus desuper, & Ecclesiam contemplaturus, & illa quidem fruiturus; huic coram ipso scilicet Patre patrocinaturus. Descendi in hortum nucum. Rectè gloria hortus, cuius figura hortus ille delitiarum [1] manu Dei positus: & quidem nucum hortus, quod est earum arborum, quæ his aptæ fructibus, quibus nuclei contineantur; quia nimirum hortus intimarum, & absconditarum consolationum, quibus frangendis cum hic sentiatur labor; ibi nuclei gustus sentitur nullo labore; propter quod ipsum [1] conuiuium alibi pinguium dicitur ille gustus conuiuium medullatorum. & rursum Terra est alijs fluens lacte, ac melle. Sequitur, vt viderem poma conuallium. Angelos, animas beatas, vt quà concinerent, congruerentq. simul viderem. Quorum scilicet ipse Redemptor, ac Dominus faciens vtraque, vnum. Quorum illos ibi reperit, hos adduxit. Et inspicerem, si floruisset vinea: Ecclesia militans. Et germinassent mala punica, Caritas in vnoquoque, Dei, proximiq. duoq. illa præcepta exacta lege, quibus lex omnis contineretur; quæ reliqui mundo, duas faces, duos Soles, duo lumina, duos oculos. Si germinassent, mandata scilicet noua, & vetera simul, in cordibus sata per gratiam. Id, quod nostri causa sic dicit, vt viderem; iam enim hic videbat, hic Deus homo, beatus, vt non habuerit necesse, vt nos, alibi coram in seipso, verbum videre. Id ipsum, quod nostri causa dicitur, de aduocato, quòd ascendit, vt pro nobis fiducialiter, & propius diceret; iam enim hinc dicere poterat, & aduocare. Quæ quidem omnia nostri causa, ita dicuntur, vt & nos melius percipiamus, intelligamusq. hinc, quo nos ille, & Ecclesiam militantem omnem ibi amore prosequatur, quem vt ad collem ascendisse fingimus nobis; vnde vinea posset melius prospectari. Propter quod suo iure ille gaudia ab Apostolis exigebat, cum discessum meditaretur. [2] Gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Hæc de omni tempore, & eo præsertim, quod esset assumptionis vicinius. Videns autem & quo artificio Deus ad assumptionem describendam delabitur, optimus poëta, & has eiusdem insistentes vestigijs ad eandem per explicationem. Rursum animaduertis, quæ similia essent, vna actione omnia comprehensa per idem artificium? Sed sic causas adducenti absentiæ, dum Sponsa, Nesciui, Respondet, quod est, nihil sollicita sum; sanè Virgo, quæ ijsdem fermè respondeat, introducitur. Nihil sollicita sum. Tu tibi noueris. Sit quodcumq. à te, benè facta omnia certò existimarim. Habet id lætitia, vt faciat mœstitiam

Gloria hortus, & cur? Hortus nucũ.

1 *Genes.*

Christus Deus homo. Semper vidit omnia. Declaratur.

2 *Euang.*

ftitiam obliuisci, superuenientiaq. voluptatis tempora, vt eorum, quę antecesserunt dura. Quo beatis nihil molestiæ, recordatio molestorum. 3 Absterget siquidem Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & iam non erit amplius aliquid doloris, quoniam priora transierunt. Nunc Virgo nihil sollicita est reperto in templo filio, rediuiuo è mortuis, ęternorum promissore, descensu è Cœlis, & à dextris Patris ad morituram. Nunc, inquam, absorpta plenitudine voluptatis, abstersisq. molestijs. Satis modò sollicita, quę quęrebat, & clamabat. 4 Quę plorans plorabat in nocte, quę vt dicerent illi, nuntiarentque, quod amore langueret, petebat. Secundum multitudinem dolorum consolata, atque referta est. Sed quamquam nihil sollicita sit, non amittit tamen exponere, atque referre rationes viarum, difficultatesq. cum sponsa.

Lætitia præsens obliuisci facit pręteritarum molestiarum.

3 *Apoc.*

Virgo moritura, absorpta lætia nihil curat pręterita.

4 *Hierem.*

Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab.

Proprium hominis nomen, vulgò primatis, noti, & curribus insignis. Non modò vigilantiam, quod [1] ille ait, narrat suam, verum & diligentiam, ac sollicitudinem. Nexus igitur: Anima mea conturbata est propter cursum, quem cucurri, ac si essem quadrigę Aminadab. LXX. posuit me currus Aminadab, idest dilectus meus posuit me, dedit me esse currus, aut quadrigas Aminadab. Possent sic nostra exponi: Propter, prope quadrigas currentes scilicet Aminadab. Apertius alij: Posuisti me in currum, aut vt currus. Illis explicari, atque intelligi melius possunt hæc, & si Prophanorum.

1 *Ex Terent. in Adelph.*

2 Celerem cursum Equarum quadriiugo curru. Et.

3 Quadrigas Iouis si inscendas. Melius.

4 Citis quadrigis citius.

2 *Eurip. in Orest.*

3 *Plaut.*

4 *Plaut. in Aul.*

* Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab. Quod est, vt diximus: Posuisti me in currum Aminadab. quo scilicet, in quærendo celeritas, & defatigatio significatur. Aminadab vir insignis aliquis, Deus est, qui [1] sedet super Cherubim, & volat super pennas ventorum, ipsis scilicet ventis celerior. Currus Dei Angeli & Cherubim. [2] Currus Dei decem millibus multiplex Dominus in eis, in Sinai in Sancto. Celer quęsiuit Virgo filium, quo tempore amisit, & corporalibus quidem spatijs ea, qua maior existimari nequeat solertia, ac diligentia, maximo amore vrgente. Iam verò animo, mentis scilicet cogitatione, ac cura, vt dici vix queat. Tum contemplatione tempore mortui filij, atque vbi se in Cœlum tulit; vt in terris Cherubim videretur, quos adhuc vt amore, ita & diligentia superabat. Significatur nimirum his ad pręmium, & exprimitur amor, quo erga illum erat, & ab amore diligentia, atque ardor, quo quęsitus esset, & absens vocatus. Sed quęnam hęc conturbatio animę Marię, dum se sponsa conturbatam dicit? Sanè officiosa, & virtute plena, vt illa, de qua dicitur: Et turbata est in sermone eius; nam simillimę Deo Virginis, & ad illum imitatione paterna-

1 *Psal.*

2 *Psal.*

Virgo turbata quomodo in quærendo filio, & quando?

ternarum virtutum proximè accedentis affectus, vt Dei exprimuntur, more nostro, & vt in nobis sunt. Sic enim & irasci Deum dicimus, & turbari, & pœnitere; quæ quidem omnia, ita sunt nobis per nostra intelligenda, vt nihil tamen Deo Maximo imperfectionum, & miseriarum tribuamus. Anima Virginis quærendo, vocando conturbata est, quia nimirum gladio doloris, vt fuerat antea prophetatum, in his omnibus transfixa est. Quamquam transfixa, stetit illa tamen semper animo, nec quicquam deficiens commota est. Vnde non abs re dicitur, quòd stabat in 4 Euang. Quod quidem magni animi magnum signum est, prosternente naturam dolore, & affligente adeo vt sedere, aut iacere compellat. Stabat tamen miraculum orbis terrarum, & admiratio nationum, nouum simul mundo, & dolorum, & fortitudinis exemplum.

Stare Virginis, iuxta crucem signum animi constantis, & fortis.

4 *Eccl.*

Reuertere, reuertere Sunamitis.

Chori verba. Obliti vterque (quod amoris singularem exprimit conditionem) omnium, earumque, quę ita se officiosas quærendo exhibuerant; alter in alterius scilicet cogitatione defixi, amoreq. inhærentes, & clauo, quod [1] ille ait, amoris confixi, accusantes se, excusantes, quin firmiori amori restituti, [2] irarum beneficio, discedebant iam è conspectu, iamq. se in viam dederant, & aulæa ingressui subducebant sibi (iucundissimum auditu, pulcherrimum visu, & si non rarum scœnis) cum sollicitæ mulieres, ex altera parte, sponsam, quod prætexerent ad multa lucem, melius inspectã, nondum ipsarum exsaturatum in videndo decore animum; ad se vt reuertatur: operæ pretiosa merces: immoreturq. paulisper, quamdiu intueantur, blandius reuocant. Reuertere, reuertere inquiunt,

1 *Plaut.*

2 *Ira redintegratio amoris.* Amicorũ iræ redintegratio amoris

Sunamitis. Alij Sulamithis, melius Sulamitis, pacem colens, seu pacifica interpetramur. Est autem Sulamitis, alijs Hierosolymitana à psaltu, alijs Salomona, vxor scilicet Salomonis, à Solimone, seu Salomone, idest pacifica vxor iam pacifici tui, vt intueamur te.

* Reuertere, reuertere Sunamitis. Chori in actione verba, hic in historia Angelorum, aliorumq. quos diximus chorum sustinere. Et ibi quidem chorus loquitur, sumpta discessus occasione; siquidem videbantur sponsi obliti omnium iam discedere, defixi alter in alterius amore, & secedere in propria amorum nutrimenta; hic vero Angeli, alijq. sumpta excstasis, & discessus adhuc in Cœlestia occasione; siquidem Virgo, horum omni tempore, vbi filium inuenit, vbi accipit [1] de resurrectione, vbi de ascensu complexus est nuntium cogitatuum propriorum, & sui ipsius legatum, ita ardenter amauit, ita in illo defixa est omnis, seq. omnem ad illum ardendum conuertit, vt liquescere aspicientibus, & iam emori præ amore videri posset. Id, quod si in alijs, certè in amorum parente amor debuit operari. Et sanè, cum semper id operatus in illa est, tum maximè cum morti vicina filium accepit ipsum loquentem, & felicia nuntiantem. Tunc nimirum amor ardentior, filius post longa tempora carior. Cui illa bene conue-

1 *Paul.*

Morti vicina Virgo amore inceditur magis, & rapitur excstasi.

conueniunt: Datur ora tueri, nate tua, admirantis, gaudentisque simul, aliaque. Vt igitur reuertatur ibi, Chorus sponsam exorat, secumq. paulisper sit, qua delectetur. Hic Angeli, Ecclesiæ, Apostoli, Creaturæ omnes, Mariam Dominam, vt non statim excedat è vita; cum ipsis sit paulisper, quam diu decus orbis, & Cœli ornamentum intueantur. Reuertere, reuertere ex exstasi hac tua, tam magna, atque amore, qui dissolutionem operatur: Nobiscum sis, nè derelinquas nos orphanos. Ostende faciem tuam nobis, qua potissimum delectemur. Aut: Reuertere, conuerte te ipsam ad nos paulisper, aut per consolationem, & exemplum pro vita. Et Sunamitidem appellant pacificam, vxorem Salomonis, Salomonam; quia nimirum & ipsa paci nata nostræ, & pacifico suo in adiutorium simile data mater pacis, & salutis. vnde se solita appellare [2] Mariam Domini. [3] Pacem dedit seculo, de ipsa canit Ecclesia: nosq. Salomonam agnoscimus pacis parentem, & ducem, à qua pacem, à qua benignitatem postulamus.

Maria Domina Salomonia, & cur?

[2] *Epist.*
[3] *Eccl.*

CAPVT SEPTIMVM.

Quid videbis.

Septuaginta, Videbitis. Vtrumque idem. Nam cum plures alloquimur, vel pluraliter omnes, vel singulariter vnumquemq. figuratè alloquimur.

In Sulamite.

Septuaginta, Sulamitide.

Nisi choros castrorum?

Septuaginta, Quæ venit, sicut chori castrorum. Alij sic, Quid intuebimini in pacifica? Videntur sponsæ vocatæ verba, & optantibus reuertenti. Quid videbis, inquit. Quid visuræ, videndi studio ardetis? Laudata officiosè ipsa se deprimit, & in laudum theatro, illis; quæ essent propriarum partium; agentibus, ipsa actum agit suum. Quid videbitis inquit, nisi choros castrorum? Laudata vt sit, materiam laudis sibi assumit, in qua turpitudo; formam à se abijcit, in qua scilicet pulchritudo in se negans esse. Modò à Reginis sponso referente laudata, quod esset sicut castrorum chori ordinati; castrorum quidem esse in se choros admittit, negat ordinatos. Significat in se nihil esse, nisi turpitudinem, confusionem, perturbationem. Decorus retorquendi laudum modus, & laude dignior. Sic cum humilem aliquem rosam dicimus, rosam se ille per humilitatem, atque cum lepore fatebitur, at sine humore, ac macida. Nuper quidem simplicitatem laudantibus, admittebat ille quidem; at columbinam in se esse, quæ laus

laus est, negabat simplicitatem. Possumus adhuc dicere, quòd quoniam videndæ studio cinxerant iam illam vndequaque puellæ, hinc, atque hinc, & in medio collocantes, vt chori castrorum vallarant. Lepidè sponsa, Quid in me, inquit, videbit nunc quis, nisi quod vestrum est, vos ita circa me benè, aptèq. dispositas? Fortè conuertit se ad sponsum, qui castrorum aciem ordinatam dixerat, aitq. non sine sale: Nunc vtique dicere poteris, quod dicebas, castrorum acies. Iam enim castrorum choros, à quibus acies, vides circa me. Acutè, & lepidè. Sunt, qui hęc sponso tribuant euntem vocantibus laudanti. Quid videbitis, ò puellæ filiæ Hierusalem, (vt meritò accersitam dicant) nisi choros castrorum, nisi quod graue, quod decorum, quod pulchrum, quod dignum sit? Quod ille de sua malè ait, malo affectu.

* Plaut. in Cur.

* Quid vidisti, aut quid videbitis magis Dijs æquiparabile?

* Quid videbis, aut vt LXX. videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum? Vel quod intuebimini in pacifica, quæ venit, vt LXX. habent, sicut chori castrorum? Sanè si sponsę sunt se deprimentis, & ordinem illum chori castrorum à se per humilitatem auferentis, vt diximus; sic in Virginem quadrant, vt sit sensus idem, atque eadem humilitatis interpretatio, vt se choros castrorum quidem dicat, at non ordinatos, quo significet in se esse à natura, à Deo plurimum, proprij fermè nihil. eo sensu, quo verè humiles se deprimunt, plurimum Deo, sibi nihil attribuentes, innuit se non dignam, quæ viseretur, cuiq. tantum, attribueretur honoris, & existimationis ab omnibus. Quod si ad sponsum se sponsa conuertit, dum hęc dicit, & ingeniosè, nunc verè se dicit choros castrorum, cum choris vndique circundatur, & circumuallatur; & certè officiosè, & à Virgine dicta videri possunt, tunc temporis, cum vndique ab Apostolis, ab Angelis circundata mox apparuit moritura. Ceterum si sponsi sunt sponsam laudantis ab incessu, multò magis eodem, quo in fabula sensu. Quid videbitis, nisi quod graue, quod decorum, quod pulchrum, quod dignum sit? Vno verbo, nisi quod Angelicum, ac diuinum. Quid magis Angelis, & Cœlitibus ęquiparabile? & quadrabunt omnia cum in corporalem incessum, quo maiestatis plena incedebat parens optima, & diuinissima, tum in animi grauitatem. Passu se diuino, ac Cœlesti ferebat ad omnia cœlestis Eua è Cœlo Dei donum, ac munus. Nec erat minus stantem iucundum, quam incedentem videre; nimirum non minus ęquo animo perferentem, quam facientem in tribulatione progressus.

Virgo Chorus castrorum cur?

Virginis grauitas in omnibus.

Virginem incedentem videre cur iucundum satis.

Quam pulchri sunt gressus tui.

Gressuum laus.

Æstimatione pulchritudinis lęta sponsa, aperta laude in ruborem commota, hinc sponsi amore detenta, inde precibus euocata, inter alacrem, & timidam, inter festinam, & tardam, composito quodam à natura, atque arte in admirationem passu, se ferebat ad puellas iam, cum illę mirificè captę, à gressibus euntem laudare incipiunt. Decoro actionis successu, dum laudibus exornatam à capite ad pedes à sponso, ipsæ retrogradæ, à pedibus ad caput exornant. Reperias

eunti

eunti Iphigeniæ apud [1] Euripidem chorum canentem, Heus, Heus spectate euntem Virginem. Et quid aiunt nostrę, aut iunctim simul omnes canentes, vt olim ab alijs, aut pro cunctis aliqua, aut quod magis reor, alternantibus sibi inuicem, vt non esset cui non laudata abiret tanta, ac noua nupta? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis. LXX. speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis tuis. Videntur [2] illa legisse: Vsque ab vnguiculo ad capillum summum contemplare, si depictam pulchriorem videris. Continetur autem incessus laus, incessus, in quo, [3] pars non contemnenda decoris. Laus autem è pedibus, è calceamentis, è motu. Bonum ex tribus integris: pes naturam, calceamentum artem, motus ingenium, atque indolem notat. Legas à pede laudatam.

[1] *Eurip. in Iphi.*

[2] *Plaut. in Epidic.*

[3] *Verba Ouid. 3 de art.*

[4] Pes erat exiguus, pedis est aptissima forma.

A calceamentis.

[5] Fulgentem in limine plantam

Innixa, arguta constitit in solea.

Ab incessu.

[6] Molliter incedit, motu capit.

Sed vt perficit naturam ars, pręter commune studium ornandę, pręter ceteras ignobilioris partis, sicut [7] Paulus ait, studiosę admodum calceamentorum sunt feminę. Nulla caritas maior, aut labor. Vnde artifitiosa illa pollicitatio: [8] Soleas tibi dabo, & annulum in digito aureum. In calceamentis plurimum ipsis ornamenti, & videntibus; vt [9] Olophernes captus in sandalijs Iudith ostendit, pulchritudinis, & à pulchritudine incendij. Hęc autem ad verba parum, ad mystica plurimum dante Deo; Quare quin annotemus, cum Deus annotata voluerit, facere nullo modo possumus, seruientes scœnæ, & poëtæ ipsi Deo.

Pedis laus. quæ.

[4] *3. am eleg. 3.*

[5] *Catull.*

[6] *2. am eleg. 4.*

[7] *1. Cor. 12. vbi ait.* Quæ putamus ignobiliora membra, his honorem abundantiorem circumdamus.

Mulieribus in calceamentis plurimum ornamenti.

[8] *Plaut. in Casin. Legas apud Pier. quemdam iussisse, vt nudo incederent pede vt domi se cōtinerent, & obtinuisse.*

[9] *Iudith.*

Filia Principis.

Vel, quæ videris principis filia. vel ad pedes relatum. gressus videri possint filiæ principis.

[1] Et Thetidis quales non reor esse pedes.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis. Vt omittamus de corporis gressibus dicere, remque omnem ad animum transferamus. Gressus affectus, & progressus in virtutibus sunt cum in actiua, tum in contemplatiua vita: in vtraque enim progredimur; vnde in vniuersum illa dicta: [1] Ibunt de virtute in virtutem. Reuocata igitur Virgo per dilectionem, & suorum necessitatem ad vitæ munia, quæ contemplatione ex instituto, consuetudineque semper miscebat; interiora considerantibus, artifitiosè gressum componebat ad admirationem, vt dicerent: Quam pulchri sunt, exclamantes, gressus tui, nimis scilicet pulchri affectus, progressusque in omni genere vitæ, ac virtutum. Et addunt, in calceamentis; quæ quidem pedum sunt ornamenta, dum concinnant restringentes. Id quod est in modestia, in moderatione omnium. Harum enim virtutum offitium affectus

[1] *Ouid. in Acōt.*

[1] *Psal.*

Modestia Virginis Dominæ.

fectus nostros restringendi, vt calceamentorum pedes, nè vastè incedant, & vasti quid habeant, ac deformis. Quo [2] docemur calceamenta ponere in pedibus nostris cum incedimus, nimirum modestia in omnibus, & moderatione vti, siue medio, atque prudentia; quam tenendam in primis Patres docuerunt rectricem, moderatricem. Et quidem modestissima, prudentissima Virgo, quæ & si modum, sine modo in amando tenuit, qui modus est; nostri tamen exemplo in agendo certum tenuit modum, diuisis sibi diei horis in actiones, ac spatijs. propter quod digna in calceamentis vocari [3] ad visionem videndam. Filia principis, filia altissimi, [4] primogenita ante omnes creaturas, dum omnibus prępo sita, atque omnium finis. & si enim omnia propter Christum, omnia adhuc propter Mariam, quæ ipsa tandem propter Christum.

[2] *Euang.*
[3] *Exod.*
[4] *Sap.*
Omnia propter Maria. Mariã, propter Christum.

Iuncturæ fœmorum tuorum.

Fœmorum laus.

Vertebræ, cui fœmora inseruntur, vel quę fœmur cruri iungunt. Vel coxę, quæ fœmora innectunt. Vel totus fœmoris ambitus. LXX. moduli fœmorum, scilicet aptitudines, commissuræ.

Sicut monilia, &c.

Ventris laus.

Rotundæ. LXX. Similes torquibus, quę fabricatę sunt manu artificis. LXX. opus artificis. Sunt qui monilia triumphantium intelligunt, quę sunt circa collum. Ex Græco ἐπιτραχήλια.

* Iuncturę fœmorum tuorum. Vertebrę, &c. sicut monilia, rotundę, vel vt LXX. opus artificis, vel sicut monilia triumphantium. Quid hęc his laudatoribus? ni fallor, Connexiones virtutum; sunt enim iter se connexę virtutes; estque & id vnicuique offitium, non solum virtutes acquirendi, verum & connectendi. Sanè fœmora virtutes, à quibus generationes spiritualium fructuum, fortitudo, incessus, ensis colligatio; vertebrę autem iuncturæ, connexiones. Hæ in Virgine perfectæ, dignę, æternæ, quia æternitatem respicientes opus artificis, scilicet Dei, sicut monilia triumphantium, sicut coronæ gaudentium Angelorum, & gloria.

Virtutum connexio Domina Maria.

Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.

Vmbilici quę laus

Quod est potionibus. vnde. LXX. non deficiens mixsto, quòd se in orbem humores componant. Crater plenus. Alij vertunt, crater Lunę perfectè rotundus, vt Luna. Ex Hebræis, quibus Luna pleno orbe à rotunditate dicitur.

Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs.

Ventris laus.

Idem, aut in eodem comparatio. Æqualis, rotundus. Student enim, vt [1] Comicus ait, mulieres vincto pectore esse, vt graciles fient. Vincto autem pectore tumet venter. Sed quid est, Vallatus lilijs, aut septus,

[1] *Teren.in Eun.*

feptus, aut munitus, aut vt LXX. vallatus in lilijs? Rustici ita interdum vallant aceruos tritici. Quid autem ad comparationem hæc? aut vacant poëticè illa (vallatus lilijs,) aut faciunt ad rotunditatem, aut fit ad gemmas, siue flores allusio, quibus in medio sponsa, tanquam in pede vteri cingebatur. mihi, vt alijs, incertum, etsi non prætermissum. Videant per se ipsi legentes, si quicquam ad explicationem horum (quando poëtarum dicta nostris ancillari perpetuò fecimus) facere illa possint.

[1] Nec breuis in rugas cingula pressa suas. Et.
Scilicet vt careat rugarum crimine venter, &c.

[1] Ouid. 3. de ar.

* Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus lilijs. De his dictum in superioribus, & quid venter sit, & cur ita comparatus? Nisi quod vallatus in lilijs dicitur hic, propter decorem, maiorem puritatem, &c.

Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

De hoc superius dictum.

* Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Et de hoc adhuc dictum.

Collum tuum sicut turris eburnea.

Candens, nitens, iustè rectum, ac longum. Quidam eburnea colla dixit. Si & turri comparasset, omnes colli laudes dixisset. Sed num chimęrica hæc eburnea turris? Sunt, qui dicant à Salomone fabricatam, à choro nostro mulierum in comparationem assumptam.

Colli laus.

* Collum tuum, sicut turris eburnea. Neque hoc omissum, & si noua comparatio turri eburneæ, aliquid videtur addere posse perfectioni, ac dignitati, in robore, in firmitate, in pretio, in nitore.

Oculi tui, sicut piscinæ in Hebeson.

Septuaginta, tanquam stagna in Hesebon Vrbe cis Iordanem, in sorte Rubenitide, in qua olim [1] Seonis Regis Amorrhæorum regia, aquis abundans, vt ex lib. Iof.

Oculorum laus.

[1] Lib. Iof.

Quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

Hebraicè Barrabim. Nomen portæ illius à foro peramplo, & grandi. multitudinis, Hebraice Barrabim, & capaci, & frequenti ad necessaria mercimonia, iuditia, conciones, vt tunc. LXX. in portis filię multorum, idest multorum, seu multitudinis. Vacat Hebræis, filia, ornatus caussa. Sic apud [1] Hierem. porta filiorum populi. Sed quid cum piscinis oculi? multa. Magni. Laus prima oculorum, magnitudo & iusta, & decens. Vnde [2] Homerus Iunonem Βοῶπιδα. Pares sibi, æquis spatijs, à medio tanquam fontes à porta distantes. Neque enim dubitandum, quin si piscinæ illę artefactę sint, non vtiq. fuerint extra leges architecturę. Ad hęc Chrystallini humoris, perlucidi, ac nitidi, sereni, ac tranquilli, quieti, ac stabiles. His omnibus

[1] Hier. 19. 4.
[2] Homer.

bus ornantur oculi, totius corporis luces, ac duces. Quæ omnia vna comparatione bona poeta noster complexus est. Deus bone quot bona, in vna similitudine bona?

* Oculi tui sicut piscinę, quę sunt in porta filię multitudinis. Qui legerit quid per oculos intellectum voluerimus, & de explicatione illorum ea, quę in superioribus; per se ipse hæc poterit eadem ratione explicare, vt & quæ sequuntur laudes nasi.

Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contrà Damascum.

Nasi quæ laus.

Comparatio nasi cũ turri, in quo sit facile inuestigatu. In decenti, recta magnitudine, latitudine, ab imo quasi in piramidem. In quo sit cũ turri Libani, quę contra Damascum respicit, aut vt LXX. Faciem Damasci, incertum, dum incertum de ipsa turri Libani, quę aut qualis. Forte in hoc, pręter illa, quod terribilis hostibus. Est enim in naso maiestas quędam, quæ non conatus modo, verum & leues cogitationes impudicè irruentium, à sui cupiditate, pulchritudinisque eius, cuius tanquam custos positus sit, prohibeat.

Prudentia Virgo.

* Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Prudentia adhuc terribilis hostibus; nihil enim magis hostes, quam prudentiam timent. Et ignaui, qui hostes.

Caput tuum.

Capitis laus.

Hebræi, caput tuum, quod supra te est. LXX. caput tuum super te. Vertex scilicet capitis.

Sicut Carmelus.

Mons in Iudæa Helię, & Elisæi vatum domus. Decorè scilicet erectum, pulchrum, aliorum capita superans altitudine, excedensque, vt Carmelus vicinos montes. Fortè & comatum, & vt Carmelus pretiosè ac decorè vestitus. Laus benè comati capitis. Vnde illud. [1] Bene comatę Ariadnę.

[1] *Theoc. Idyl. 2.*

* Caput tuum, sicut Carmelus. Et de hoc superius.

Comæ capitis tui.

Comarum laus.

Septuaginta, Plexus, quod est, comę plexę. alij, Ornatus.

Sicut purpura Regis vincta canalibus.

Manifesta comparatio comę cum purpura rubenti, nec quacumque recens tincta, aut dum tingitur. Hic color capillorum in Syria, & in Palæstina tunc, totiusque Orientis tractu, qui ad purpureum multum accederet, gratus. Sed dignum, quod habent LXX. Sicut purpura, &c. Rex ligatus in canalibus, vel in transcursibus. Videtur esse sensus: Rex, sponsus scilicet amans tui, his capillis tuis vsque adeo captus est, vt ligatus videatur, in canalibus velut purpura, ad hauriendum

dum oculis illum capillorum tuorum colorem, ita scilicet delectatur, vel in illorum transcursibus, dum scilicet deiecti hac, atque illac vectis feruntur. Vel in canalibus, in crispationibus illorum. Capilli enim vt aquæ in canalibus pulcrè, vt sæpè, crispantur mulieribus. Varia, at nescio quod nam horum canalibus, nimirum vero sensui iunctum magis, aut vinctum.

* Comæ capitis tui, Cogitationes sicut purpura regis, flammantes ardentes, Vincta canalibus, maximè ardentes. vel vt LXX. Rex ligatus in canalibus, vel in canalibus, vsque adeò scilicet Deus tuis his cogitationibus captus est, vt ligatus in his, & ab his videatur. Et notandum, quod sicut capilli sæpè crispantur, vt riuos referant aquarum; ita & cogitationes nostræ ita sæpè inflectuntur, dum modò actiuam, modò contemplatiuam vitam sapiunt, dumque modò artibus, modo virtutibus aduersus hostem vtimur, ac modò quidem hoc, modò illud agimus Dei caussa.

Cogitationes Virginis Dominæ.

Quam pulchra es.

Pulchro epiphonemate transitum ad alia faciunt. Quàm pulchra es. Hebræa, quantopere pulchruisti, & quantopere dulcuisti, vt cum alijs liceat fingere.

Et quàm decora, carissima in delitijs.

Amor in delitijs. Vel amor, filia delitiarum. Quod est delitiosissima. LXX. quàm pulchra, & quàm suauis facta es caritas in delitijs tuis. Quàm pulcher in delitijs sermo, & qui Filius delitiarum. Quam & pulchret, & dulcet.

* Quàm pulchra es, & quàm decora, carissima in delitijs. Quod est delitiosissima, & vt LXX. caritas in delitijs tuis. Ac si, pulcherrima es. Idem eodem sensu concludunt hic, qui Chorum referunt. Et iure; quis enim vt Maria pulchra, quam Sol vestit pulchrorum ratio, ac mens? stellæ coronant pulchritudini datæ, atque natæ? quid ea formosius, quæ mater pulchritudinis, & formositatis, insuper & decori? & rectè caritatem dicunt, quæ in Deum, qui caritas est, transformata. Quæ vt [1] templum auro, caritate vndique locupletata est, nihilq. in ea fuit, vt olim in templo, quod aurum, idest caritas non esset. Sed qua hæ eius delitiæ? Gratiæ, dona, priuilegia, quibus omnibus decorè vsa est. Et miraculi loco fuit, vt pulchritudinem semper cum decoro coniunxerit. Sequitur.

Virgo Domina carissima ex omnibus vna. & cur?

[1] Reg.

Statura tua, (*siue vt Septuaginta*. Hæc magnitudo tua) assimilata est palmæ.

Ita scilicet. Alta est, ac procera. Hæc inter laudes. [1] Longa, recta est. Et [2] longa, decensque fuit. Vnde [3] illa sibi ducens loco deformitatis ait: Sum breuis.

* Statura tua, siue, vt LXX. magnitudo, assimilata est palmæ. Alta, pro-

Staturæ laus.
[1] Catull.
[2] Ouid. 3. am. eleg. 3.
[3] Pappho apud Ouid.

Statura in Virgine quid?

ra, procera. quid hæc ſtatura? Exemplum né totius vitæ? an intentio in Deum pura? an magnitudo animi? an opus omne externum? an homo exterior.

Et vbera tua botris.

Vberum laus.

Vuarum ſcilicet, è vitibus in Palœſtina tunc maritatis palmis, nunc vitibus, per palmas pendentium, vt Abraham quidam Rabbi.

* Et vbera tua botris. Decorè ſerpentibus. De vberibus, quid ſignificent, iam dictum, pariter, & de botris.

Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.

Hæc memorat, cum ſiue ipſa, ſiue alia è choro quæcumque ad vberum vocem, aſpectumque pulchritudinis vehementius inardeſcens, in affectum erumpit, & continere ſe nequiens quin irruat, amplectaturque decus, & oſcula infigat; quibus deinceps incedat nobilitata; fœminarum more fœmina ſe iureiurando aſtrictam dicit, aut iam ſecum firmiter ſtatuiſſe, id ſe facturam, quod in animo habebat; ſimulque vt credere fas eſt facit, irruit, amplectiturque, ac defigit oſcula. Mirum ex affectu, quo & moris, & ſcœnæ decore. Dixi, inquit, multa habemus, quæ dicamus, vt (dixi hoc) explicemus. Iuraui, eſſe poteſt ſtatui, firmumque propterea habeo. Siculæ ſic affectę dicerent ſic: Et quis nunc mihi impedimento eſt? quin tuam? quin faciam? Iamque dicentes ruunt, faciuntque. Id mihi (Dixi) eſt. Et notandum, quod eadem palmę tranſlatione vtitur his affectibus explicandis. Aſcendam, inquit, ego. Quid enim prohibet? Velint nolint alij, in hanc palmam, de qua ſermo, quin & apprehendam fructus eius. Libabo ſcilicet oſcula. Et inſeram in vbera manus, quæ ſi fas eſt dicere, aut facere in os inſerta comedam, vt botros. Vnde ait.

* Dixi: Aſcendam in palmam. Dicendo & chorus accenditur, iuratque, & ſtatuit, & iam aſcendit, iam oſculatur ipſam, inſeritque in manus vbera. Quod ſpiritualiter intelligendum. Vnde ait, & apprehendam fructus eius.

Et erunt vbera tua, ſicut botri vineæ (*mihi ſcilicet*) & odor oris tui, ſicut odor malorum.

Paſcar odore oris tui, ſimut malorum. Et addit poſt hæc omnia, ne ſtatuam, aut imaginem laudare videatur verborum, in quo omnia ſunt, laudem.

* Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ, mihi ſcilicet. Hic placet ſic exclamare: Si nos filij huius tantæ matris, vbi amor, vbi honor? vt quid vt filij non inſerimus nos audacter in ſinum tantæ matris, contemplantesque pulchritudinem eius, oſcula non libamus? Iam ſi nobis vbera illa de cœlo plena, nobis beata, nobis fœcunda, vt quid ſitientes,

tes, esurientes infantuli os non admouemus? Dixi. Sic me Deus adiuuet, propositoque faueat, vt dixi. Ascendam in palmam, accedam ad Mariam matrem misericordiæ, vitam, dulcedinem, spem; & apprehendam Christum benedictum fructum ventris eius. Rursum exemplo virtutibus insistam ipsius; & inebriabor ab vbertate domus huius, torrente voluptatis potatus. Et notandum quòd vbera sponsæ botris vineæ comparantur, quia nimirum consolationes eius plenæ, cibus simul, ac potus, & in sobrium cum delitijs nutrimentum.

Guttur tuum, sicut vinum optimum.

Verborum laus.

Crediderim hanc è choro mulierem sæpius columbatam, & vt cum pueris matres, aut cum paruis grandiores natu faciunt, ad vniuscuiusque horum laudem suauium rapuisse; addidisseque lætam, ac vix sui compotem præ lætitia. Guttur tuum, inquit, ad verba conuersa, sicut vinum optimum: Tam dulce scilicet, & suauè loqueris, perfectum, conueniens; nisi fortè animam intelligit, quæ illi vt vinum, odores afflabat.

Exemplum Virginis quantum.

* Guttur tuum, sicut vinum optimum. Suauissima verba, odoratissima anima. De verbis dictum est. Anima, siue spiritus, qui è visceribus est, & afflatur, ædificatio est, & exemplum alijs datum: quod à Virgine Maria. Vnde [1] Ecclesia, Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

[1] Ecclesia in die nat. Virg.

Dignum dilecto meo.

Vel quocumque, vel hoc, aut illo, quem ego diligo.

Ad potandum, labijsque, & dentibus illius ad ruminandum.

Vini optimi descriptio.

Optimi vini optima descriptio. Quod cum optimum est, & potamus, & per os, tanquam ruminamus. LXX. sicut vinum bonum, vadens fraterno meo in rectitudinem, seu directè; mirè scilicet, ac lenè, recta se per guttur infundens; siue quod in [1] Prouerb. 23. est, Blandè ingrediens. Et subdunt: Sufficiens labijs meis, & dentibus. Quo scilicet vtinam ego vterer; neque enim aliud optarem. Nimis lętantium dicendi, & in his nominandis iocandi modi; omnia scilicet ad sui referentium vtilitatem, vt vulgò. Hebræi hoc postremum sic habent: Loquens labijs dormientium. Siculi vinum optimum aliquando vinum mortuorum dicunt, aliquando vinum, quod mortuos loqui facit, aliquando quod mortui ipsi biberent, aliquando & id ipsum, quod dormientes loqui facit. Omnia idem, & ad idem.

[1] Prou. 23.

Aedificatio Virginis maxima.

* Dignũ dilecto meo ad potandum, labijsque & dentibus illius ad ruminandum. Quod est dignum vnoquoque. Sanè dignissima Virginis ædificatio, & plenissima, digna quocumque; qua scilicet ędificari in spirituale æternumque ædificium possent quicumque vel Angeli ipsi, ipsi Seraphim, si crescere adhuc gratia potuissent. quin ipsemet

dilectus, ipsemet Christus Dominus, qui actionibus illius pascebatur, & ædificatione Ecclesiæ à Virgine quodam modo sustentabatur. Itaq. cum proximis nati omnes simus, omnes omnibus, singuli aliquibus, Virgo omnibus, & ei præsertim nata est, atque eius ex optimis moribus, & sanctitate ædificationi, qui princeps hominum esset, ac dux. Et forte propterea hæc ita dicuntur, vt significetur suauitatem illam vini, idest virtutum, & optimi exempli Mariæ soli Christo Domino plenè cognitam, & vt par erat amatam. Sed vidimus quid sic laudata sponsa modesta responderit; videamus & Virgo in sponsa, sic laudata quid & ipsa respondeat.

Virgo nata omnium ædificationi.

Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.

Et laudes modesta dum negligit, & zelotypum sponsum alienæ oscula quæcumque ne offenderent, amans dum curat, & moras ardens, dum fastidit, sic respondet. Fortè subiratior, nec sine aliqua, quæ noua esset, indignatiuncula, se subtrahens. Ego dilecto meo. Quæcumque scilicet sim, aut quam vos verbis dicitis, aut quam per nimium affectum, aliam exprimitis. Satis id vnum mihi, quòd dilecto meo placeam, & ipse se mihi dedat, & ego illi. [1] Calthula meo soli, scilicet; [2] Te tua, me delectant mea, & sua cuique Sponsa sponso. Nouæ nuptæ verba; veteris amantis artes. Probatque, nec mora, dictum, nam ad sponsum conuersa, aut progressa.

[1] Ex Plaut.
[2] Adag.

* Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Et ipsa laudes decorè fastidit, & ipsi laudes sunt ad amandum dilectum incitamenta, & ipsa præ Deo amatore nihil habere melius profitetur. O sapientem sapientiam, & prudentem amorem. Se subtrahit à laudatoribus Sponsa, & Virgo omnem laudem in fontem reijcit, de more illo suo. [1] Et exsultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Ostendit illa se dilecto suo delectari & hęc. Magnificat anima mea Dominum. illa, nec mora, se ad sponsum conuertit, inceditque ad eum. Et hęc quidem eodem ingenio, eademque animi, corporisque celeritate ad Christum Dominum amatorem. Ex quo licet inferre, eo tempore assumptionis multa dedisse Filio, multa Virginem oscula retulisse. Rursum, quę per oscula significantur, multa priuilegia accepisse. Atque dum illa exardescit magis, & hanc exarsisse, vsurpasseque.

Virgo præ vno se subtrahit reliquis

[1] Euang.

Assumptionis tempore Virgo multa Filio dedit oscula, multa retulit.

Veni, *inquit*, dilecte mi.

Omittamus scilicet isthæc omnia. Iube. Nam dictum factum.

Egrediamur in agrum.

Modò scilicet in agrum ire velis.

Commoremur in villis.

Modò sic iubeat in villis esse, nihil enim sollicita sum, modò egrediamur, & soli longè à consuetudine, multitudineque amori indulgeamus. Commoremur, pernoctemus? LXX. requiescamus. Hoc est,

est, [1] Non amicitia solum conspirare vult tecum, sed ijs, quæ composuit etiam, idest rebus omnibus idem sentiendo.

[1] *Platonis verba in Parm. de Zen. & Parme.*

* Veni dilecti mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Quod est, vt diximus, faciamus quod iubeat, quod erit in re nostra, [1] fiat voluntas tua, [2] & fiat mihi secundum Verbum tuum, & [3] quod placitum est ante; modò amori diuino, ac sancto indulgeamus. Certè his perfectam beatitudinem, & felicitatem designat, simulque vitam exprimit, & adumbrat, quam in cœlo æternam traducturi sumus. nam in eo quod ait, Egrediamur in agrum, significatam videtur voluisse libertatem illam, quæ in cœlis est, & gaudendi amplitudinem, latitudinemque. Dum vero, Commoremur in villis; firmitatem, & ab malis securitatem; his enim duobus beatitudo omnis continent, & exprimitur, copia omnis boni, carentia omnis mali. Vnde Dominus, [4] Veni ostendam tibi omne bonum. Et Dauid, [5] Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Et rectè illud per agrum significatur, hoc per villam, & in villis commorationem; est enim ad hoc ager, vt omnem afferat voluptatem. Villa autem ad hoc, vt cum opus fuerit, ab omni defendat cœli, & ferarum iniuria. nisi dicere velimus quòd per hæc id, in quo beatitudo maxima est, significetur, vnitas voluntatum. vt idem omnino velit, quod Deus, nihilq. à voluntate eius dissentiat. quod rectè per hoc exprimitur; nimirum dum commune fuit egredi, commune in villis morari; quæ cum in vniuersum adumbrasset peculiaria quædam attingit. Vel adhuc nisi sit omnis voluptas in his duobus voluptatibus significata agri, & villarum, vt sit sensus: fruamur omnibus bonis, omnemque voluptatem capiamus.

[1] *Euang.* [2] *Eu.* [3] *Euang.*

Libertas in beatitudine quæ securitas.

[4] *Psal.* [5] *Gen.*

Manè surgamus ad vineas.

Imaginata sibi vitæ optimum genus, quietum in agris, incipit tanquam adepta iam sit commoda, exercitationes sibi in eo instituere, & tanquam præscribere. Mane, inquit, surgamus, surgemus ad vineas videndas inambulantes. Quid enim pulchrius visu sub auroram?

* Manè surgamus ad vineas. Cognitionem matutinam attingit; eamque scientiam, quæ in Verbo habetur eorum, quæ ad ipsos spectabant, vt quibus fuisset omnium Ecclesiarum cura mandata. Et vide scientiam Virginis, & parentem theologiæ admirare. Sciebat adhuc in vita, nullo nisi Spiritu sancto præceptore, id, quod ab ipsa nos deinde, alijsque Theologis Patribus scimus, Ecclesiarum ibi curam non deseri. immo maiorem haberi, viderique in Verbo ab vnoquoque, quod ad ipsum pertineat. Mane, inquit, surgamus ad vineas, ad curam vinearum, Ecclesiarum peculiarium.

Virgo sciebat Spiritu sancto docente.

Ecclesiarum cura in cœlo non deseritur pastoribus.

Videamus, si floruit vinea.

Hebræum, si apparuit noua vua.

* Videamus si floruit vinea. Vniuersalis Ecclesia, quam florentem relinquimus, aut erumpentem in flores, recens cultam, & tuo sanguine irrigatam.

Si flores fructus parturiunt.

* Si quibus dabitur gratia, & data redemptio est, facient gratiæ dignos fructus.

Si floruerunt mala punica.

* Si martyres cœperint in Ecclesia florere. Intelligit post assumptionem suam martyribus suum dandum tempus condendis.

Ibi dabo tibi vbera mea.

Vt sponso amplexanda, mei scilicet copiam. His omnibus depingit vitam, [1] qua nihil, videatur esse beatius, curis solutam.

[1] *Ex Catull.*

* Ibi dabo tibi vbera mea. In martyribus me manere martyrem maximè gaudebis. Siquidem lætus aspectu martyrum, & hilaris, ac triumphator incedens, tanta gloria, teipse ad me martyrem parentem, & exemplum conuertes.

Mandragoræ dederunt odorem.

Dum delitias agri memorat, meminit mandragorarum, inuitatque vt acceleret. Quin, inquit, crediderim, iam nunc Mandragoras, vt solent, ac fert tempus, iam odorem dedisse suum. Odorę singulariter Mandragoræ ex [1] Plinio, additque, vt faciliorem faciat.

[1] *Plin.*

* Mandragoræ dederunt odorem suum. Si singulariter odoræ mandragorę, certe & singulariter odorę Virgines. Meminit igitur Sponsa inter dicendum, Mandragorarum, quibus in primis delectatur, quia Virgo meminit Virginum, quibus potissimum educandis, & nutriendis delapsa. Dederunt, inquit, odorem suum. Verè odorem suum; neque enim odor communis, quæ propterea canant canticum nouum, & suum, quod alijs vtique concinitur: Et [1] sequuntur agnum quocunque ierit. Et rectè Virginibus odor attributus, quæ à carnis graueolentia alienæ, ijsque actibus, quibus pessimus olor tributus. Vides igitur prophetatam Ecclesię futuram post Assumptionem suam felicitatem à Virgine? Et iam optime pollicetur adhuc.

Virgo potissimum Virginibus educandis nata.

[1] *Apoc.*

Virgo felicitatem Ecclesiæ post Assumptionem suam prædicit.

In hortis nostris omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.

Ac si. Quin ibi in agro multa alia sunt, & noua, & vetera, quę ego tibi seruata volui, teque ipsa nunc vocant, si audis.

* In hortis nostris omnia poma noua, & vetera, Dilecte mi, seruaui tibi. In delitijs nostris, & voluptatibus intelligit omnes peculiares Ecclesias, siue religiones, congregationesque futuras Martyribus, Virginibus, Doctoribus illustres, atque insignes, pręsertim sub patrocinio tantæ Virginis illi dicatis, religiosis è familijs, & sub illius presidio. In ijs, inquit, hortis nostris nobis consitis, nostra opera, & labore rigatis. Vnde merito mater ecclesiarum, & religionum patrona. Omnia

Virgo merito mater Ecclesiarum, & religionum patrona.

nia poma noua,& vetera,Sanctos, Sanctasque seruaui tibi. Adducentur enim tibi Regi post me. Et nota quod & vetera ait, nam & Sancti, Sanctæque qui ante Mariam in natura, & lege exstitere,& ipsi adhuc adducentur post Mariam. Vnde Dauid ait, [1] Proximę eius,scilicet Hebreæ afferentur tibi in lætitia, & exultatione. Quæ omnia & sapienter dicta admiramur, & veritati consonantia valde lætamur. Enim vero vt veteres omnes ante Christum Dominum in ipso Christo Domino salui facti sunt, in fide scilicet ipsius;ita & in Virgine omnes Virgines,quotquot exstiterunt ante actis temporibus, virginitatis palmam adeptæ sunt, ipsam credentes, ipsi fidentes, ipsam parentem Virginum agnoscentes. Vnde non abs re poma Sponso noua, & vetera pollicetur, in quibus scilicet ille tamquam amicæ donis sit oblectationem capturus.

[1] Psal.

Virgines omnes ante Dominam in fide futurę prima Virginis.

CAPVT OCTAVVM.

Quis mihi det.

CONTINVATIO actionis. Insinuasse se iam in amorem sponsi satis, vbi sibi visa, statim ex arte, quæ diuturnitati simul cum voluptate prouisum velit in primis,incipit (quod,nè videatur lege petere, aut pacisci, per affectum dicit, vt si qua est culpa, amoris culpa sit.) Incipit, inquam,quem sibi sponsum fieri optet, præscribere,& tanquam delineare videnti. Et quid ait? Vide femineas in amore leges, & optata.

Quis mihi det inquit: O si mihi detur.

Te fratrem meum.

Vt mihi repuerascas, fiasque vt fratrer, nec quicumque, sed lactens. Aquila: Quis dabit te, vt fratrem mihi.

Sugentem vbera matris meæ.

Scilicet puer lactens vt mihi sis. Et quorsum hoc, hic tam fortè inexpectatum?

* Quis mihi det. Illa dùm memorat sponsa, leges futuras præscribit amori, & coniugio, gaudetque certò futuras ante præscribere, & delineare; quia hæc Virgo dum percurrit, & ipsa, quod sit nobis pro futurum, leges æterni coniugij prophetat, prædicitque dum optat, quæ sit ipsi vita transigenda, & quanta cum iucunditate, & libertate. Vnde nos ad amorem illius incendamur. Et quid ait?

Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ. Si mihi detur te fratrem meum esse lactentem, idest in gloria, & in patria. Ad quorum intelligentiam sciendum, quod Christus Dominus

Christus Dominus in beatitudine, scilicet, omnibus omnia fiet.

omnibus omnia fiet, vt & factus est in hac vita; & alijs quidem iudex, alijs pater. In patria vero beatis fiet puer lactens, quod per puerum lactentem significatur amabilis, ac suauis; sine vllo, qui à prudentibus inijcitur timore. Cuius quidem rei figura ipsemet fuit in stabulo ([1] vt ipsemet in vita, suipsius in patria figura, atque vmbra.) Et in hoc ille quidem mirabilis, quod cum extrema duo hæc sint, puer lactens, & pendens actu à matris vberibus, & iudex seuerus in sede iam maiestatis sedens, stipatus satellitio, & in pœnam ad aspectum apparatis suppliciorum generibus; idest eodem tempore diuersus apparebit, & beatis quidem puer, impijs iudex. Quod quonam pacto fiet, & qua ratione, erit aliud tempus, vt plenius differamus. Hunc igitur sic mater nunc optat, dum beatitudinis plenitudinem optat, & firmitatem. Quis mihi det te, vt videam Beatum, & Beati spetie, Hierusalem supernæ, quæ mater est natura, sugentem vbera, idest voluptates, ac delitias degustantem. Hinc colligere licet Christum Dominum Virgini cum nuncius venit gloriæ, non Beati spetie apparuisse, quem sibi Virgo Beati spetie optauisset adstantem; vel si Beati spetie, non ita plenè; aut corpore tantum loquentem Beatitudinem, non anima.

[1] Ex D. Thom. 1. p.

Vt inueniam te foris.

Foris pauca valdè iucunda.

Alij in foro, vbicumque. vel in publico, quantumuis publico, si foris, In villa. Ad rem. [1] Nam foris aliquantillum etiam quod gustatur, id beat. Ita loci fert natura, & nouitatis.

* Vt inueniam te foris. In publico, in foro, palam scilicet, & ceteris spectatoribus.

[1] Plaut. verba in Captiu.

Et deosculer te, & iam me nemo despiciat.

Amantium multæ cupiditates.

Quòd id scilicet faciam vilipendat, subsannet. LXX. Inueniens te foris osculabor te. Et quidem non spernent me. Multa optat, copiam sponsi perpetuam. Ab amore. Nam [1] qui amat, id satis habet sibi. Rursum licentiam, quorum alterum à sponso tribui poterat. Amans vigil somniabat. Aliquid hic maius habemus, quàm [2] quod voluptas circa amorem hunc, vt puer sit; nam & vt puerum optat amantem, idest nullius intelligentiæ compotem; quando qui amant, magis qui corpora, & qui minus honestè; [3] Neque quid deceat, neque insuper quid petant, vident.

* Et deosculer te, & iam me nemo despiciat. Nemo subsannet. Sanè si per hæc multa optat sponsa, & multa adhuc optat Maria amans nimium, & si non plus æquo, & immoderatius moderatè. Ac si illa copiam sponsi perpetuam, vt diximus, certè & Virgo Christo Domino, perpetuò frui, ac lætari. Id, quod ibi sponsarum est amantium, certè hic immortalitatem est optantium? Adherere Deo, inquit, ille, mihi bonum est: & vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Rursum si illa licentiam, certè hæc libertatem. Equidem est id in cœlo libertatis, vt nos amantes, & deosculantes, vel corpus capitis nostris, nemo despiciat. Id, quod dùm diuersa sunt

[1] Plaut in Mer.

[2] Plat. in Philæb. id ait de volupt.

[3] Ex Ouid. in Phædr.

ſunt hic ſtudia, diuerſæ voluntates non vtique omnes probant. Propter quod amatores Chriſti perſecutiones paterentur, & Chriſti hic prædicatio gentibus ſtultitia eſt. Et quod quidem ad corporum attinet caſtos amplexus, caſta oſcula, eſt adhuc ibi id libertatis, vt eſt ibi 3 pulchritudo cum confeſſione coniuncta. Atque hæc, ſi de corporalibus oſculis intelligamus; nam ſi de ſpiritualibus interpretemur: Et contempler te (Id enim eſſe oſcula diximus,) & iam me nemo deſpiciat. Eſt hic pleriſque deſpectui contemplationis ſtatus, vt eſt quiſque ſibi affectus, rebuſque ſuis; propter quod rectè 4 Paulus monet, vt qui non manducat non iudicet manducantem. Ibi autem in patria, à qua procul actio, vbi perpetua comes contemplatio, quæ nunquam aufertur, non ita.

3 *Pſal.*

4 *Paul.*

Apprehendam te.

1 Depuduit, profuguſq. pudor ſua ſigna reliquit.

Perſiſtit in metaphora, & in ſomnio. Si is mihi fias, quem opto, vt te facere mihi videre videor. Apprehendam te. LXX. aſſumam te, in ſinum ſcilicet delitium, & volupe, rapiam.

1 *Ouid. ibid.*

Et ducam in domum matris meæ.

In cubile meum, ſic honeſtè dictum. Quantus, & quorum pictor amor. 1 Hæc ego amans id mihi ſatis pro cibo habens, videre, amplecti, oſculari, atque alloqui. Hoc ſcilicet eſt, vt deoſculer te, vt perpetuò, atque vt libet deoſculer. Non enim, quod aſſequi, vel tunc cum hæc dicebat, poterat, petit; Sed aliquid amplius, atque, id vt facere in omni loco poſſet, & cum honore, ſine deſpicientia, vt cum pueris fit; nimirum ſine nota, oculis apertis. Sed quid tu ſponſus interea? pueri fratris more ſuauiculus, dulciculus, tenellulus, à me interrogatus, ſuaue balbutiens.

1 *Verba Plaut. in Merc.*

* Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ. Apprehendam te in ſinum meum, & introducam in lectum meum, in animam, in cor. Teneritudines ſcilicet amorum, & dulcitudines.

Ibi me docebis.

Pro ſuggeſto, aut thoro ad dicendum, & docendum poſito. Hæc tu mihi. Quid rurſum ego?

* Ibi me docebis. In corde, vt paruulus recens natus feciſti balbutiens, vix loquens, antequam ſcires 1 nominare patrem, aut matrem, ſciens matrem, & putatiuum patrem conſolari, & 2 replere ab vberibus conſolationis tuę.

1 *Iſ.*
2 *Iſ.*

Et dabo tibi poculum ex vino condito.

Vt cum pueris fit, laboris tui in docendo mercedem.

Et muſtum malorum granatorum meorum.

Nè ſcilicet à me deinceps diſcedas, & ſcias, quam matrem agnoſcas.

scas. Verè vigil somniabat, quę hęc cum sponso facere, quę olim fortasse cum puero fratre fecisset soror, imaginabatur per amorem. Nam vt somniantes ea somniant, quę vigilibus acciderint, vt sæpè; ita sponsa cum alios virorum non agnouisset amplexus, neque alia oscula, nisi pueri fratris, hęc animo amans reuoluebat. Verè autem amori veterana militabat, quæ has sponso leges, nè ab se vnquam, lateréq; suo discederet, tacitè præscribebat. Sed quod nos, ex vino condito habemus, LXX. habent, ex vino vnguentato, idest arte pigmentarij facto. Vinum est ex lacte, & melle mellicratum.

* Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Dabo tibi & ego contra dona mea. Certè, vt sunt hæc amoris teneritudines, atque vt officiosa quædam insania dulce amantis, non est mirum, si quid secum ferant non intelligamus non amantes. Habent ipsi Diuini amatores suum idioma, quo loquuntur, nobis non amantibus ignotum, ac peregrinum. Mihi tamen vtcumq. cogitanti, & amorem si non obtinenti, cupienti, dona sunt hæc, quibus scilicet sponsus noster maximè delectatur, quæq. ab amante anima postulat. Et quidem poculum ex vino conditum, amor ipse, qui rectè per vinum significatur. Sensus igitur est: Et dabo ego tibi contra amorem amanti, vt scilicet amans anima, nunquam se in hac vita putat, vt decet, amare, nisi eò peruenerit, vbi semper, & perfectissimè amatur. Iam vero mustum malorum granatorum delitiæ sunt eiusdem amoris, ac caritatis, & quasi summa. Qua in re Notandum est quod amor, vt res perfectissima est, multis significatur propter multas perfectiones. Et quidem vino propter iucunditatem, malò granato propter salubritatem. Hic autem amor malum granatum est, at non mustum mali granati: est enim scilicet cum imperfectione aliqua coniunctum. ibi vero in patria mustum est, quia vt dixi, flos est, & delitiæ amoris. Sensus igitur est: Ibi dabo tibi purum, & perfectissimum amorem. Atque idem est vinum conditum, vini perfecti amor perfectus. ad hoc enim vt conditum, vt sit perfectum: quæ quidem ab amante Virgine dicta, sanè intelligenda sunt, vt à putante se non perfectè amare, & amare perfectius cupiente præ magnitudine amoris; nam & hic Virgo vinum conditum dabat, atque hic mustum granatorum malorum propinabat amanti. Hac Virgo, quæ & ipsa vigil somniat præ amore, & quidem ea, quæ cum puero Iesu infante sibi aliquando accidissent. hinc, atque ex horum memoria futurę beatitatis sumens argumenta, & voluptatis eius, quę sit ex Filio in ęternitate captura. Hęc erant pueri gratię, delitię, modi, gestus, amores in puero, magni, & pleni diuinitatis. Iam vero & ipsa vere se veteranam ostendit amantem, idest ciuem cœlestis patrię, quę dum leges futuri amoris pręscribit, & quid potissimum in patria optetur depingit, siue sit optandum; quid nimirum perpetuitas est, & ęternitas in amore. Sed rectè LXX. ex vino vnguentato, idest arte pigmentarij facto, ex lacte, scilicet & melle mellicratum. est enim patrię amor, ac caritas illa vrbis perfecta, arte summi artificis ex obiecti dulcissima, & præ-

Amor poculum ex vino conditū.

Amor propter perfectionem multis significatus.

Amor in patria perfectus.

& presenti semper præsentia excitata, perfecta caritas omne delectamentum in se habens perfectionis, atque omnem ipsam perfectionem, vt nihil optari possit in ea.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Hæc dum dicit [1] ita amans, vt ad hoc exemplum nunquam antea, [2] igneoque morbo consumpta. Rursum vt aliàs (habet id amor, vt tanquam in naturam versus sit, vsum, consuetudinemque aliquorum ad recordationem semper eadem operetur, aut patiatur) in deliquium incidit: lętitiæ hoc fortè fuit, imminente voluptate; illud doloris, protracta. Deficiens, vt sibi subueniatur poscit, neque quocumque, sed à sponso, nec quocumque modo, sed quo aliàs fuerat subuentum. Læua, inquit, eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Amplexetur scilicet. His sponsus misericordiam capiens, tanquam [3] cuius ad malum malę res se agglutinarent, præstò est statim. Statim adolescentes, adolescentulæque, statimque sponsus collocat in lecto rursum, vt dormiat, siue in scœna ipsa, vt [4] Orestes Euripidis, siue intus; quod rear magis; ita tamen vt de foris prospici posset. Et ad adolescentulas rursum.

[1] *Plauti verba in Merc.* ita amãs, vt ad hoc exemplum nunquam antea.
[2] *Theoc. Idyl.* 2.
[3] *Plaut. verba in Aul.*
[4] *Eur. in Orest.*

* Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Hæc dum dicit ita amans, vt ad hoc exemplum nunquam antea, amore consumpta in deliquium incidit, idest præ amore moritur. Enim vero, aut mori non debebat, aut ita mori; vitæque tabernaculum, aut non dissolui, aut ab artifice eodem amore dissolui. Et quidem maximum deliquium hoc postremum, quod mortem potuit conciliare. Moriens autem hæc loquitur, quia hæc semper fuerat in vita locuta: optat sponsi complexus, pręsentiam Filij perpetuam, & æternam; amplexus perfectos, beatificam visionem. Et crediderim hoc deliquium ab æstuantissimo amore conciliatum, beatissimam visionem continuisse, vt ante, quæ quidem transiens esse debuerit, Virgini in corpore degenti, at quæ æterna fuerit morienti, vt scilicet illa tempus cum æternitate mutauit. O beatissimam animam amori traditam in amore. O feliciſſimum mortis genus, amanti diuina in amore diuinorum mori. O perfectissimam defectionem à corpore, cum æternitate amore duce deficere. O sanctimam parentem Filij exemplum amoris, cuius propterea hæreditas maxima, & locuples. O sapientiam incredibilē plus moriendo loqui, quàm viuendo, & patiendo magis, quàm loquendo. Atque hi accurrentis sponsi amplexus, hæc diuinitatis Filij visio, & contemplatio: Accurrit ille sponsę, quia hic matri, qui dum sponsus collocat in lecto sponsam opera adolescentularum, & adolescentulorum, ac Matris ipse corpusculum Spiritus sancti domicilium, ac sedem facit, vt Apostoli, & Angeli cantantes, benedicentes Domino inferant in sepulchrum; mox scilicet ab anima ad æternas delitias assumendum, cum ipsimet placuerit, fueritq. eius voluptas, nimirum post triduum. propter quod ait.

Virgo præ amore moritur.

Christus Dominus facit corpus Matris demortuę inferri in sepulchrũ per ministeria Sanctorum.

Adiu-

Adiuro vos, *inquit*, filiæ Hierusalem, nè suscitetis, neq. euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Consueta adiuratio, de qua in superioribus, nec à scœna aliena, quando amoris significatio. Vnde illa persimilis adiuratio Electræ ad chorum.

a *Eurip. ibid.*

[a] Iterum vero accedunt meis lamentis caræ sociæ.
Fortassis excitabunt è somno istum quiescentem, &
Tabefacient meum oculum lacrymis, quando video insanientem fratrem.
O carissimæ mulieres tacito pede accedite,
Non strepite, nè sit frangor.
Tua enim beneuolentia est mihi quidem grata,
Sed mihi erit calamitas excitari istum.

Atque sic Actus Quartus eodem, quo primus, fine finitur. Maiore autem hic decoro, & ex fabula voluptate, dum tunc suspenduntur adhuc nouo euentu ab exitu animi, cum iam res ad limen esse videretur expedienda. Et post diutinas iactationes, ne hoc deesset, vel propè portum ipsum iactatur nauis, quę sit mox fœlix, fortunataque, portum ipsum habitura.

* Adiuro vos filię Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Aderant lugentes suam Apostoli orbitatem, aderant Angeli: & fortasse ex Apostolis erat qui intensius pro Virgine vitæ restituenda supplicaret, qui ęgrè illam mortuam, illiusq. corpus sepulchro traditum pateretur; quòd putaret indignum. His Dominus, Nè suscitetis (& si vobis, suscitandi mortuos facta potestas) neque vigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Id quod ita factum: post triduum enim surrexit, & quidem ipsa, cui facta fuisset potestas. Id sibi spacij in sepulchro eligens, pręclara, & officiosa imitatione; quòd sibi Filius nostra institutione elegisset, docente imitationem amore, qui mori docuisset. Ita omnia Filio se similem prębens excussit, finem vitę imponens, quamquam non quinto, atque extremo actui. nimirum non omnibus operationibus suis, & si videri potuerit morte imposuisse; siquidem aliquid adhuc restat, quod sit nobis spectatoribus, idest contemplatoribus agendum, nimirum corporis ad cœlestia assumptio. quo dum maius habet fabula decorum, & ex fabula voluptas, suspensis adhuc nouo euentu ab exitu animis, maius adhuc habet & decus, & voluptatem historia Marię vitæ nondum vitę fine contenta. vnde & ad aliquid audiendum inuitemur, quod illi post mortem contigerit, quod tamen ad nos, & ad Ecclesiam militantem pertineat.

Maria Domina, ipsa sibi elegit triduum esse in sepulchro, Filij imitatione.

Marię vita nondum fine vitæ contenta. Declaratur.

Quæ est ista.

Actus Quintus Sc. vnica. Chorus vterq. Sponsus, Sponsa.

Extremus Actus, quem non contempsisse, fas est existimemus artificem, aut melius artem ipsam, Deum, nostri caussa (amorem) & poëtam,

tam, & actorem. Quare fas est attentiores reddamur. Breuis autem postremus actus mysticis, vt dicemus, præsertim ijs, quæ de sanctissima parente, respondet, & quadrat magis. Artificiosè igitur breuis. Et vt aliquid delibemus. Breuissima ea, quæ cum anima fideli, & gratiosa fiunt, post mortem, quamdiu ad æternitatem perueniat. Breuiore autem momento, & articulo conclusa ea, quę cum parente amoris sunt gesta. Iam igitur expectamus, quamdiu portum videat tot fluctibus iactata nauis, nouissimèque dum fœlix sponsum sequeretur, nouo percussa infortunio, & aduerso, quamdiu sponsa nuptias potiatur; sicque tandem soluatur nodus, & qui diu periculosè natarint nobis, tandem cum lætitia emergant. En excitat è somno se ipsa sponsa, restituitur luci, & gaudio. Instruitur probè intus, & concinnè apparatur. Lætæ adolescentes, adolescentulęque vndequaque, vtrique. Fit lętitiæ strepitus. Antecedunt adolescentuli. Prodit omnium cum lętitia noua nupta; & ne deficiat, tertiò firmissimè munita prodit, super dilectum innixa. Subsequuntur puellę. Qui antecesserant, prodeunti, diuinum concinunt Hymenęum.

* Quæ est ista. Exeremus Mariæ actionum actus, [1] quamdiu stetit in habitatione sancta, & in plenitudine sanctarum detenta est. Quem vtique Deus non contempsisse credendus est, exornare potius diligentius, & artificiosius voluisse. Quo fas est & nos parenti amantiores, triumphanti hilariores reddamur. Et artificiosè ille quidem breuis duratione, quæque decoro, & dignitate plenissimus; quia nimirum hęc postrema actio Mariæ, Assumptio scilicet in cœlum corpore, tempore breui peracta; at quàm omnes aliæ totius vitæ dignior, ac gloriosior. Iam igitur qui cum voluptate spectauimus dramatis exitum, & nodi solutionem; hic cum maiore lætitia contemplemur historiæ finem, & post mortem successus. En excitat ibi se ipsa sponsa e somno, restituitque luci, & gaudio. En hic è sepulchro exurgit Maria, seque vt immortalitati, & æternitati restituat, aspectuique Filij, qui omnium iucundissimus est. Instruitur probè intus, & concinnatur, quia in sepulchro fit hęc cum corpore animę coniunctio, & à gloria animę corpus dotibus & ornamentis instruitur, vt in sepulchro illa animę Filij, corporisq. antea facta, cuius hęc imitationi nata. Quo non vero similior illa putantium opinio, in aëra processisse obuiam animę corpus Angelorum ministerio subleuatum. Iam vero læti adolescentes, adolescentulæque vndequaque vtrique; quia Angeli, & omnes creaturę in hac Assumptione lætantes. Vnde canit Ecclesia, [1] De cuius Assumptione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei, propter quod nos ad lætitiam inuitamur. [2] Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes. Solem equidem eo die, vt die Resurrectionis Domini solito lucidiorem putarim, & splendidiora astra, & omnem creaturam, tamquam post partum Filio accepto, hilariorem. Fit lętitię strepitus, vsque adeo, vt Angelici cantus in sepulchro exaudiantur; sentiaturque in animis diffusa lætitia triumphantis donum, & triumphantem excipientis. Antecedunt adolescentuli, id est Angeli,

1 *Sap.*

Mariæ Dominæ Assumptionis conditiones.

1 *Eccl. in Assumpt.*

2 *Ibid.*

geli, præeunt, & animę Sanctorum omnes. Prodit omnium cum lętitia noua nupta Maria ad æthereum thalamum progrediens. Et nè deficiat deinceps, nimirum ne moriatur, aut aliquid patiatur in corpore, super dilectum prodit innixa: nimirum in Christi immortalitate, & à Christi fonte accipiens, qui propter Mariæ resurrectionem resurrexerat, & vt illi immortalitatem daret, ac nobis; mortalis factus est. Quo docemur nos passu per fidem incedere, & per gloriam incedemus: siquidem hic credendum omnem à Christo esse resurrectionem, qui se propterea dixit, [3] Resurrectionem. Et innixa erat quidem sic Maria, cuius interioris nixus adhuc exterior index; ita enim corpore incedebat innixa super dilectum; siquidem qui astiterat morienti altissimam ministraturus consolationem, & lætitię voluptatem in fine; idem & affuit resurgenti. Certe si nobilitas incedentium mulierum à personarum quibus innituntur, nobilitate conijcitur; nescio quid de Maria putandum sit, quę tanto viro innititur incedens. Innixa super dilectum. Sed super quem, nisi super dilectum, mater filium, sponsa sponsum inniteretur? Subsequuntur autem puellę, idest Scripturæ, creaturæ illam honorantes, & se sui adimpletione. Et tandem diuinum concinunt hymenęum, cantica dramatis in circuitu ipsius. & quid aiunt canentes?

Maria Domina innixa super dilectum quid?

[3] *Euang.*

Christus Dominus affuit Assumptioni Matris.

Quæ est ista.

Admiratio non nescientium.

Quæ ascendit de deserto?

Septuaginta, dealbata, forte ad concinnitatem respicientes, aut impellente spiritu ad mystica.

Delitijs affluens, innixa.

Simul Hebræum iungit vnico Verbo, quasi dicat, plena delitijs, & delitiosè innitens, prę teneritudine corporis stare nequiens. Vides, quod [1] ille ait, Vt in vitio decor est. Cura autem poëtis omnibus pulchras, teneras depingere, & tenerè, ac delicatè incedentes, vt in quo pulchritudo sit, & amor cernentium. Vt Homerus vterque. Quantum autem hic incessus capiat, in [2] Assuero videre est. Tenera igitur sponsa nostra erat, & (quod mysticis bellissimè quadrat) mollis; sed [3] cuius ad exprimendam teneritudinem, & mollem incessum non opus fuerit tali poëta, qualis Homerus exstitit, quod ille de amore ait; cum Salomonem, atque adeo Spiritum sanctum ipsum habuerit.

[1] *Ouid. 3. de art.*

Incessus quantum capiat?

[2] *Esther.*

[3] *Plat. in Conu. per Agath. ait* Opus autem est tali quodã poeta qualis Homerus extitit, ad teneram amoris mollitiẽ, demonstrandam.

Super dilectum.

Fortè hoc cecinerunt canticum, quod gratius ipsi sponsę intelligebant futurum, dum audiret, videretque iam se voti sui compotem factam, iam foris, & in publico complectentem sponsum, atque deosculantem, & ad diei lucem. Iam enim exacta aurora, spectante Sole, qui pręclarum est symbolum ęternitatis, fiebant. Sed dices, quid est, quod

quod tam citò, & complecti, & inniti, & osculari ita publicè timore spreto, licere sibi putarit? Vsa est optimo patrono deliquio. [4] Non tardat ingenuus pudor, quam languor exstimulat.

[4] *Ex Catulli verbis.*

* Quæ est ista quę ascendit de deserto, delitijs affluens, innixa super dilectum? maxima laus admiratio. vnde ille: Consideraui opera tua, & expaui, & admiratione Dominus exceptus est. Eadem, [1] quis est iste, qui ascendit? iste formosus in stola sua? Quæ ascendit de deserto. de hoc mundo, de hac lacrymarum valle. LXX. dealbata. nimirum [2] amicta Sole, cuius in capite stellæ, Luna sub pedibus, omnis, atque vndique lux. Delitijs affluens, cuius scilicet nimius odor in vestimentis, quam circumdant lilia conuallium, rosęque. Plena delitijs, & delitiosè innitens, quia maxime confidens videtur in Filio in sua ipsa carne. [3] Ecce os, dicere poterat, noua Eua, Scripturarum miraculum, de ossibus meis, & caro de carne mea. Et quidem præ teneritudine corporis stare nequibat, vnde innitebatur sponsa; quia nimirum benè ostendebat grata, & humilis, à quo immortalitatem accepisset, & cui referret acceptam. Vnde in vitio decor erat, nimirum in defectu virtus; nam in corporis aliena immortalitate non propria, nimirum ab alio capite, ac fonte virtus vigebat humilitatis, & propriç conditionis agnitio, quam lingua, os, gestus, mens, omnia loquebantur. Quoniam [4] apud te est, dicebat illa, fons vitę, conuersa ad Filium; tu fons vitę meç, & huius immortalitatis largitor. Hoc Epithalamium cecinit chorus, atque hęc cantica dramatis Angeli, atque omnes, gratulantes illi tantum boni, & quamdiu optarat felicitatem, deliquio patrono, idest morte media, cùm obtinuisset quæ habuisset in votis, Filium in luce æternitatis, & in foro immortalitatis tenere, osculari, amplecti. Quo absoluto, sponsus & ipse leges pręscribit amoris, non quia ne obseruentur periculum sit, sed vt obseruandas enunciet; enim vero pręfixa sunt omnia in immortalitate, & stabilia, nec ibi legibus indigemus, qui quę agenda pręscripta sunt, necessariò faciemus. Rursum vt ostendat in patria ea, quę fiunt, & si necessariò fiant, nec possint non fieri; tamen non auferri propterea voluntatem, quin voluntariè scilicet fiant. Præscripturus autem amorem, ab amoris sui antiquitate exorditur; & quoniam quos pręedestinauit hos & vocauit vocationis beneficio, siue electionis, commemorat; id enim in cœlo maximum amoris nostri pabulum erit, & beneuolentiæ æternum incitamentum. Commemorans autem ait.

Admiratio maxima laus.
[1] *Is.*
[2] *Apoc.*
[3] *Genes.*
Mariæ Assumptæ delitiæ quæ?
[4] *Psal.*

Sub arbore malo suscitaui te.

Sponsus nihil non memor sponsę legum, & desideriorum, aggreditur & ipse suas pręscribere (par pari reddens, & quo amore agatur, nimirum quòd casto; dum omnem [1] disciplinam, qua nihil apud Deum, & homines venerabilius curat; ostendens.) Quæ, & ipsę amorem, & diuturnitatem alant. Pręscripturus autem amorem, & fidelitatem in amore, prima connubibilia præcepta, argutè ab amoris sui antiquitate exorditur:

[1] *Plat. verba in Phæd.*
Disciplinæ maxima laus ex Plat.

a Verba Plauti in Aulul. Amor coniugem fidelem facit, vt seruum liberalitas fidelem.

a Vt enim seruum liberalitas fidelem facit, ita coniugem amor. Sic in extremo actu ex noua, veteri historia, amoris origine habet actio nouum decus, nouamque iucunditatem, & infantis amoris recordatio, qui iam vsque ad perfectum virum creuisse videtur, lętitiam, & coniugium suum decorum; nimirum suas, quas alij sciant, & imitentur leges. Quare

* Sub arbore malo suscitaui te. Vt enim coniugem amor fidelem facit, ita beneficiorum memoria beatum, ardentem; ita, vt ex noua, veteri historia amoris origine habet drama nouum decus, nouamq; iucunditatem, ita & in patria diuinorum benefitiorum recordatio nouam pulchritudinem, nouamque suauitatem. Nec dubium quin beati memores diuinę beneficentię intensius, dulciusque lętabimur, vsurpabimusque gaudentes. &, 1 Anima nostra sicut passer erepta est. Et, 2 Dirupisti, Domine, vincula mea, ac propterea, 3 Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Vbi quidem erunt prima nouissima, & cum extremo actu prima coniuncta, ac melius in fine primi explicabuntur: nam & omnia diuina benefitia nobis ante oculos subijcientur ad gratum animum, & amorem, & ea potissimum à quibus origo nostri boni. Et Notandum quod sponsus ipse originem amoris sui commemorat sponsę, quia scilicet 4 ipse prior dilexit nos, & ipse nos 5 elegit, non ipsi nos; & rursum quia ipse in se ipso quę multa, & quę efficacia fuerint nobis loquetur; 6 in lumine enim eius videbimus lumen, & 7 cognoscemus, sicuti & cogniti sumus. Itaque tunc 8 videbimus, & affluemus, & mirabimur, & dilatabitur cor nostrum. Et quid ille nunc Virgini ostendit, ac loquitur? benefitium illud primum atque optimum gratiæ, cuius nulla hactenus mentio, nisi hic in fine; maximo decoro: vt obstupere liceat artificij decora, dignitatemque; Eam scilicet, cum sine peccato in gratia concepta est tota, ipso tantę gratię Sponso largitore.

1 Psal. 2 Psal. 3 Psalm. 4 Io. 5 Euang. 6 Psal. 7 Paul. 8 Is.

Sub arbore, *inquit*, malo suscitaui te.

Ac si, Meministi nè fortasse, (nam & potes, & debes) quam habuerit amor noster originem, ac quando & vbi cœperit? siue quę huius; non vt 1 illæ mali, sed prima fauilla boni? Cum scilicet sub arbore malo consopitam te inuenerim, ac suscitauerim? Quàm poëtica, dulciaque initia amoris etiam apud exteros?

1 Propert. lib. 1. ad Pontic. Hæc est venturi prima fauilla mali. *2 Anacr.*

2 Speculatus (inquit ille.)
Puer abditus sub vmbra.
In latus iacentem,
Grauiterque consopitam, &c.

Italicos legi plures, qui hæc dederint initia, nescio qua imitatione; si hac nostrorum, plane malum, dũ viatico ad æternitatem abusi sunt ad temporalia, spoliaruntq. 3 Hebręos, vt ditarent Ægyptios. Temerarij pręterea ausus, & certo vlciscendi ingressus in 4 Dei templum, & sacrorum vasorum in profana translatio: non enim hæc ad hoc proposita nobis à Deo, sed vt ex humano amore in diuinum nos transferremus, accusaremusque nos, si ali-

3 Exod. 4 Reg. Machab.

si aliquando [5] prudentiores fuerimus filij tenebrarum, quam nunc simus filij lucis. Sed & poëtica commemoratio horum initiorum, presertim quæ non sit quasi [6] exprobatio immemoris beneficij. Vnde illa.

[7] Mente agito furti tempora prima mei.

Sed is secum, illa scribens.

[8] Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire quis esses.

At exprobans ingratum animum hæc, [9] illa candidior.

Vt vidi, vt perij,

& [10] illa ad nostram magis accedens.

Te prius optaui, quàm mihi nota fores.

Cum scilicet dormires tu, aliquid effluxerat temporis. [11] Sed meminerunt omnia amantes, inuruntur enim potius, quàm fiunt.

* Sub arbore malo suscitaui te. Ac si memineris, quę nostri prima fauilla boni, cùm scilicet sub arbore malo consopitam te inuenerim, ac suscitauerim. Possumus per arborem malum illam malam, imò pessimam malum intelligere, vbi peccatum primum in Deum admissum est, & in posteros inde transmissum, atque transfusum. E qua maledictus nobis fructus, à quo tot mala. Sanè arbor illa, arbor somni, arbor scilicet mortis; ab ea enim mors in genus humanum. Ibi Virgo consopita iacebat, quia nimirum sub pestifera illius vmbra illis malis obnoxia à natura, atque subiecta, non vt Christus, qui in dramate dicitur aliunde venisse, nimirum è cœlo cœlestis, & ad sponsam Mariam suscitandam, idest è peccato preueniendam accessisse. At numquid tunc Virgo? Sane in parentum lumbis, vt in scholis dicitur, infecta, atque obnoxia; sed ibi suscitata est. Surge quę dormis, quia ibi vel ex tunc à Deo præuisa, & immunitati à peccato prædestinata. Sanè ni suscitasset, nata fuisset & ipsa filia iræ, vt nos communiter nascimur. Sed suscitata est, & quidem [1] manè diluculo, vel ex tunc, & ad redamationem adiuta, atque sponsalia. Dicet quis, An igitur in peccato Adam excepta? [2] non hinc sequitur, nisi quòd immunitati ex tunc destinata. O singulare, & præclarissimum benefitium, meritò cui plus datum est, plus exigitur ab ea. O dignam æternitate memoriam. O gratam boni recordationem, ac dulcem. Adeone igitur vna Virgo dilecta Deo, vt è tot hominum millibus à peccato, singulari priuilegio excepta sit, vt tot dormientibus sit vna est somno excitata, & osculo æterno, æterno Verbo sponsata? O electam ex millibus Mariam mulierem insignem, ac singularem, cuius de vltimis finibus pretium, quia à prima mundi origine bonum, & æstimatio. Sed ò dulcissimam suscitantis vocem, Verbi gratiam sanctificantem nobis, & vniuersitati Mariam. Verè [3] preuenisti eam Domine in benedictionibus dulcedinis, qui prior amans, consopitam non solum ad lucem gratię suscitasti in vtero matris, verum & adhuc ad sponsi dulcissimum & aspectum, & amplexus, & oscula; tunc vidisti non existentem adhuc, ac propterea dormientem in nihilo; tunc optasti cum nota illa inusta alijs, te præter, nè foret. Sed quid cum illo loco Mariæ? Sanè ipse sponsus respondet, dum Virginem sic alloqui sequitur.

Q Ibi

[5] *Euang.*
[6] *Verba Terent. in Andr.*
[7] *Ouid. in Leau.*
[8] *Virg.*
[9] *Ouid. in Par.*
[10] *Ou. in Sapph.*

Maria Domina quomodo sub arbore malo suscitata? Multi sensus.

[1] *Psal.*
[2] *Paul.*

Mariæ Dominæ Conceptio sine peccato.

[3] *Proph.*

Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

Amans tu loci illius præter ceteros eras, memor traditionis, ibi matrem tuam zonam soluisse, vel ibi te natam. (De more rusticantium. vnde apud Poetas [1] multi sub arboribus partus.) Habent enim LXX. ibi peperit mater tua, ibi peperit te, quę genuit te. Et peperit quidem cum doloribus. Hoc est enim ἀδυνάτον. adhuc & poëtica digressio, & dulcium commemoratio. Nunc si rectè meministi, quando ego amoris initium, & à me hic noster [2] vetus, quo sapienter vtimur, amor, tuq. optatis tandem post multa potita es. At tu [3] (hęc enim dos pulcherrima matronarum, vita pudica.)

[4] Casta precor maneas, sanctique pudoris
Assideat custos.
[5] Caue fidem flexam, seu malis fluxam geras.

[6] Quando volens vltro, cum volente iustè contraximus. Quæ verò initio voluntatis sunt, sint deinde post factum, vt [7] vulgò, necessitatis.

* Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Natura ipsa ferebat, & matris memoria, nimirum conditio filiationis Euæ. Ibi sub arboré, illa scilicet amiserat mater tua gratiam, & pudorem; vnde cooperiri necesse fuit. Ibi à me defecerat; ibi filios perditionis gignere didicerat. Sed dum LXX. habent, Ibi peperit te mater tua cum doloribus, fauent sic explicantibus, ibi enim sub arbore illa partus cum dolore habuit originem, peccati index idem, ac merces. Et vide erga Mariam Domini pretiosam misericordiam, & reconditam beneficentiam: sub eadem arbore mater perijt, filia vitæ data est. & vbi mater morientium illa se effecisset, hæc viuentium facta est. ita factum, vt errata matris filia emendarit, transfundensq. in se illam hęc, mundum refecerit. Sed cum hic videri possit germanus sensus, ac proprius, vt mihi quidem videtur, adhuc non est alius spernendus. Vt sponsus videatur sponsæ nihil aliud inijcere voluisse, & considerandum proponere, nisi quòd in amore præuenta sit. Possumus per arborē malum concupiscentiam illam, qua concipimur intelligere; est enim amoris symbolum, vt diximus, malum; & consopitos sub malo omnes dicere, qui in peccato originali, tamquam sub malo concipiuntur; eritque sensus: Tu quidem in amore præuenta es; & quod suscitata sis è somno de sub malo, certe meus fuit amor. nimirum quòd fueris nè incurreres in peccatum prępuenta. Qua in re, notandum est, quod consopita dicitur somno, non quod incurrerit peccatum; sed quod certò, atque indubitatè propter debitum conceptionis incurrere debuerit. Possumus adhuc dicere quod nulla hic de peccato mentio, sed tantummodo, vt dixi, præuentionis in benedictionibus ad intendendum magis amorem, significatio. Et quorsum hęc?

Pone

[1] *Ouid. in Cyd.* Et de qua pariens arbore nixa Dea est.
[2] *Ex Plaut. in Casin. qui ait:* Qui vtuntur vino veteri, sapientes puto.
[3] *Biantis Prien. dictū apud Aus.* Quę dos matronis pulcherrima? vita pudica. Mulierum honestarum dos pulcherrima vita pudica.
[4] *Tibull. verba lib. 1. eleg. 3.*
[5] *Plaut. in Captiu.*
[6] *Ex Plat. in Conu or. Agath. vbi ait:* quęcūq. volens quispiam cum volente vltrò contrahit, iusta habentur, vt leges statuunt.
[7] *Ex Iuris Peritis.*

Peccati originalis Virgo sub arbore malo. Explicatur.

Pone me vt signaculum super cor tuum.

Fac mei scilicet semper ad amorem memineris. [1] (verum idem in ore, idem in corde habens) & solius. Non enim signaculum supra signaculum.

[2] Tu mihi quidem prima fuisti, & finis eris.
[3] Tu mihi sola palaces, placeam tibi solus,

[4] amore nihil translato, neque enim diminuto, magis autem acto. Verum amoris signum in corde, sicut dominij in rebus, vnde illud.

[5] Equi solent inustum
Coxis habere signum,
Parthique de Tiaris
Plerumque noscitantur.
At intuentes amantes
Mox noscitantur à me.
Nam nescio quod omnes
Signum solent minutum
Inustum, habere cordi.

Fortè & per signaculum super cor, intelligit aliquod signum appensum à collo ad cor.

* Pone me, inquit, vt signaculum super cor tuum. Ac si. Hæc cum ita habeant, fac memineris mei semper, & habeas in oculis, quæ cum beatę non imperatiuè sint dicta, magis autem enunciatiue, vt diximus, sensus est: Pones me iam grata in æternum super cor tuum.

Et sicut signaculum super brachium tuum.

Si fas est, aut quicquam ad amorem expedit, inustionibus signorum, aut incisione litterarum, aut aliquo alio signo quocumque in brachio inserto, vt fit. Nè scilicet vnquam [1] panem frangere liceat, aut obliuione, aut nouo amore, nimirum amicitiam dirimere. Id illud ipsum est, [2] Dies, noctesque ames me. Quamquam diuinius hoc nostrum dictum. Vel illud, [3] Redames me. Vt scilicet.

[4] Simus semper amore pares.

Crediderim proprium horum sensum esse, veramque interpretationem. Fac me habeas semper in corde, semper in oculis, vt signa haberi solent. nihil autem magis in oculis, quàm quod in brachio est, quo delectamur. Hoc modo [5] apud Isaiam Dominus videtur locutus, cum ait, Non obliuiscar tui, quia in manibus meis descripsi te. Vno verbo [6] immortalem, & nunquam senescentem poscit amorem.

* Et sicut signaculum super brachium tuum. Idest, habebis me in corde, habebis in oculis semper. & quidem cum in duobus potissimum beatitudo nostra consistat, in amore summi boni, in visione, certe hęc ambo attinguntur per hæc; & amor quidem prior, vtpotè quòd in amore præcipuè sita sit. Amabis me semper, semper videbis. Et sequitur reddere horum rationem, cur ita scilicet in cœlo fiat, vt Beati semper ament, semper videant; nam molestum id quidem vi-

[1] *Alcib. verba in Conu.* nō vnū in ore, aliud in corde habeo.
[2] *Ex Prop. lib.* & *verbis.*
[3] *Ex eodem ib.* Amoris verum signum in corde, sicut dominij in rebus.
[4] *Plat. in Phæd. ait.* Beneuolentiam ex alijs in alios transferre.
[5] *Anacr. de Amatoribus Odarium.*

Panem frangere. Adag.
[1] *Adag.*
[2] *Ter. in Eun.*
[3] *Plaut.*
[4] *Prop. lib.* 1. *ad Tullum.*
[5] *Is.*
[6] *Platon. verba in Phil.*

deri possit alicui, & cur ita Deus velit semper amari, semper videri; non benè notum, vt Tyrannis quidem; si caussa ignoretur, videri posit.

Quia fortis est, vt mors dilectio.

[1] Prop.lib.2. ad amicum.

Amoris inimicitiæ acerbæ.

[2] Ibid.

Septuaginta, quia valida, vt mors charitas, omnia scilicet vincens, & si lædatur separans, violenta, & acerba separatione in æternum.

[1] Tantus in erepto sæuit amore dolor.

Vnde rectè dictum, [2] quòd nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris acerbæ.

Ipsum me iugula, lentior hostis ero.

Itaque leniter dictum.

[3] Prop. lib. 1.

Amoris dignitas.

[3] Nescit amor magnis cedere diuitijs;

Nam nescit vitæ ipsi concedere. Benè etiam comparatione nostrorum illud.

[4] Plaut. in Curcull.

[4] Siquidem Hercle regnum mihi detur,
Nunquam id potius persequar.

Dura sicut infernus æmulatio.

Coniux nisi redamet amantem virum, quæ malũ?

[1] Verba Theocr. Idyll. 11.

[2] Idyll. 1.

[3] Prou. 6.

[4] Plat. in Phil. verba.

Septuaginta, durus zelus, nimirum valdè vlciscens, ac puniens, aut in quo est, ipsum tanquam pœnis addictum excrucians infinitum. Vt [1] si aurea fuerint secula, quando redamatum est à coniuge fideli, sint ferrea si non redametur. Hac Zelotypiæ mala, propter quæ qui experiuntur, se damnatos dicunt, & cruciatibus deputatos.

[2] Certè ego ab amore in infernum trahor iam.

Dicere & potuit, In inferno sum iam. Rectè [3] Prou. 6. cum dictum esset de adultero, quòd turpitudinem, & ignominiam sibi congregaret, & opprobrium sibi non delendum, additur ratio, quia zelus, & furor, viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusdam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Et sequitur adhuc sponsa audiente quasi [4] eo accepto. Dic vero, neque prolixitatem veritus, neque enim molestus eris.

[1] Apoc.

* Quia, inquit, fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Et cetera, quæ de amore latius & de æmulatione significat. id ab amore ipsius ita fieri, & æmulatione. Et sane Deus Zelotes ille est, Pater dignissimus, qui ametur, & Dominus, quem reuereantur. Non igitur ibi erit in illa requie quies ab amando, quia ipse Dominus amari vult; quod meretur. Semper ibi [1] Alleluia cantabitur: quia ibi semper dignus, cui canatur. Et non cessabunt dicere Sanctus, Sanctus, quia qui omnia propter se operatus est, ibi semper, semper Sanctus, idem qui semper dignus, cui id cantici celebretur. Quo docemur hic semper amare, qui semper ibi sumus amaturi, vt hic aggredi æternitatem non pigeat, quod ibi sumus in omnem prosecuturi; Præsertim, eodem hic Domino amatore, & Zelotypo, qui ibi futurus est. Quę quidem omnia ita ille sibi præscribit, vt cum nostram etiam spectare faciat vtilitatem, nihil tyrannus, magis autem amantissimus pater videatur, & sit.

Lam-

Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.

Lucentes, ardentes. Eius crediderim dilectionis, & consequenter æmulationis, quæ à dilectione est. Sed quid est lampades? Sane lampades reperio apud gentes accensas in nuptijs.

[1] Vt subito nostras Hymen cantatus ad aures
Venit, & accenso lampades igne micant. Et
Vndique collucent præcinctæ lampades auro.

De nuptijs sermo est. Et ad credendum Hebreis accensas etiam in nuptijs, inducunt illa [2] Euangelij, Date nobis de oleo, quia lampades, &c. si quidem lampadibus lucebatur. Crediderim amoris, qui inter sponsos esse debuisset, fuisse symbolum ex eo, quod à [3] Theocrito legimus amorem fugitiuum, paruam lampadem appellatum. Vnde à sponso vt maximus amor significetur, dicitur lampades ignis, atque flammarum. Atque idem dicere etiam possumus, si de zelo interpretremur.

Zelotypiæ conditiones.

[1] *Medea apud Ouid.*

[2] *Euang.*

[3] *Idyll.* 21.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, &c.

Occasionem nactus philosophatur in vniuersum de conditionibus amoris sui, vt significet in vniuersum vim amoris, cui pareant omnia, [1] vel diuitiarum copia; tum peculiariter sponsæ aperit, quantum à se ametur. Dicit igitur inextinguibilem amorem suum, rursum irredimibilem, aut pretio incommutabilem. Vnde ait, Aquæ multæ. Et rursum.

[1] *Aspasia apud Plat. in Epith.* diuitiarum copiam virtuti parere.

Si dederit homo omnem substantiam domus suę pro dilectione.

Nè scilicet aliquis diligat.

Quasi nihil despiciet eam.

Ille scilicet amator, aut si æqua ponentur lance, vt quam malit eligat amator, dilectionem vtique eliget, substantiam paruipendet, aut cum omnia amans dabit, nihil adhuc se fecisse putabit. Hoc est quod dicebamus.

[1] Nescit amor magnis cedere diuitijs.

Hactenus sponsus, qui & si [2] videtur vim, ac violentiam inferre amanti, vt amet, non infert tamen amori; nam etsi vult omnino amari, idque postulat, exigitque; non vult tamen violentia, ac vi amari, sed vltro eo amore, quem non tangat, violentia, ac vis. Et [3] num hæc dicens probro illam afficit? minimè, si iuuit.

[1] *Prop lib.* 2.

[2] *Ex Plat. in Conu. or. Agath.* Nam violentia non tangit amorem, nec vi facit, si quid faciat.

[3] *Soph in Phil.* Non probro afficio eos, quos iuuo.

Soror nostra parua.

Acceptis sponsa legibus, & si sentit se admonitam, adiutam, ideoq.

nihil probro affectam, nihil tamen respondet, quòd nihil noui sibi videat afferri amantissimæ sponsi. Monetque interea tacitè, 4 doctum non docendum; quodque in nostro est Agadio; 5 memorem immemorem facit, qui memorat, quod memor meminit. Quasi illud igitur sibi dixisset, 6 Probè loquitur, ideoque parendum, nihil difficile iubet; aut ipsi sponso, De isthac re in oculum vtrumuis conquiescito; quod 7 apud Comicum est; ad alia sermonem deflectit, 8 non dissentiens rectè loquenti. Et quoniam vbi ipsæ nupserint maiores sorores, de sororculis cogitandum sibi ex offitio putant, quòd suum tunc magis agnoscunt bonum, tuncque videntur sibi ad ima deijcere debere obtutum, cum in alto se collocatas vident, gaudentque modò pupillæ in patronas statim euasisse, quę dicere illa suis possint: 9 Ego nunc tibi sum salus, fortuna, lux, lætitia, gaudium. nostra cui sororcula fuisset relicta, illam; 10 vt est tunica pallio propior; quàm aliam magis, sponso in lętitię principio, tunc cum viuaciores spiritus, promptiores ad benefaciendum voluntates, artifitiosè commendat; tanquam quę intelligat se sorori & natam, & nuptam. Gratæ mulieris, & offitiosæ ingenium. Sæpè enim multę cetera oblitæ, seipsę tantummodo curant, pręsertim in obliuiosa fœlicitate. 11 Vt cata est, & callida, vt habet cor? Et sponso.

Doctum non docendum Adagiū.

Memorem immemorem facit, qui memorat quod memor meminit, Adag.

4 *Plaut. in Pœnul.* Doctū doces.

5 *Ex Plaut. in Pseud.*

6 *Plat. in Phileb.*

7 *Plaut. in Pseud.*

8 *Plato in Hip. maiori.* Nefas enim est, rectè loquenti nō ab. sentiri.

9 *Plaut. in Captiu.*

10 *Adag.*

11 *Plauti verba in Persa.*

* Soror nostra parua. Acceptis legibus sponsa nihil respondet, nihil sibi afferri æstimans noui; quia scilicet Virgo his auditis nihil affert, dum probè conditiones, & rationes intelligit illius ęternę vitę, vbi sumus perpetuò vitam, ac felicitatem ducturi. & quasi nobis dicantur, non sibi, respondere nihil curat; deflectitque ipsa ad alia sermonem. Et quoniam suum agnoscit bonum, gaudetque se in aduocatam, in patronam positam; ad hoc exsaltatam, vt 1 pro nobis fiducialiter intercedat; meminit sororculę, idest Ecclesiæ militantis, illamque Christo Domino, ac Sponso, 2 in principijs ponens lętitiæ, valdè, enixeq. commendat. Itaque se Ecclesię, & natam, & nuptam ostendit, expletque prouidentissimę matris officia. Et quid ait?

1 *Ecclesia in oratione.*

2 *Ex Psal.*

Soror nostra, *inquit*, parua, & vbera non habet.

Scilicet aliquanto deformis, exiguo corpore, & paruo: vt nosti, & scis. Sic se ex comparatione exstare gaudet. Et erat illa deformior, & muliebre ingenium ęmulæ faciebat.

Mulieribus aliæ deformiores.

* Soror nostra parua. Ecclesia. Ab amore sororem dicit. Parua, statura pusilla. siquidem nondum creuerat.

Et vbera non habet. Nimirum aliquanto apparet deformior. Sanè tunc & erat, non dum enim plenè Doctoribus, Martyribus, ceterisque Sanctorum, Sanctarumque ordinibus exornata. Et Maria ex ingenio Beatorum in Verbo manifestè videbat; cui scilicet Verbum ipsum aperiebat, vt ad quam spectaret illius notitia.

Quid

Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est.

Vel quando de ea sponsanda loquendum est inter nos; Vel, si sponsum & ipsa exspectabat; quando ad eam veniet primò sponsus annulum allaturus, cui multum interest, nè primo aspectu deformis imprimatur. [1] Dolosè, etsi non dolosè, quia non astu cultus dolus.

[1] *Plauti in Captiu. verba.*

* Quid faciemus sorori nostrę in die, quando alloquenda est. Quando agetur de ea, & primo veniet sponsus; idest, Tu, vel Spiritus sanctus. Sane gentilitatem, siue Ecclesiam è gentilibus intelligit, quam non dum Sponsus Spiritus sanctus videbatur allocutus; idest quæ recens nata, recens fuerat per internuncios Apostolos desponsata, non tam in caritate perfecta, quàm in fide. His Christus.

Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.

His sponsus amicę sororis amicus, & amantis amans dum valde amans, ac si [1] illo audito expressè.

Te isti do amicum, tutorem, patrem,

Respondet tamen pręmisso.

[2] Et parere decet iussis, & grata iubentur.

[3] Dos vbi sit quæris.

Si murus est, inquit. Quod est, si in ea aliquid est, vt est, ornemus illam, quantum fieri potest, vt muri ornari solent argenteis propugnaculis. Rectum consilium. Nam

[4] Ille erat honesta facie, & liberali, quia veste exornatus,
Nunc fœdus, quia non habet. Et sequitur.

[1] *Ter. in Adelph.*
[2] *Aur. Olymp. Ecl. 1.*
[3] *Ouidij verba in Medæa.*
[4] *Eunuch. apud Terent.*
Vestis ornatus quid conferat.

Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

Eodem sensu. LXX. si ianua est, sculpamus super eam tabulam cedrinam. Vel, si aliquid ipsa dotis habet à se, addamus nos multò plus, & ditiorem faciamus, tanquam sculpentes super eam tabulam cedrinam, vt LXX. Nec dubium [1] quin si obuiam ornata occurret.

Sub vestimentis secum habebit retia.

Ita sponsę soror; quod in Adagio nobis est:

[2] Sine sacris hæreditatem accipit; nimirum alio procurante dotem, & sine labore; Experiturque quid sit [3] ad parietem felicem inflectere. Verè [4] vbi amici, vbi opes.

* Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Quod est. Si in ea aliquid est, ornemus illam, & superdotemus. Si ipsa secum aliquid affert dotis. idest, fidem habet; id enim initium, id sponsaliorum principium, ornemus adhuc donis, caritate; si habet aliquid naturæ, gratiam adiungamus. ita natura, & gratia grates, ac Roma gentium

[1] *Plaut. verba in Epidic.*
[2] *Adag.* Sine sacris hæreditatem accipere. Adag.
Ad Parietem felicem inflectere. Adag.
[3] *Adag.*
[4] *Adag.*

caput (& fortasse Roma soror est; Roma sedes superstitionis, religionis mox futura Virgine intercedente, cui quantum debeat propterea vel ex hoc intelligere potest) exornabuntur. Id, quod secutum est: nam post ascensum Virginis Doctores, qui propugnacula à veritate, argentea ab eloquentia, ac Martyres, Virginesque, & ceteri qui ab odore, & integritate cedrinę tabulę. O Roma longe fortunatior nunc sororcula, quam antea parens maxima, & longęua; nunc pupilla, quam antea tutrix; nunc cliens vnius, quam antea totius orbis terrarum patrona; nunc famula, quam antea Domina. O Roma sine sacris heres, alia idest Virgine procurante, cui merito te plurimum habere significas dedicationem tui ipsius omnis in templum. Iam nè experta es, quid sit ad parietem felicem inflexisse? Hęc sponsus, quantum efficacitatis habeant verba Virginis, sintque ad obtinendum efficaces intercessiones ostendens. Ad quæ Virgo.

Ego murus, & vbera mea sicut turris.

Sic promptam sponsa sponsi voluntatem, hisque sororem indigere, alieno exstare se defectu gaudet. & sui ad lętitiam ex laude, subcommiserata, non inquit ego hæc ornamenta habui, aut has dotes. Pulchritudo mea mihi dos, & ornamentum. Ego ipsa & murus, & eadem vbera mea turris. Nimirum ego ornata, & ornamentum; dotata, & dos. [1] Dotem sibi fuisse gaudet, non eam, quę dos dicitur, sed pudicitiam, & pudorem, & pulchritudinem.

[1] *Verba Plauti in Amph.* Pudicitia, & pudor dos.

* Ego murus, & vbera mea sicut turris. Agnoscens interea se exstare, & plenitudinem gratiarum iam accepisse, & quidem simus ab initio, vt videri potuerit secum nata, atque alta. Ego, inquit, per me ipsa placui. quod in Sapientia est: [1] Cum essem paruula placui Altissimo. & quidem ab initio paruula in vtero à sponso maioribus bonis ornata. Possumus per illa ornamenta, quæ sponsus refert, quædam ornamenta extrinseca intelligere, gratias scilicet gratis datas, vt hęc sint propugnacula argentea, & cedrinæ tabulæ, quarum scilicet alię in faciendo sunt, alię in loquendo; nam hę gratiæ Ecclesiam exornatiorem, & pulchriorem reddiderunt; sine quibus tamen Virgo maximè placuit, propter internas virtutes, tamquam per seipsa. Quare ait, Ego ipsa dotata, ac dos. Siquidem ait, [2] Respexit humilitatem, non gratias gratis datas, ancillę suę. Quo rectè subdit.

[1] *Sap.*

Virgo sine gratijs gratis datis placuisset, at placuit maximè.

[2] *Euang.*

Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.

Ex quo, quia scilicet [1] satis dotata, quia morata, & [2] nimis ornata quia pulchra, factum est, vt ipsi (& ipsum muliebre) scilicet sponso, vtcumque placerem. Coram eo in oculis eius, quasi pacem reperiens, id est omne bonum. Hebræis, Vel pacifica, idest Salomonia coniux pacifici; nisi dicere velimus quasi, Verè, planè. Sed illud primum muliebre magis, magna extenuantium sibi, tunc magis, cum magna velint significata.

[1] *Plaut. in Aul.*
[2] *Plaut. in Mostell.*

* Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. Maximam pacem,

pacem, vel ex quo facta sum omne bonum reperiens, & pacifica vxor pacifici Salomonis: [a] quia scilicet fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Sanè accommodatior hæc interpretatio; nam gratiæ gratis datæ rectè per illa propugnacula argentea, & cedrinas tabulas significatæ, vt per se quisque intelliget. Et verè Ecclesia sine his non nimis ornata. Virgo exornatissima, quę non propter hæc placuit; placuit enim humilitas, placuit virginitas. Vnde meruit Christum Dominum Altissimi Filium portare. Hæc de se, suaque pulchritudine inter os, & labia mussitans dixerat sponsa, quia nimirum secum in animo Virgo grata pro benefitio, vt videri, aut audiri non potuerit, si scrutator cordium, & renium non adfuisset. Sed & sponsus semel a sponsa prouocatus, vt quo erga ipsam sit amore significet, de dote sororculæ cogitat, & iam pro illa offert; quia nimirum Christus Dominus ad intercessionē Virginis à benefaciendo non cessat. Quare ait.

[a] *Euang.*

Virginis placuit maximè humilitas, virginitas.

Christus Dominus à benefaciendo Virginis intercessione nō cessat.

Vinea fuit pacifico.

Hæc de se, suaque pulchritudine inter os, & labia mussitans dixerat. Fortè dum sponsus loqueretur, vt fit; & gratia non caret. Cum amans sponsus [1] ex vnis geminas conficere nuptias sponsæ cupiens, quid ipse sororis coniugio ornamentorum, & possit, & velit offerre, atque vnde; subiungit. Vinea, inquit, fuit pacifico. LXX. Salomoni. Rectè. At non crediderim Salomonem Regem propterea intelligi, sed patrem suum sponsi defunctum, quem de more honorificà appellatione, parcens malè ominatis, pacificum appellat, vt nos, felicem memoriam, recordationem, animam, ceteraque alij. Commune enim est id. Vinea, inquit, fuit patri meo.

* Vinea fuit pacifico. Septuaginta, Salomoni.

[1] *Ex Terent. in Andr.*

Pacificus quid?

In ea, quæ habet populos.

Septuaginta, in Beelamon, regione crediderim apta optimis vuis.

* In ea, quæ habet populos. In regione aptissima vuis.

Tradidit eam custodibus.

Locauit eam custodibus agricolis. Sic alij vertunt. LXX. ijs, qui seruant.

Vir affert pro fructu eius mille argenteos.

Præcipuus scilicet colonus pro locatione.

Vinea mea coram me est.

Nunc exacto locationis tempore, vel patre mortuo, iam coram me est. Ego illius custos, & Dominus, & locator. Quo sensu [a] Abraham Loth, dixit, Ecce vniuersa terra coram te est, id est tu Dominus illius.

[a] *Gen.*

Mille tui pacifici.

Tui scilicet sint in pace, & cum benedictione, quod nos vulgò.

Et du-

Et ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

Id est, sint pro custodia, iam enim pluris erit, & hos sororculæ demus, quæ nobiscum erit, & ipsa custodiet, à nobis ad hoc posita; itaq. sibi ipsa promerebitur hos ducentos, eritque merces operæ. Hæc sponsus. Quę possunt etiam & sponsę commodè tribui, vt viam ad dotandam sororem aperuerit ipsa, concesseritque illi mille, sed ducentos pro custodia sorori dari petierit. Difficilis sanè, maxime propter Salomonem, & de quo dici illa posse videantur.

Hæc quidem pol credo, nisi sybilla egerit.

[1] Interpetrari alium posse reor neminem, nimirum nisi Deus dederit, aut Salomon ipse interpetretur. Sed [2] quanto est obscurior locus, tanto diligentiores, & importuniores postulat. Quamquam nos illo explicito (pacifico) facile nos expediuimus. Illo dum Salomonem volunt intelligere, impliciti sunt aliqui, qui tamen in eo ipso se sapientissimos ostendunt. Illud non possum hac in re in Domino non gloriari, Terentij locum me in hunc locum explicandum aureum reperisse. Ita facile est legentibus legere, itaque illud verum, nihil dictum, quod non dictum.

[3] Agelli (Demeas loquitur) hic sub vrbe est paullum, quod locitas foras.

Huic demus, qui fruatur. Qui denuo M. obijcienti, paulum id autem, Respondet: Si multum, tamen faciendum est, pro patre huic est, bonus est, noster est, rectè datur. Vides vinea fuit ceteraque, vt admirari possis, & in hoc humanam esse imitationem.

Hæc cum dixissent, tanquam [4] luctus hęc essent in musica, aut in iocis seria, atque intempestiua, ad lętitias nuptiarum redeunt statim Sponsus igitur lętus, dicturus ipse spectatoribus valete, & plaudite, finemque fine optimo impositurus, sponsam rogat, vt aliquam cantet cantilenam. Iam optari id ab omnibus, & in votis esse maximis, nè modo iuxta [5] Pindarum negotio anteferri.

* Tradidit eam custodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius. Sanè difficilia semper difficilia. Et verba, & interpretatio horum difficilis, nec modo in dramate, verum & in historia, vt mirum esse non debeat, si veritati non collimemus. Datæ hæ difficultates ex industria, vt ignorantiam confiteamur.

Crediderim vineam esse bonam occasionem operandi, quam dat Deus hominibus, quibus dicit, [1] Ite in vineam meam. Hanc vult dare sorori sponsæ, id est Ecclesiæ, quam custodiat, & circa quam operetur. Sic enim vult cooperationem nostram. Fortè & gratia est, cui vult Ecclesiam cooperari. Fortè & actiua vita, ex qua Virgini mille fuere, Ecclesiæ ducenti; quia nimirum longè magis Virgo, quam Ecclesia tota ex actiua vita promeruit. Hæc satis est innuisse, vt per se quisque deinde philosophetur circa illa. Nam re vera difficillimus locus est. Non est omittendum, dum suam dicit vineam, & coram ipso,

[1] *Plautus in Pseud.*

[2] *Platon. verba in Phileb.*

[3] *Ter. in Adel. act. 5 sc. 8.*

[4] *Prouerb.*

[5] *Apud* Plat. *in Phædr. Socr. ait.* Non nè putas me iuxta Pindarum negotio etiam ante ferre tuam, & Lysiæ collocutionem?

Difficilia semper difficilia.

Vinea est bona occasio, vel gratia, vel actiua vita.

[1] *Euang.*

ipso, quod ipse omnia nobis promeritus est à Patre, sanguine suo. Sed hæc dum dicuntur, tamquam luctus in musica interrumpuntur, aut breui expediuntur, & alio sermo transfertur, ad cœptam scilicet lætitiam; vt per hęc intelligamus, non quidem molestam pro Ecclesia accidisse intercessionem; sed totum diem Mariæ Dominę lætitiæ, voluptatisque ac triumpho dicatum. Rursus sponsus dicturus, Plaudite, sponsam vt cantet, rogat; quia nimirum Christus Dominus triumphantem Virginem, vt cantet corporali adhuc voce (cantabimus siquidem in cœlo beati adhuc corpore; quibus scilicet erunt corpora, & perfectissima corpora, quæ sint ex musices concentu voluptatem haustura) vel vt Deum auctorem, Redemptorem, glorificatorem, spectatoribus tot beatis, vtroque choro scilicet, & spiritibus, & animabus; iam & ipsa beata laudare incipiat; imò beatior tanto maiore, ac digniore laude, quanto vtique ceteris felicior, & beatior, quò alij pertingere nequeant, & quam sint potius in admiratione ex laudis dignitate habituri. Dices, & quenam hæc laus? cognitio, amor, gratiarum actio, oblatio sui, suorumque, ardor Diuinæ gloriæ, ceteraq. Fortè cum Virgines [1] cantent canticum nouum, quod alij canere nequeant, vt in Apocalypsi, Virgo Virginum, & Virgo simul, & Mater, vt mundi, & gratiæ, ita & virginitatis adhuc ipsius stupor, & admiratio, suum in cœlo canit canticum, quod preter ipsam canere nemo queat: quod ex admiratione nouitatis nouam, insignemque habeat iucunditatem. Ait igitur sponsus, vt significet adhuc Virginem in vero corpore assumptam.

Mariæ cantus quã dulcis?

Et quæ laus?

[1] *Apoc.*

Quæ habitas in hortis.

Laus pastoris habitare in hortis. Neque enim scilicet vt ceteræ solummodo es in ouium custodia, sed nobilior. Similis illas laus. [1] Saluete volucres filiæ equarum, quæ & asinorum erant filiæ. In custodia erat ouium, & in hortis.

[1] *Pindar. apud Arist. Reth.*

* Quæ habitas in hortis. Quę ceteris scilicet pręstas. Et pręstitit Maria, de qua dicitur, Nec similem visa est, nec habere sequentem. Possumus & ad habitationem per deuotionem referre. Quæ habitas in conscientijs benè cultis, & frugiferis.

Maria excellens.

Amici auscultant.

Septuaginta, Amici sunt intendentes voci tuę; [1] congruam suis, & auribus, & animis futuram autumantes.

[1] *Verba Phædr. apud Plat.*

* Amici auscultant. Beati omnes. Aderant scilicet ad vnum omnes, & Angeli, & animę Sanctorum, quos rectè amicos dixit, iam in perfectione caritatis constitutos, & quibus omnia reuelantur. Hi omnes intendentes voci Mariæ.

Fac me audire vocem tuam.

Non sui id caussa, sed aliorum, ad sui gloriam, quòd tantę sponsę se coniunxisset, faciebat. Omnino

Res

Cantus laus. [1] *Ouid. 3. de art.* [2] *Verba Plat. in Conu. orat. Agath.* [3] *Ex Plaut.* [4] *Socr. apud Plat. in Epith.* Mos tibi gerendus est. Fermè namque si nuda tum me psaltare iuberes, quandoquidem soli sumus, obsequerer. [5] *Ouid. in Canac.* Hac dote, &c. Filia diues erit.

[1] Res est blanda canor. didicisse cantum nostra fingitur. Paruit facilè sponsa, vt [2] in singulis amori quisque paret. [3] Fecitque pro imperio. [4] Parata adhuc & in alijs obsequi, & si non soli essent. Prçsertim lçtior sororis bono, de qua dicere poterat, [5] hac dote diues erit. Argutèque siue è medio puellarum, prçsertim sponsarum sumptum, siue sibi adinuentum; quod ita delectaret, vt & quid vellet, doceret, cecinit, non vt pueri, sed vt ingeniosi rogatis satisfaciens.

* Fac me audire vocem tuam. Laudem, vel ipsam corporis vocem. Paruit Virgo, semper parere parata, cecinitque quod argutiam haberet.

Fuge, *inquit*, dilecte mi.

Festina Hebr. phrasi, per effectum dictum, quod qui fugiunt, festinant.

Et assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

[1] *Ex Plat.* Docta dicta. [2] *Plautus.* [3] *Plat. lib. 1. de repp.* Musici ipsa musica amusos non reddunt. Cygnæa cantatio Adag. [4] *Adag. apud Cic. orat.* [5] *Ex Plat.* Vno psaltu capere duos apros quid? [6] *Ex Iob.* Conceptum sermonem, &c. [7] *Ex Plaut. in Casin.* [8] *Plat. in Conu.* [9] *In Phæd. apud Plat.*

[1] Docta dicta. Posuit, vt non longè ab ipsa absit, si abesse contigerit; vt, quod est apud [2] Plautum, actutum redeat. Hçc autem canendo dicebat, vt iucundius, & quidem suauissimè, quam sponsus [3] musicus non amusam fecisset. Hæc vere, quod in Adagio latinis est.

[4] Cygnæa cantatio in fine fabulç. [5] Diuinus verò tu circa sermones, quin & circa cantus; vt vera dicam, & [6] concepto sermones effundam, ò sponse; ac verè mirabilis, siue vltrò dicendo, siue quoquomodò alios compellendo.

Sensit sponsus, & tamquam intellexisset, vt festinaret ad thalamum; quod ipsum catè illa intellectum volebat; [7] duos apros vno psaltu lepidè capere cupiens; festinans, subsequente sponsa iam; vt ipsa initio optarat; post ipsum tracta in odorem vnguentorum: quod ipsum ex artifitio, & consonantia iucundissimum est: alijsque adhuc consequentibus iucundè, festiueque è scœna proripit sese statim procul, psaltanti passu, & lætitiæ pleno. Hçc quoad allegoriam, eiusque diuinum, singulareque artifitium à Deo vtique ad mystica. De quo sanè meliore iure illud dici, potest, quod de amore sit dictum nisi forte ipsummet dicamus amorem, qui caritas est. [8] Noster Deus poëta est, adeò sapiens, vt alios quoque poëtas possit efficere. Equidem videor interpetratione absoluta, quod [9] Phœdrus Socratem de oratione Lysię posse vnumquemque interrogare, quibus licebit quod Socrates de eadem respondere. Quid vobis videtur? nonne mirificè actio hęc (oratio inquit ille) & ceteris rebus, & verbis composita est? Mirum in modum ò amice, ita vt obstupuerim. Nam non solum ea dixit, quæ oportuit, verum dilucidè, & rotundè, & eleganter, insuper & decorè singula. Et decorum quidem dramatis videre is apertius, ac iucundius poterit, qui dramatis leges tenebit.

Fuge

* Fuge, dilecta mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum. Ac si. Festina, Festinemus ad thalamum velociter. Iam verò, & deinceps à me ne absis, quòd si abesse, benefitio Ecclesiæ sic poscente, contigerit, actutum redeas.

Super montes aromatum. Empyreum, sedem Beatitudinis. Sic Cygnęa cantatione, idest virginea, optimę Virginis solutus nodus, conclusa omnia; omnium maxima voluptate. recreati admodum omnes, cantu nouo nouæ nuptę sunt, & in admiratione argutissimę vocis adducti. Intellexit artifitium sponsus, & statim ipso præeunte, ceteris sequentibus, sponsa super dilectum innixa celerius ceteris festinante, ex hac verum vniuersitate, & sublunarium scœna; maximo decoro, proripuere se simul omnes iucundissimè, festiuissimè cœlesti passu, ac diuino per aëra in Empyreum sedem sempiternam Beatorum, & domicilium fœlicitatis; vbi regnat Maria Domina optima parens, celsissima Regina, inuictissima Imperatrix à dextris Filij in sęcula. Vbi aduocatam habemus apud Filium, & Patrem, & Spiritum sanctum.

Vnde mittentem interea dona hominibus, & consolationem, exspectamus cum Filio, cui in omnibus in adiutorium simile data, iudicem nostrorum operum, reformatricem corporis humilitatis nostræ, & animarum nostrarum ad gloriam susceptricem.

Amen.

* *
*

Laus Deo Opt. Max. & ipsi Beatissimæ, ac gloriosissimæ Parenti.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERVM.

Amor

Chri-

Christi

Maria

N

O

T

V

Finis Tabulæ.

Reue-

Reuerendi Admodum Patris

PLACIDI NIGIDI SICVLI

IN DIEBVS EXSPECTATIONIS Partus Virginis Dominæ.

SERMONES.

In illa Apoc. Cruciabatur, vt pariat.

SERMO PRIMVS.

IMMENSÆ tibi gratiæ semper, eximiæ, atque adeò infinitæ toto ex animo, totisq; viribus, Ex pœnu nostro depromptæ, dulcissima Virgo, & beneficentissima, quod nos fecisti dignos, vt tua tibi daremus. Et tua sunt, quæ in laudem tuam sonamus, & tuæ dignationis est, vt tibi beneuolenti animo excipiantur; Enimverò, & si tua sunt, quæ autem tua optima, atque purissima; per nos tamen delapsa, atque excurrentia multis importunitatibus, quæ miseriæ nostræ sunt propriæ, & impuritatibus deturpantur. Et quorsum hæc hoc initio? An vt, 1 & petiones nostras apud te, Virgo, præsertim has, quæ perpetuæ esse nobis debent, vt 2 digneris nos te laudare, mini-

Mariæ Dominæ ipsius sunt, quæ ipsi in laudem sonamus.

Mariæ Dominæ, quæ sunt, per nos deturpantur.

1 *Ex Paulo.* Petitiones vestræ innotescant apud Deum.

2 *Ex Eccles.*

ministresque indeficiens verbum de te, tuaque dignitate, quod ipsi populis ministremus; antecedat gratiarum actio, vt certò postulata sequantur? Adiuua Virgo, & præsto iam sis, vt quæ nos sustineri iam diù turba 3 exspectans, opipare: vt tuam decet munificentiam: reficiatur. Agite vos, & mentes vestras facite reuocantes à curis, & sæcularibus negotijs, animosque 4 discumbere. Exspectati dies exspectationis 5 aduenerunt nobis ad glorificandam Virginem, ad beneficentiam eius assequendam venerunt. Tria nobis, quæ tractemus, ac de quibus sermo sit, sese offerunt in huius diei festi cultu, propterea quòd noua pietas posita est veteri religioni, & paucis abhinc annis inuectus mos in orbem Christianum colendi affectus huius; quo Virgo his diebus fuit, erga nasciturum Dominum, hi. legibus, atque hoc apparatu, & frequentia. Et primum quidem. Sint nè huic diei, seu huic pietati sua: propter qua meritò excitemur, fundamenta, nec nè? An verò quia diligimus plus æquo, ipsi nos 6 Somnia nobis fingimus, adinuenimusque noua, propter eam, quæ in adinuentionibus nouitatum laus inanis, & gloria est, à laude, gloriaque superbia? Iam vbi fundamenta reppererimus, excitari nè, illis positis tantam molem ædifitij, superponique debuisse alterum; Nimirum celebranda nec nè sint hæc, atque colenda tam solemni ritu, apparatuque? Tertium denique, atque postremum. Et cum ad interna prospiciant, quæ externa sunt, quid intus in animo agendum in his, atque in horum cultu virtutibus animi? Iam primùm aggrediamur, in quo vno sunt omnia; facilè enim nos alijs, atque postremis expediemus. Et quod ad primum quidem attinet. Habet quidem festum hoc sua amplissima, dignissimaque fundamenta; Exspectauit enim Virgo mater in carne filium, ardentissimaque voluntate, atque studijs exspectauit. Nam si 7 Et ipse, ait, erit exspectatio gentium, quo modo non & matris, & amantissimæ, offitiosissimaque parentis, & sponsæ? 8 Mulier, inquit, amicta sole, aliaque, cruciabatur, vt pariat. Mulier illa Virgo vtique fuit, nemo ambigit, quæ tum potissimum amicta sole est, cum solem in vtero habuit, quem esset & ex se paritura. Et hæc quidem cruciabatur, vt pareret, quia nasciturum exspectabat. At quid est hoc, inquies statim subdens, quod loqueris? Numquid igitur 9 maledictionem illam communem omnibus mulieribus, atque vulgarem incurrit benedicta inter omnes vna, & singularis Virgo, quæ & singulari ratione concepit de Spiritu sancto, atque in vtero habuit, vt illa omnia de ijs sint, quæ sunt in Apocalypsi, atque illud ita dictum sit. Et cruciabatur, vt pariat? Absit, vt id, vel audiatur, quòd in dolore peperit ea, quæ non filios, sed filium 10 peperit suum, idest non multis apta gignendis, immò & nullo, à natura Virgo cum esset; sed tantummodò Deo, vno, eodemque Deo de Deo. De qua propterea dicitur, quod 11 germinans esset germinatura, & exsultatura latabunda, atque laudans: Et quòd 12 Pannis statim natum inuoluit, quia nihil impotens à dolore, magis autem à lætitia potens, atque alacris, & expedita. Vsque adeò Domina illa solis, & potens propterea luminum omnium, nullis

---

2 Ex Ecclesia. Dignare me, laudare te, &c.

3 Ex Euang. Misereor super turbam, &c.

4 Ex Euangel. Facite illos discumbere.

5 Ex verb. Eccl. Aduenerunt nobis dies pœnitentiæ.

Expectationis hi dies cœpti coli in Ecclesia paucis ab hinc annis.

6 Ex Virg. Ipsi sibi somnia fingunt.

Exspectationis hi dies, atque hoc festum habet fundamenta cultus, & venerationis, & quæ?

7 Isai.

8 Apocal.

Maria Domina ardentissimè concupiuit videre filium in carne.

Maria Domina mulier amicta sole, cum habuit in vtero.

9 Gen. In dolore paries.

Mariæ Dominæ cruciatus, vt pariat, qui, & quando.

10 Eccl. Peperit filium suum.

A Maria Domina Virgine alieni in partu dolores. Et cur?

11 Isai.

12 Euang.

lis in partu doloribus, vel leuissimè tacta est, vt superabundasset lætitia, vbi abundassent cruciatus, propterea [13] quod superabundasset gratia, vbi abundasset delictum, omnibus lætitijs exsultarit, sicut [14] in splendoribus sanctorum ex vtero dicitur genuisse. Nec mirum, si solem genuit, quem gestauit, à quo intus degente, foris circum vestita est. Itaque lætitiam, & gaudia partus sensit. Vt quid igitur illa dicta? Cruciabatur, vt pariat? ad hæc ipsa gaudia corporis, insuper & animi exprimenda melius, quæ in partu fuere. An igitur ex his cruciatibus illa fiunt? Sanè, & nusquam melius, ergò ex hoc textu, quis credat? Ad animum, animique studia, & exspectationes omnia referenda. Prius, ille ait, [15] concepit Virgo mente, quàm ventre. Quem igitur prius mente concepit, quàm ventre prius, & quàm ventre peperit adhuc mente. In eo igitur quòd mente pariebat exspectans, optansque, atque sollicitans, vt tandem veniat, cruciabatur, vt pariat; [16] Spes enim quæ differtur, affligit animam. Cruciabatur igitur mente, vt pariat ventre, quem pro optatis tandem peperit, & in lætitia in primis animi, & mentis pro cruciatu; [17] Secundum enim multitudinem dolorum consolationes animam eius lætificarunt. Et ex hoc quidem fit, quòd in lætitia peperit animi, corporisque, quin & quod ipsa sciebat se in lætitijs parituram, quia nimirum antea cruciabatur animo optans, vt pariat; Enimuerò spes, & optata optimorum sunt, & quæ sint habitura commoda, non dolores; propter quod mulierum dolores scientium partus, non sunt expectationes hæ, atque spes. Itaque amicta solis, & plena illius, exspectauit quem habebat, vt videret aduersum. [18] Fundamenta igitur sunt festi huius, & quidem & ipsa altissima, in Virginis studijs, atque optatis sanctis. Et [19] Habemus quidem propheticum sermonem super his, quem benè facimus attendentes. Agite dum. Desiderium dictus est Christus Dominus collium æternorum. Certè colles Angeli, quia Deus mons. Nec mirum, quando ea omnia Angeli Dei comparatione, quæ maiori cuidam rei, atque præcellenti, & dignissimę, minora quędam, & exigua quę circumstant, quorumque comparatione illa exstant, esse soleant. Et quidem si Pater Deus, filij Angeli. Si mons, colles, si sol, astra, si cupressus adhuc: vt vel ad rusticana descendamus: Viburna. Propter quod: [20] In Iobbe ait. Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Iam verò quia ęternus ille, & ęterni hi, vnde & ęterni montes, ęterni colles, atque ęterna astra solis ęterni, ac deinceps. Et non quidem quòd sempiterni & hi sint, cum sit ille vnus sempiternus; sed & vt aperiantur nobilitatis ipsorum ministeria, dum ęterno adstant, & in ęterni conspectu, oculisque ministrant; & vt insuper incorporei, atque expertes mortalitatis significentur, quo propterea ęternitatis nomine, & cęli à poetis interdum, & astra & sol ipse donatus est. Itaque colles. Quæ cum ita habeant. Desiderium collium ęternorum Christus Dominus, quia desiderium Angelorum. Optarunt nimirum Angeli, totisque studijs, atque offitijs optarunt aduentum Domini in carne, sicut

[13] *Ex verbis. Paul.*

Maria Domina sensit omnem lætitiam in partu, quia peperit solem.

[14] *Psal.*

Maria Domina Amicta sole in ipsa degente.

[15] *August.*

[16]

[17] *Psal.*

[18] *Psal.*

[19] *Ex Petr.*

Christus Dominus Desiderium collium æternorum explicatur.

Angeli filij Dei, colles, astra, & ea omnia sunt, quæ exigua quædam esse solent circunstantia magnum quid.

[20] *Iob.*

Angeli cur dicti æterni colles.

Angeli optarunt aduentum Christi Domini in carne. Et cur?

ne, sicut dictum est. In quem desiderant Angeli prospicere. Et quidem non ob illud solum, quia [21] speciosus forma præ filijs futurus Messias; obiectum autem amoris pulchritudo; Neque & ob illud adhuc propter quod [22] in assumptione Virginis Dominæ exsultasse dicuntur, & collaudasse filium Dei, nè quicquam inuidi putari possent, & ab hominibus hominum similes. Verum, & vt ducem ipsi suum, suamque in carne fontem, atque caput agnoscerent; carnemque illam sanctissimam, & gratiæ, & gloriæ ipsorum adhuc ministram, atque instrumentum. Vnde [23] Angeli eius dicti non propter personam modò, verum & propter carnem, ratione tamen personæ, atque ad adorandum adducti. [24] Adorent eum omnes Angeli eius. Itaque optarunt Angeli, de quibus, & si nulla mentio à Saluatore ipso cum [25] Apostolos allocutus est hac de re, voluitque viris felicitatem ipsorum, qui viderent, commendare; certè propterea factum est, quia de hominibus sermo erat, poteratque felicitas illa, quæ commendabatur, comparatione vtique Prophetarum, qui quod optassent non viderent, non Angelorum exstare. Et quia quidem optarunt, & studiosissimè, atque ardentissimè optarunt omnes, inde illud factum, vt & omnes ad præsepe à Deo ad adorandum, & frequentanda cantica dulcia dramatis, adducti sint. [26] Qua ratione & Pastores, & Reges adhuc adducti, de quorum pietate fas est illud existimare, quòd multo tempore fuerint exspectantes aduentum eundem Domini. Enim verò ea ratione [27] disponit omnia suauiter Dominus, dum quod largiturus est, facit vt in nostris optatis sit, studijsque, vt nimirum sic nobis nos illud precibus quodammodo promereamur. Quo fit, vt [28] qui virtutem dicitur largiri, & præmia; si ad peculiaria conscendamus; quòd spem largiatur dici potest, & rem. Dices. Vt quid per colles, non per astra significati Angeli, aut aliquid aliud in desiderio illo? Et [29] quidem astra matutina dicuntur, & filij à Deo ipso cum alloquitur Iob? Aptiusque desiderium filijs, & ex inanimis, si poëticè loqui velimus, astris tribuitur? Optant enim filij Patrem ardentissimè, astra verò à sole nobilissimum quid corporatorum omnium, atque dignissimum, nimirum lucem exspectant. Sanè suspensa sursum oculos intenta, atque defixa prospectabat Ecclesia, exspectans, quæ hęc vsurpauit, quibus & prouocabat venientem à multis exspectatum dicens, & se consolabatur. Sursum, inquam, siquidem è sursum [30] Agnus mittendus, cui dictum. [31] Vtinam disrumperes cęlos. Et è sursum quidem in terram per montes, collesque viam facturus: Et quidem sic futurum ipsamet amans sibi præuiderat; Somnians, quæ cupiebat. Vnde ait. [32] Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Et vide descensum; E cælo in montes: e montibus in colles venit. Hæc cum ita haberent, altissimèque oculos Ecclesia in sublimiora Empyrei, vel in ipsum Patris sinum coniecisset, si posset intendere; Præterijssetque ipsa ante conscendens, & colles, & montes ad contuendum; vbi ad Angelos peruenit, quos eodem vidit studio ęstuantes, ardentesque intensissimè, & gauisa est, &

Marginalia:

[21] *Psal.*

[22] *Ecclesia in Assumpt. Virg.*

[23] *Eccles.* Angeli, dicuntur Angeli eius, idest Christi Domini & cur?

[24] *Paul.* Adorent eum omnes Angeli eius, explicatur.

[25] *Eccl.*

[26] *Eccl.* Angeli omnes fuere ad præsepe, cũ natus est Dominus. Et vnde?

[27] *Sap.* Deus Dominus disponere dicitur nos suauiter, quia in nobis bonorum accendit desideria.

[28] *Eccles.* Deum Dominum virtutem largiri, & præmia, est largiri spem, & rem.

Angeli optantes aduentum Christi Domini, cur colles dicti nõ astra, aut filij?

[29] *Iob.* Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.

Sol nobilissimum, & dignissimum corporatorum omnium.

[30] *Eccl. verba.* E sursum Agnus mittitur.

[31] *Isai.*

[32] *Cant.*

est, & id habuit prætcrea argumenti, quo descensum suaderet, quòd in promptu magis esset, & efficacissimum; nimirum quòd, & in Angelorum esset optatis, qui tamen in summa cum ipso degerent tranquillitate felices. Ceterum montibus, collibusque videndis assueta in Exspectatione semper: Vt ille fontibus, arbustisque, quibus propterea vsus est, cum ait. 33 Ipsi te fontes, ipsa te arbusta vocabant: Illud habuit, vt diceret. Desiderium collium æternorum; colles enim visi erant Angeli. Ac si. Et ipsi te quidem Angeli tui, ò amatissime, te exspectant, ac præstolantur. Hæc igitur cùm ita habeant omnia, cumque Dominus in votis fuerit Angelorum; an non & in votis fuisse Virginis Dominæ, & quidem maximis, ardentissimisque credendus est? Et quidem si de altitudine agitur, 34 Mons Virgo in vertice montium posita, atque collocata, cuius comparatione altissimi montium colles, eos scilicet ipsa eos reddiderit altitudine sua. Nisi fortè mótes altissimi, & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint; Virgo autem mons in vertice montium, non quòd altior illis fuerit, sed vt desideria ipsius, atque vota ab illis fuisse, & in illis sita, atque sustentata, significentur. Nam creaturæ omnes comparatione ipsius colles, non montes. Et quidem 35 clamare dicitur Spiritus sanctus in nobis, quia nimirum nos facit clamantes. Itaque mons ille altissimus Virgo, qui quia longè altior, atque sublimior ceteris, nimirum nos facit clamantes. Itaque mons ille altissimus Virgo, qui quia longè altior, atque sublimior ceteris, nimirum vsque ad solium Deitatis euectus, prior vtique, ac promptior excepturus, futurum in montibus, exspectasse dicendus est. Et dices. Nunquid igitur maior, & sublimior Angelis Virgo? Sanè gratijs, non natura. Et quidem plus, quàm dici possit, & excogitari. Propter quod Isaiæ satis illud fuit, si diceret in laudem montis domus Dei, quod & Dauid innuit. Nimirum quòd fundamenta eius altissima sita essent in montibus sanctis; quòdque vel à fundamentis excederet attollens gloriosum caput, & sublimioribus inferens; Nihil sollicitus, deinde quo pertingeret vertice dicere, quod alijs omittebat. Non dicturus vtique quòd 36 inter nubila conderet caput, aut 37 summo vertice sidera ipsa feriret; quando 38 nubila aërem, sideraque prætergrediens, ad flumen ipsum æternitatis peruenisset, quod esset in omnem creaturam, altè prior ipse madefactus, atque ad redundationes completus, omni exundans parte, atque affluens deriuaturus. Age dum, & propiùs ad ea veniamus, quæ ad litteram de Virgine ipsa Domina sunt, nimirum quæ dicuntur in Canticis. Osculetur me, ait, osculo oris sui. Adstabant prægnanti Angeli, & quòd Deum gereret, vterumque immortale, non tàm gerenti, quàm gestæ; tamquàm puellarum illarum Chorus in dragmate illo singulari, atque diuino; non solum, scilicet vt adstarent suo soli astra illa matutina, & iubilarent Patri filij; Verum & vt Virgini ipsi gratulatione immortalis boni lætitiæ adhuc essent. Adstabant, & perpetuò adstabant; vt non iam quotidie, vt antea frequentaretur ab Angelis Domina, sed vt domi degentibus familiari-

33 *Virg. Eccl.*

Christi Domini aduentus in carne si in optatis fuit Angelorum, multò magis esse debuit Virginis Dominæ. Et cur?

34 *Isai.*

Maria Domina Mons in vertice montium explicatur.

35 *Paul.*

Spiritus sanctus clamat in nobis, explicatur.

Maria Domina sublimior Angelis non natura, sed gratijs.

36 *Ex Virg.*

37 *Ex Horat.*

Fundamenta eius in montibus sanctis, explicatur de Maria Domina.

38 *D. Greg.*

Fundamenta, idest initia Mariæ Dominæ, cur non altitudo, & coronis, idest quò pertingerit, descripta?

Osculetur me osculo oris sui explicatur.

Angeli adstabant prægnanti Dominæ, & cur?

Perpetuò adstabant, tanquam Domi suæ.

39 Tob.

Tempus est, vt reuertar ad eũ, qui misit me.

miliaribus semper. Enim verò iubente Patre, & meritò, tamquam domum sponsæ, & sponsi, famuli, famulæque per omne illud nuptiarum tempus domicilia transtulerant sua, inde ad negotia sibi à Patre data ituri, eò & ex domo ipsa Patris reuersuri, vt in ijs, quæ hominum sunt, fit. Itaque reuersurus ille ad eum, à quo 39 missus fuerat, legatione optimè functus, huc in hanc Virginis domum, si in hæc incidisset tempora reuertisset. Itaque perpetuò adstabant. Iam & quid ibi interea rei, atque lætitiæ erat ad Virginem? Quid chorus in dramate? Canebant, & pro summi Patris iussis, atque institutionibus diuinis, quibus formati erant; (sic enim innuerat. 40 Ante thorum huius Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis) non iam terribilia quædam, atque bellica, nec quæ mirabile quid essent habitura ex veneratione sanctitatis supremi Imperatoris, sed quæ maximè decerent nuptias, haberentque dulcedinem cantica; eademq; sæpius decantabant. Iusserat sic per officia decoris Pater; Euntibusque imperauerat, præsensque ipse semper monebat. Qua in re illud maximè aduertendum, quod nobis, ait, frequentate. Quæ scilicet, fierent Virgini, sibi fieri, dignissimè, vt significaret, strictoque consanguinitatis iure omni, atque amicitiæ, omnia deinceps ipsi, & Virgini, vel lætitias animi, atque gaudia futura esse communia. Frequentate, ait, nobis dulcia cantica dramatis. Cantatum sæpè, ac fermè semper Angelis Virgini per totum illud tempus, iussaque Patris impleta. Et quid cantatum dulce? Quod nam putes? Dulcissimæ Virgini, quod esset supremam consolationem animi, recordatione dulcissimorum allaturum; id vtique cantabatur tunc illi. An ignoras quod nam hoc sit? & quibus verbis contineatur? 41 Ecclesia aperit, quæ vbi fecit imperantem Angelis Deum, & cantare Virgini suadentem illis, quæ diximus. Ante thorum frequentate, aliaque subiecit statim, statim dicto obtemperantes, & cantantes inducens 42 Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus: quæ ex Psalmo sunt: in æternum. Quæsitum sæpius est, atque inuestigatum, ex omnibus, quæ Virgini decantantur, quibusque supplicatur ei plurimis, quod nam illi plus placeat, quod scilicet maiorem habeat laudis commendationem; Et à pluribus in plura itum. Equidem is sum, qui existimem neque vllam, quæ his psalmi continetur verbis laudem, placere hac magis laudẽ; sed & nec reperiri posse, quæ sit magis placitura; Enim verò omnia continet, ac veluti quidam fons est, atque caput omnium laudum. Et cur ita? Sanè non tam magnæ laudis loco est, atque lætitiæ ex laude, quòd quid quis præclarum, atque eximium, & nobile sit assecutus, quàm quod ipse sibi illud suis virtutibus, atque actionibus quantum fieri potuerit, sit prometitus, vt assequeretur. Vnde frequens illud veteribus, Virtute duce, & si additum, Comite fortuna. Hinc præmia gloria illa suprema, atque optima, vel à Deo ipso dicta, & 43 merces, & retributio, & stipendium, aliaque; dictumque quòd ibi sudores, lacrymasque, & labores 44 absterget Deus. Nimirum gratiora hæc beatis, quàm bona, vt dicere possint.

Pater iussit Angelos ante thorum Virginis frequentare toto eo tempore, quo Virgo gessit.

40 Psal.

Frequentate nobis dulcia cantica dragmatis. Dictũ à Patre Angelis, explicatur.

41 Euang.

42 Psal.

Angeli iussi à Patre cantare, quid cecinerint, quòd maximè placuerit Virgini.

Diffusa est gratia in labijs tuis. laus ex omnibus Virginis iucundissima. Et cur?

43 Euang.

44 Apoc.

possint. Gratia Dei mecum præsertim conscientia teste. Hæc cum ita habeant, Omnis ibi in illis, quæ Virgini decantantur, laus, atque gloria est; enim verò, & quòd mater Dei sit continetur, & quòd ipsa sibi illud humilitatis suæ verbis promerita sit. Diffusa est, inquit, gratia in labijs tuis; propterea benedixit te Deus in æternum. Et quando diffusa? Quando, ait, Ecce ancilla Domini. vix illa, Et ecce statim mater Dei, simulque & Regina omnium facta est. Et promerita quidem Virgo, vt Deus ex ipsa carnem suam sumeret, multò ante est humilitate sua, alijsque virtutibus, verum: quod aiunt de congruo: De condigno quidem verbis illis humilitatis suæ. Ecce ancilla Domini. Id, quod statim, quia dignum erat secutum est, atque quod debebatur solutum. O summam igitur Dominæ laudem verbis illis contentam. Et dices. Hanc igitur & ipsa suam laudem, quæ sua ipsius est, sibi in cælis canit Virgo, non aliam? Nequaquam, sed illam, quòd Dei mater est simul & Virgo? Et cur ita? Sanè hæc ab alijs ipsis decantatur, & meritò propter eandem illam oris, cordisque humilitatem; quæ in cælis, vt cetera, & ipsa sanctis perfecta perseuerat. Sanè quæ Dei sunt, & à Deo facta in ipsa, canit ibi Virgo, canuntque Sancti pro humilitate, non ad quę ipsi cooperati sunt, vt offitio satisfaciant diuinæ laudis, & gloriæ. Hæc propter aliam non hanc canit Virgo cantionem in cęlis. Hæc quæ in omnibus maxima est, atque dulcissima, vt in terris, ita & in cęlis: illi ab alijs pleniore ore cantatur. Hęc Angeli, Quid interea Virgo exspectationi intenta, & cruciata diù, multũque, atque adeò semper, vt pariat; aliquid nè ex his, quod leuamen cruciatui illi esset maximo capiebat? Nequaquam ex Angelorum præsentia, neque ex cantu. Aliquid fortasse ex laude ipsa, nisi fortè spes magis illorum recordatione, re ab oculis absente accendebatur ad additamenta dolorum? Vbi multum per deliquia, idest, conticinia, atque silentia oris præterijsset temporis; Erumpebat tandem. Osculetur me osculo oris sui. Ac si: Quid ista ad solamen? Veniat ipsemet, quem præsens præsentem videam, & cuius osculis mater Filij, vnicè, & singulari ratione delecter. Et hæc dices, ad ipsummet conuertebatur, quem gestabat in vtero, & præsentem præsens sic alloquebatur. 46 Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. His auditis Angeli iuuabant sic optantem. Vnde & ipsi ad sponsum conuersi, vt veniret foras, & matrem consolaretur, precibus, atque illis orabant. 47 Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime: Specie tua, & pulchritudine tua, intende prospere, procede, & regna.

Mariæ Dominæ in labijs, quando gratia diffusa.

Maria Domina dicto. Ecce ancilla Domini statim mater Domini effecta est.

Maria Domina cum antea humilitate sua de congruo promerita fuisset, vt Deus ex ipsa carnem sumeret, vbi dixit. Ecce ancilla Domini, de condigno, vnde statim secutum.

Maria Domina ardens aspectum Christi Domini in carne, & illi intenta consolationem Angelorum, & nullius creaturæ recipit, sed potius magis accenditur.

Quia meliora sũt vbera tua vino. explicatur. 46 *Cant.*

Angeli pro Virgine orabant, Verbum vt veniret 47 *Psal.*

SER-

SERMO SECVNDVS.

Et cruciabatur, vt pariat.

Maria Domina Angelos, Angeli Dominam inuicē ad optandum Domini aduentum prouocabant.

[1] *Psal.*

Heroēs quicquid agunt, dicuntque est in exemplar.

ITAQVE Angeli Virginem ad optandam magis, & ardendam Saluatoris præsentiam cantionibus suis incendebant. Incensa Virgo, & ipsos in idem trahebat studium Domina famulos, atque eosdem ardores, qui dicerent: [1] Intende prospere, procede, & regna, ipsum Dominum pro Virgine prouocantes. Verum enim verò quæcumque agunt, dicuntque Heroēs viri, & quibus summō gradu virtus est omnis à Deo, in exemplar est, atque ideam, & prototypum, vt mireris quantum [2] distet ab homine homo. Placet in Virgine veri desiderij, veras leges, atque conditiones omnes, dum scilicet ipsa optat, quę sint legere, & in exemplar quę sint, aperire; vt hinc veri, nec nè viri desideriorum simus cum cęlestia concupiscimus, appareat. Deficit Angelis Virgo, Angelorumque verbis prę vno dilecto, quem optat; vnde ait. Osculetur me ipse osculis suis. Et hęc quidem prima, si verè optemus cęlestia, lex. Concupiscit, ait, [3] & deficit anima mea. Concupiscit nimirum cęlestia; deficit terrenis. Deum, creaturis. Et quid mirum, quando sibi ipsa deficit, & corpori suo anima studens ęternis? Iam simul, ac excitatur à Choro, & reuocatur fomentis à deliquio sponsa, id habet primum, quod cogitet, & in quod intendat amans oculos sponsum, propter quod ait. Osculetur me osculo oris sui. Et hęc quidem altera optandi lex. [4] In matutino dicebat ille; Interficiebam omnes peccatores terrę. Idest, vel prematurè: vt interpretamur. Si rem spectes, vel si vota, & optata iustitię, in matutino, idest simul, ac excitabar è somno; siquidem euigilanti id primum occurrebat faciendum, quod erat in optatis maximè, vt tollerentur è medio impij, & per iustitię [5] lignum benedictio, ac tranquillitas inueheretur. Et tu quid optes, quidque in studijs tuis sit, ex hoc accipies potissimum, si videas quid occurrat primum euigilanti, ac pręstò in mente sit, & in oculis animi. Ad hęc contemnit cetera omnia prę vno, qui aliquid optat. Et sic sponsa, & in sponsa Virgo prę dilecto. [6] Quid mihi est in celo, & à te quid volui super terram? Contemnit pretiosissima, vt Virgo Angelos, laudesque. Heu quam sordet terra, cùm celum aspicio. Prefert denique minima dilecti maximis aliorum. [7] Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Et sponsa, in sponsa Virgo. [8] Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia tua vnguentis optimis, nimirum aspectus tuus consolationibus omnibus, quę scilicet afferri possint. Omnium Ange-

[2] *Ex Plaut.* Dij boni, quantum distat homo ab homine.

Maria Domina verum exemplar veri cælestis desiderij.

[3] *Psal.* Leges veri desiderij quot, & quæ.

[4] *Ex Psal.* In matutino interficiebam peccatores. Explicatur.

[5] *Ex Sap.* Benedictum lignum, per quod fit iustitia.

[6] *Psal.*

[7] *Psal.*

[8] *Cant.*

omnium Angelorum. Hæc de exemplari perfecti desiderij, quale scilicet Virginis fuit. Nunc alia prosequamur. Est & alius ab enumeratis in sacris textus, quo hac de studijs, ardoreque Dominæ videndi filij in carne, corporeis scilicet oculis continetur. [9] Quis mihi det, ait, te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Quæso omnia explicemus. Primum quidem ardoris æstum continet illa ratio sic dicendi. Quis mihi det te fratrem meum? Et [10] Ieremias. Quis det capiti meo? Et Dauid [11] Quis mihi det, vt pro te moriar, Absalon fili mi? Deinde verò Fratrem filium dicit: vt Ecclesia ait. [12] Frater, & caro nostra fieri dignatus es. Fratrem verò propter illam ipsam rationem, propter quam sponso soror sæpè dicitur Sponsa in [13] Canticis; nimirum propter castitatem, & candorem amoris. Sed & propter similitudinem adhuc, propter quam, & sapientia vterque dicitur, & quæ Sapientiæ sunt vtrique tribuuntur; enim verò quia beati sapientes, & ij Filij Dei, sicut dicitur, quòd [14] dedit eis, fidelibus scilicet; Potestatem filios Dei fieri, Sapientes singulari quadam ratione. vnde & Sapientia ipsa Christus Dominus, & Maria, qui in primis, atque ex omnibus beatissimi, & beatorum parentes. Sed quid est, quod ait. Sugentem vbera matris meæ? An Annam iam eo tempore emortuam, aut Synagogam in lege viuentem, potuit mater gratiarum intelligere? At & dura lex, & de Synagoga agens ipsa, quæ vt in Ecclesiam esset iuuanda erat, ait: [15] Soror nostra paruula est, & vbera non habet? Sed & cur non mea dixit potius? Et quidem quia [16] Dei perfecta sunt opera, & quæ à Deo sunt, inde potissimum agnoscuntur, quòd [17] in ictu, & momento fiunt, & ab eo, cuius infinita potestas; simul ac in momento prodijt ex vtero filius Deus, prouisum illi desuper est de viatico optimo, nimirum lacte. [18] Vbere de cęlo pleno. Quod propterea de cælo plenum dictum est, quia nimirum lacte vero ex sanguinibus ipsiusmet Virginis diuinitus factum est, non à natura, atque propterea in ictu, vt impleretur. Vsque adeò verò Virginei lactis auidus filius ab vtero, qui in vtero sanguinis, vt solius illius prodierit auidus lactis, quem Virgineum dederit esse semper, non vt ceteri infantes, cuiuscumque. Quo factum est, vt neque alterius vnquam hauserit, nec quod sibi datum esset hauriendum alteri dederit; enim verò qui non matrem optauit sibi mulierem quamcumque, sed Virginem, non lac mulieris cuiuscumque appetijt meritò, sed & qui Virginis esset. Et hæc quidem omnia futura aliquando, vt gesta sunt, multò ante non modo prophetico spiritu Virgo agnouit, verum & diuino, quo erat prædita ingenio, philosophia. Vt quid igitur illa sic dicta, Sugentem vbera matris meæ? Accedit, quod [19] cum cucurrerit in siti filius, cucurrerit & mater pariter, itaque in siti ambo procurrerint; enim verò nihil optauit mater ardentius, quàm eò deuenire, tandem post longissimos æstus desiderij, ac post aliqua tempora, vt Deum filium suum lacte suo ipsa lactaret, & enutriret, eadem mater, & nutrix; Et quidem,

[9] *Cant.*
[10] *Ierem.*
[11] *Reg.*
[12] *Euang.*
Frater Christus Dom. cur Matri dictus?
Soror Maria Domina. cur filio dicta?
[13] *Cant.*
[14] *Ioan.*
Maria Domina. Et Christus Dom. sapientia. Et cur?
Beati sapientes. Et cur?
Anna mater Dominæ, tunc cum gerebat Virgo iā mortua.
[15] *Cant.*
[16] *Sap.*
[17] *Lege 3. p.*
[18] *Euang.*
Synagoga Mariæ Dominæ soror.
Dei opera vnde agnoscuntur esse perfecta, quæ scilicet ipsius solius sunt.
Christo Dom. statim nato, statim desuper de lacte, & viatico prouisū.
Vbere de cælo pleno explicatur.
Christus Dominus infans auidissimus lactis matris, & solius, quia Virginis. Vnde non aliud hausit ipse, sed & nec de matris ipsius alius.
[19] *Ex Psal.*
Cucurri in siti, quę alij vertūt, cucurrerunt in siti.

dem, vt viciniore tactu, atque strictiore gauderet magis, sentiretq; virtutem ex illo prodeuntem, & reciperet vberiorem. Rursum vt benefica inciperet esse Deo, exhibitione boni, atque donis, & opere; Ob vnum illud præcipuè, vt redemptionis suæ nobilissimæ, communisque aliorum inciperet materiam proximam ministrare, nimirum lac, quod verteretur in sanguinem facilè, sanguis cum esset, cum ministrasset remotam nimirum carnem. Enim verò qui redemptioni ipsi suæ cooperantur serui collectione pretij, atque conquisitione, si sciant auro faciendam, tunc maximè conquirentes gaudent, atque lætantur, cum aurum, non alia in pretia, redemptionemque congesserint. Et quidem [20] sine sanguine, ait, non fit redemptio. Vnde [21] redemit nos in sanguine suo. Hac cum ita haberent omnia longissimè certè abesse debuit, vt Virgo qui futurus esset Annæ vbera sugere optaret, non Virginis. Certè nisi vbera sua, vbera matris suæ dixisse putanda sit, vt significaret sibi veram carnem humanam à Deo datam, non cęlestem, non immortalem, ad alendum filium Deum, sed propagatione hominum sumptam, & eiusdem rationis, ac matris; sic enim loquuntur puellæ, cum sua, vt vestes, gemmas, matrum suarum res dicunt, quandiù à matribus acceperint hæreditate. Nisi inquam, hęc dicenda sint, aliundè vtique petenda solutio difficultatis huius, & euasio nodi est. [22] Filia, ait, Hierusalem. Hierusalem certè filia sponsa, idest Virgo. Hierusalem autē non huius, quæ terrena est (quæ enim in hoc laus?) sed quæ sursum [23] est, quæ est mater nostra. Hinc cum illa beata sit, [24] beata Virgo semper dicta, quæ & in æternum ab omni generatione, sicut & prædictum est ab ipsa, dicetur. Et sanè quandiù illa vixit in hac mortalium vita, nihil magis sapere, atque referre, quàm beatam, & beatitudinem visa est. [25] Omnia illi similis os, atque faciem, habitumque, & verba. Omnis pulchritudo eius ab intus in corpus, & quidem sic beatorum ab anima in corpus, vnde aiunt. [26] Cor meum, & caro mea exsultauerunt. Delitijs affluebat? delitijs affluunt in cælo beati, Vnde dicitur. [27] Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Aspectu castitatis insigne imprimebat? [28] Confessionem, & decorem induunt beati, siquidem quo sunt decore, atque pulchritudine ad Deo consitendum magis, & laudandum propter eum, qui apud ipsummet est fons omnis pulchritudinis, & formositatis, adducunt. Verbo detinebat quemcumque, vt dicerent Apostoli. [29] Verba vitæ æternæ habes? & ipsi: [30] In cælo vox dulcis, cum facie decora coniuncta. Iam verò ab instanti illo, quo statim in vtero fuit Christus, quia homo, beatissimus, immò & beatorum caput fuit, sugens vbera matris illius, de qua dicitur, quòd inebriabimur ab vbertate consolationis illius, sicut dicitur. [31] Beatus, quem elegisti, & assumpsisti. Hęc cum ita habeant omnia, de sensu nunc facilè fieri potest; quis sit, & quæ interpretatio loci. Hominem, qui beatus esset in anima; sugeretque lac beatitudinis, & omni perfrueretur bono communis illius parentis, quæ sursum est, optauit. Itaque ex his non desiderij modo verita-

Maria Virgo Domina nihil optauit ardentius, quàm filium Dei lactare, & cur? Præcipue quia ex lacte suo in sanguinem conuerso facienda redemptio omnis, & sua ipsius in primis.

Serui si sciant redemptionem ipsorum maximè auro faciendam, maxime cum aurum cōgesserint ipsum lætantur.

[20] Paul.

[21] Petr.

[22] Euang. verba.

[23] Paul.

[24] Luc.

Maria Domina filia Hierusalem, idest beatitudinis. & cur?

[25] Ex Virg.

Omnia similis, vocemque, coloremque.

[26] Psal.

Maria Domina, aspectu conferebat castitatis insigne, more beatorum.

Confessionem, & decorem induisti, explicatur.

[27] Psal.

[28] Psal.

[29] Ex Euang.

[30] Ex Cant.

[31] Psal.

Mariæ Dominæ verba suauissima.

Christus Dominus Beatus ab instanti conceptionis suæ.

Maria Domina optauit videre Christ. Dom. sugentem vbera matris suæ, idest habere beatum.

veritatem habes, verum & latenter, & summa cum dexteritate latentes causas, quæ in eo nimium fuere, vt quia beatus esset, videre oculis suis illum, atque cernere corporeis mater optarit. Nouum, immò nouissimum in terris, & nusquam à sæculo auditum, videre in terris hominem, qui, ac si in cælis esset, beatitudine perfrueretur. Idcircò illud dictum. 32 Nouum fecit Dominus super terram; Mulier circumdabit virum, perfectum scilicet, & qui vir sit, non homo; cuiusmodi quisquam est vtique, cum beatus est. Et dices. Nunquid non & ipsa virgo beata in hac vita, dum adhuc in corpore esset, vt Christus ipse Dominus, vt illum tanquam nouum quid optarit videre? Sane per transennam aliquando, non permanenter, vt ille. Hac propter filium alloquens, quem gestabat in vtero, illa vsurpabat optans, atque ardens pro desiderio. Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? Itaque habes verborum illorum apertam interpretationem, & sanam. At 33 quod petis dicere quis poterat intus habes, ò Virgo. 34 Vt inueniam, ait, subdens, te foras, & deosculer te, & iam me nemo despiciat. Videre illum ipsis corporis oculis, exteriusque degentem optabat, quem intus habebat. Senserat quidem beati Solis beata intus lumina, redundantesque splendores; enim verò si famulus sensit Ioannes, quomodo mater thalamo manentem non sensit? & qui nam esset, quantaque virtutis, ac lucis, qui in se esset, abscondissetque ad manifestationem clariorem, & dulciorem, sua lumina, non experta est? Sensit, & quia intus sensit, foris voluit experiri. Quare rogat, 35 Vt inueniam te foris. Et nunquid futurus sponsus cum prodierit intus qui sit, & foris beatus? Sanè anima semper beatus, corpore verò fortè aliquando in matris consolationem, atque lætitiam; nam si Apostolis futurus aliquando 36 in Thabor, ad fidem augendam, ad faciendos animos, cur non & aliquando amantissimæ matri? Iam verò si non omni ex parte, ex aliqua tamen, & nunc quidem claritudinem, nunc agilitatem habiturus ad delitias matris; nam quòd in egressu ex vtero penetraturus sine læsione sit virginitatis meæ, certum habeo. Hęc propter igitur, vt inueniam foris precor, & vt teneam, atque osculer opto. Et vt in faciem adhuc pulchram, pulchrumque corpus 37 veniat illa eximia maiestatis virtus, & 38 fulgor erumpens diuinitatis in opportunitates, & lętitiam matri, vt detur, quàm alijs maior, copiosius vtique, gratiorq; ipsomet imperante, aperienteque aditum, erupturus. Sed quid habuerunt oscula, vt in optatis essent magis, & vehementius arderentur? Sanè plurimum, atque adeò omne. 39 Virtus de illo, quæ exibat, & tactu diuinę carnis diffundebatur per oscula, per quę in prophanis, & carnalibus flammę magis illę tenebricosi amoris, atque incendia excitantur; magis communicabatur, & in legentem animam Virginis redundabat. Et per vbera quidem, per quę lac in os pueri Dei instillabatur, intrabat adhuc in beneficam Virginis animam beneficentior virtus, & vinci nescia, propter quod illa 40 hinnulis capreę comparata, qui sugunt, cum tamen ministrauerint lac, Ce-

32 *Ierem.* Nouissimum in terris videre hominem, qui esset beatus.
Nouum fecit Dominus explicatur.
Maria Domina aliquando beata per transennam.

33 *Ex Ouid.*

34 *Cant.*

Maria Domina sensit virtutem Christi Domini in vtero, & vnde?

35 *Cant.*
Christum Dominum ostendisse se aliquãdo beatum in corpore matri, qui se ostendit in monte; credibile.

36 *Euang.*
Maria Domina certum habebat, filium progressurum ex se intactã virginitate.

37 *Ex illis virg.*
Et pulchro veniens in corpore virtus.

38 *Ex D. Hier.*

39 *Euang.*
Et virtus de illo exibat.

40 *Cantic.* Duo vbera tua duo hinnuli capreæ gemelli, explicatur.

terũ per os in compensationem amantium osculorum, longè maior, & copiosior. [41] Hinc illa gratia redundans per labia eius, & fons mellis, ac lactis, omniumque, quę ab his, & in his sunt dulcitudinum sub lingua eius, à fonte. Itaque propter hęc optata oscula magis. Sed & propter illud adhuc, quod sapienter subijcitur. Etiam me nemo despiciat. Et quid est hoc nemo despiciat? Et quo modo, ex illo hoc? Per ea artifitia dicendi dictum sic hoc, atque his verbis, quibus interdum cum pauca dicantur, & exigua, maxima, eaque dignissima significantur. Non obscurus homo hic dicet aliquis fortè in laudem alicuius. Et sensus est. Nobilissimus verò hic, atque natalibus, virtutibusque, & imaginibus maiorum clarissimus. Iam, & non contemnendus, idest valdè amandus, & habendus summo in pretio. Et iam me ait, nemo despiciat, idest omnes colant in primis, & venerentur. Quod in Cantico, deinde dictum est. [42] Ex hoc beatam me dicant omnes generationes. Et dices rursum. Vnde ex hoc beata dicta Virgo ab omni generatione; quia filium osculata est in vlnis habens, & brachijs, atque nulli despecta, magis autem in pretio summo habita, & affecta omni honore? Sanè quia & Virgo, vt erat: habita, & mater. Certè Virgines in honore sunt Angelorum; [43] semper est enim Angelis cognata virginitas, & simile simili carum. Ceterum cum in honore sint Angelorum, despecatui sunt hominibus, & neglectui; & quia dissimiles ipsis, & quia infœcundę. Iam verò contra coniugatę in pretio hominum sunt, neglectui, seu melius, non vt virgines caræ Angelis. Et illis quidem propter similitudinem, his contra propter dissimilitudinem eandem. Vna Virgo, & Angelis, & hominibus cara; siquidem vna, & Virgo eadem, & mater. Vna. & propterea omni generationi, & in cælis, & in terris, quę sunt dicta, atque promulgata in omnem ęternitatem beata; neque enim in [44] cęlis generationes non sunt, vbi collustrationes, & illuminationes sunt, ac doctrinę. Huc igitur tetendere illa. Etiam me nemo despiciat. Ex osculis mater, & Virgo, quòd esset simul, sicut & ex omnibus alijs actionibus agnoscebatur; enim verò vt verbum incarnatum, quandiù hic nobiscum deguit, & in nobis versatus est, id habuit, quod optimum, atque potissimũ in omnibus actionibus suis semper ostenderet, quod nimirum Deus, & homo, qui esset agnosceretur; ita & Beatissima Domina in eodem vitę cursu illud, quod & in ipsa maximum esset, ac singulare, quòd nimirum Virgo esset, & mater. Id, quod potissimum osculis infigendis puero obtinuit; ea enim infigebat, & quę eius essent modestię, quę sororis Virginis viderentur, & matris.

[41] *Cant.* Mel, & lac sub lingua tua.
Mariæ Dom. optata oscula filij in carne. Et cur.

Et iam me nemo despiciat, explicatur.
Interdum paucis, & paruis multa, & maxima, explicatur.

[42] *Euang.* Beatam me dicēt. Sensus. Beatissimam.

[43] *Ex D. Hier.*
Virgines in honore sunt Angelorũ, non hominũ; contra fęcundæ
Maria Domina, quia Virgo, & mater, in honore omnium.

[44] *Lege Magistrum, & Patrē D. Thom.*
In cælis generationes sunt. Et quæ?
Maria Domina, quod esset mater simul, & Virgo ex osculis potissimum agnoscebatur. Et vnde?
Christus Dominus id habuit potissimum in actionibus suis, vt se Deum, & hominē qui esset ostenderet.

SER-

SERMO TERTIVS.

Et cruciabatur, inquit, vt pariat.

SCIRE est, inquit ille, [1] rem per caussam cognoscere: cuius rei argumento vtique illud, quòd tunc putamus nos scire aliquid, cum nouerimus benè caussas illius, & ad tenendas deuenerimus. Hinc Sapientibus caussæ semper quæsitæ rerum, & aliquibus: vt domesticis vtamur, ac proprijs: caussæ; atque initia præsertim, & exemplar virginitatis Dominæ multa diligentia, accurataque conquisitione explorata; Sic enim aiunt, [2] A quo Virgo didicisti, & in quod respexisti exemplar, cuiusque institisti vestigijs? Qua in re illud aduertendum, si diuina sint, quæ quærantur, ignorantiam sæpè ipsam pro sapientia esse; si cum habeant caussas res, quęsitæ non inueniantur. Cuiusmodi quidem id est, quod de virginitate diximus Dominæ, & parentis, quæ cum habuerit exemplar, quod nam fuerit aliquibus ignoratur. Sed de hoc aliàs; non est enim illius omnibus ignotum, atque occultatum exemplar. Scire itaque est, rem per caussam cognoscere. Agite igitur & hoc ipsum in re studij huius, & exspectationis, de qua dicere instituimus, præstemus; caussas nimirum illius inquirentes. Certè caput, atque auctores desiderij huius in Virgine multa, Deus, Pater, Filius, Spiritus sanctus, Virgo ipsa, aliaque. Et Deus quidem auctor bonorum desideriorum, vnde Ecclesia, [3] Vt desideria de tua inspiratione concepta. Est in optimi Dei moribus, vt cuius est omnia cum [4] suauitate disponere, itàque ad fines vnumquodque suos iucundo passu, atque lætanti, & festiuo perducere, vt desiderijs homines, studijsque ad ea, ad quæ deputarit, disponat; Sic nimirum ille per æternitatem sapientiæ suæ, & dignitatem à fine vsque ad finem pertingit, nimirum: quod philosophi vsurparent: à termino ad terminum, à quo, ad quem, quo aiunt; facitque ex [5] non talibus tales, puta ex non offitiosis offitiosos, ab extremis ad extrema ducens per desideria, tamquàm media. Est verò medium desiderium, propterea quod, & si res non est, quia spes est; est tamen in [6] spe ipsa res, in qua rei obiectum est. Vsque adeò id in suauitate morum Dei est, vt vel sic ad mala, quæ scilicet videantur in oculis hominum, cum ipsi bona sint, & meliora, per media eadem, desideriaque perducat. Et quidem sic cum [7] Abraham fecit, cui in stellis futuros filios Principes vsque ad Messiam, solem ostendit, cuius aduentu in carne multò ante propterea, & meritò dictus est [8] à Domino ipso lætitiam cœpisse; qui scilicet ita hærebat animo, atque adeò erat in optatis, vt astricturus iure iurando seruum, quā acciperet, & ex quibus

[1] *Arist metaph.*

Scire est rem per caussas cognoscere. & quo modo?

[2] *Bern* Super missus est.

In inquisitione Diuinorum sæpè ignorantia est pro sapientia.

Exemplar virginitatis Mariæ Dominæ quodnam fuerit, multis ignotum.

Caussæ exspectationis huius Virginis Dom. multæ. Et quæ.

[3] *Eccles.*

[4] *Sap.*

Deus homines desiderijs disponit ad ea, ad quę deputauerit.

Subijciuntur aliqua exempla.

A fine ad finem pertingere, quid? & quomodo faciat Deus.

[5] *Ex Aristot. Phys.*

[6] *Lege D. Tho.* 1. 2.

Desideriū est medium inter spem, & rem; siquidem est res in obiecto.

[7] *Genes.*

[8] *Ev. ing.* Vidit diem meum, vidit, & gauisus est.

9 *Genes.*

Christus Dominus mori ardentissimè optauit.

10 *Isai.*

11 *Genes.*
12 *Paul.*
Credidit Abrahã in spem contra spem explicatur.
Abraham optasse vt quàm citissimè filium sacrificaret, credibile. Et vnde?

13 *Isai. 2.*
Mariam Dominã dispositam ad maternitatẽ Dei per desideria ipsa dignitatis eius credibile.
Præparatus mons domus Domini, explicatur.
14 *Cant.*
Maria Domina inuenta ab Angelo in salutatione ea legens Is. Ecce Virgo, &c. credibile. Et inuestigans de tempore.
15 *Cant.*
16 *Ex Gregor. & Bern.*
17 *Isai.*
Seraphim fuisse Gabrielem, qui missus ad Virginem. Et cur esse Seraphim expedierit.
Angelus veniens ad Virginẽ ascendit potius quàm descendit.

filio suo coniugẽ, fecerit 9 tacto fœmore suo, ex quo scilicet Messias sciuisset certò per diuinas pollicitationes, prodituru͂, iurare. Sic cu͂ Seruatore ipso optimo factu͂ est, subituro nostri caussa mortẽ, & mala illa omnia, in quo ita patiendi, atque per passionẽ faciendi desideria, atque æstus accendit, effecitque vt flãmescerent in dies, atque horas magis, magisque, vt dixerit ille sibi non iam tolerandum, & patiendum, sed frigidæ fluenta, atque ablutiones æstui, incendioque futura. Consideratione nimirum eorum, quæ prædixisset 10 Isaias, si poneret animam suam; visurum nimirum semen longæuum, & paternæ gloriæ in primis propagationem. Id, quod in figura 11 cum Abraham factum in nece filij, ex ijs Pauli certò credimus. 12 Credidit Abraham in spem contra spem. Enim verò si in spem contra spem credidit, certumque habuit futurum, si moreretur, vt excitaret illum à mortuis Omnipotens, qui per illum, illiusque ministeriis olim coniugati tantam prolem nepotum Abrahamo ipsi promisisset; gauisum esse Abraham certum habere debemus; vbi primos paterni affectus motus superauit, & desiderij plenum obediendi, plenum scilicet meliore, quam antea spe, ad sacrificium processisse. Vt proprijs vtamur, Vsque adeò id verum semper est, ita in diuinis moribus esse, vt illa ita fiant, vt sint qui putent propterea Virginem ipsam Dominam, cuius studemus laudibus, cælestium, terrenorumque, atque inferorum Reginam, & Imperatricem, ad illam tantam, tamque egregiam dignitatem, vt mater Dei diceretur, & esset, fuisse à Deo multò ante per desideria ipsa dispositam, atque præparatam. Certè sequi videntur ij 13 Isaiam ducem, qui ait. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; nam num præparati colles, non mons? Et quidem colles per desideria ipsa habendi præparati, sicut dicitur. Desiderium collium æternorum. Equidem quæ dicam in re tanta, hęc habeo. Et primum quidem, aduentum Domini in carne ipsum, de quo sermo nunc nobis est, longè vni Virgini, quàm ceteris simul omnibus, vt statim inferentes dicemus, in votis, atque optatis fuisse, quę prę vnius spe nullam cœperit aliam animo lętitię voluptatem, vt dixerit. 14 Osculetur me osculo oris sui. Quin & ab Angelo à Deo nuntio, atque legato supremi muneris in re decoris altissimi, legentem Prophetas, atque Isaię pręsertim illa. Ecce Virgo concipiet, & assiduè meditantem, si quid in illis fortè de tempore eorum, quę optaret, haberetur, vt amantium est, fuisse repertam. Exardentes pręterea tunc longè plus consueto, atque ad cælos vsque, vt cum iucunditate cernerentur excrescentes, ignes illius diuino illo pabulo flammescẽtes. Vt meritò non solum 15 Angelus ad Virginem, verum & 16 Seraphim ad ardentem desiderio missus sit. 17 Venite ascendamus ad montem Domini Gabrieli, alijs sui similibus Angelis, & collegis dicendum fuit, cum descendendum ad illam; Enim verò & si ad inferiorem loco ad superiorem tamen virtute, atque gratia, & donis, flamma præsertim desiderij, quæ ad Deum vsque peruenisset, veniebatur. Atque id primum quidem. Ceterum deinde optarit,

nec

nec nè Virgo eadem, de se cato illa, quę sumenda esset assumeretur, essetque ipsa in matrem illam, de qua verba erant Isaiæ, nihil habeo certum. Dubium, atque anceps aliquid. Certè quod non ea fuerit, quæ eò deuenerit, vt in ea studia se ingeri passa sit, quibus illud optarit, quod vnum ex omnibus honoratissimum, summamque habens dignitatem sciebat, ea suadere videntur, quæ & videntur adhuc aliud suadere; quod nesciens de se quicquam, vt in futuræ illius tantæ matris, de qua [18] tot gloriosa dicerentur, & ipsamet verò etiam pro re apprehendisset; ancillam esse humillimam, abiectissimamque; & quia virginitatem vouisset, ex illis vnam, quæ post [19] illam adducendæ essent Regi, atque postremam, exoptarit. Nimirum & [20] quòd turbata sit in sermone Angeli, & quod respondens illi, se ancillam Domini dixerit; Enim verò turbata in sermone eius, idest Angeli fuisse dicitur in Euangelio, & eò adducta per angustias, in quas à facie nouissimarum rerum venisset, vt cogitaret qualis esset illa salutatio, quidvè ferrent verba illa secum, atque haberent. Et sanè turbatio, atque cogitatio verborum, & meditatio, atque expensio singulorum, virtutem hanc, nimirum humilitatem secum habere videntur, tanquam in curru, à quibus quæ nam sit, quæ in eo incedat, dignosci potest. Vnde enim virtutes animi, & quæ in nobis occulta sint, dignoscantur, nisi à suis, quæ propria illorum sint, forisque agantur signis, atque argumentis? Habent & virtutes animi, vt humores corporis sua exterius inditia, quę dominentur, & quando, vt sciantur omnia, vt tempestates anni, vt animæ potentiæ, vt Deus ipse in orbe, cuius [21] inuisibilia, & quæ cerni nequeant per visibilia, & quæ facta sint innotescunt omnia ad sempiternam vsque virtutem; & diuinitatem quoque. Iam verò quòd in ancillam esse precata sit, ea ipsa vsurpatio est argumento, & compellatio sui humillima. [22] Ecce ancilla Domini, videtur enim ha sisse nomen per assidua desideria, quod vt statim vsurparet, in promptu habuit. An igitur hæc omnia. Magni animi potius argumenta sunt, qui in Virgine tunc fuerit, excelsique, quam humilitatis potius? Et quidem dum esset [23] Rex in accubitu suo, vt prouocaretur ad veniendum odore, Nardus mea, ait, dedit odorem suauitatis, idest, humilitas; humilis enim planta nardus, sed nimios præ cæteris efflans odores. Hæc pro humilitate, & quòd in matrem Dei Virgo esse nusquam optarit. At & optasse videtur; [24] cum enim magni animi sit, excelsique, magnos optare honores, & in illorum studijs magnis, & desiderijs esse: vt ij dicunt, qui hæc tractant: magnumque, atque adeò maximum, idque quo honoratius quicquam, nec fuerit, neque esse potuerit, in Virgine illud fuerit; vt sæpè diximus, quòd filium Dei gigneret, pareretque in carne, itaque mater Dei & diceretur, & esset; profectò si id illa non optauit antequam assequeretur, non videtur quando nā virtutem hanc præclarissimā ex omnibus vnā exercuerit, & in magni animi significatione versata sit? Enim verò neque vbi effecta est, atque est assecuta decus eximium, quid sibi optari amplius posset,

Maria Domina optarit nec nè, vt ipsa esset, mater Dei, iu vtrāq; partem disputatur.

18 *Psal.*

Maria Domina optauit, vt esset in ancillam matris Dei, quam futuram apprehendebat. Et vnde habemus, ac quæ argumenta.

19 *Psal.*

20 *Euang.*

Turbatio illa, & cogitatio Virginis, videtur ab humilitate fuisse.

Virtutes animi habent foris signa, vnde agnoscātur.

21 *Paul.*

22 *Euang.*

Maria Domina vnde in promptu habuit, & quid cogitans, vt diceret se ancillam Domini.

Dum esset Rex. Nardus mea, &c. explicatur.

Nardus humilis planta, sed odorata.

23 *Cant.*

24 *Eth.*

Magnanimitas est in desiderio magnorū honorum.

Maternitate Dei nihil honoratius, & dignius.

Maria Domina si non optauit esse mater Dei antequam fuerit, nō videtur quomodò exercuerit magnanimitatem.

posset vidit, cum viderit id se assecutam, quod tanquam stellæ cetera suum solem secutura essent per leges optimè regentis Dei, & prouidentis; vt meritò dixerit è fontibus suis deducens, quæ deriuaret. [25] Ecce enim ex hoc beatam me dicent. Neque antequam eo conscendit, [26] vt virtute illa indueretur, ex alto non in se agnoscere potuit plurima eorum à Deo auctore, quæ ad illud tantum munus, quantum vis eximium, atque singulare, in homine tamen desiderari possent; Enim verò, & quod è semine esset Abraham, & de Dauidis Regis prosapia, quibus promisisset Deus, & quòd sine peccato insuper esset, & plena gratiarum sciebat (neque enim horum quotidie, & in horas, atque momenta ad gratiarum actionem non ha rebat in recordatione gratissima) & denique quod Virgo emisso voto iam pridem virginitatis, cum legeret, scilicet in [27] Isaia, quod & id postularetur, quod nimirum Virgo esset ea, ex qua futurum esset, vt Deus nasceretur. Itaque videtur. At turbata est, inquies, in sermone Angeli, & cogitabat de salutatione, & ancillam se dixit? Certè hac exiguam, ac fermè nullam videntur facere difficultatem. Turbata est, inquit, in sermone, non à sermone, nimirum Angelo loquente. Et vnde, turbata? A corporeo Angeli, insolitoque conspectu desuper lumine asperso, præter morem; videre enim Angelos, spiritusque ipsos omnes mente, vt erant sine corpore solita antea Virgo, cum tandem adstare vidit in cubiculo clauso ostio humana spetie quemdam pulcherrimum adolescentem, atque omnia lumine collustrare. Et id quidem habere videtur [28] Ecclesia. Et expauit Virgo de lumine. Et non est quidem huius temporis, cur Angelus nouam induerit tunc formam dicere: satis hic dixisse, quòd induit. [29] Expauere verò ad viri conspectum, atque affatum, præsertim si sole sint, Virginum est, amantium gemmam inclytam, & ad seruandum statim quocumque in tumultu accurrentium. Itaque propter hoc expauit. Iam verò [30] cum crescat, & oratorum lux, atque oratio, à communioribusque semper incipiant, & læta ferentes non statim quæ afferunt, habeant vt enuntient, sed quæ vniuersalia cum sint, contineantque omnia, spe pariter, & re iniecta lætificent; factum est, vt sic loqueretur Angelus more hominum indutus humana forma, & in vniuersum loquendo quæque occasionem darent potius interrogandi quid nam rei esset, quàm quæ certi quid, & peculiaris enuntiarent. Quo factum, vt meritò ad cogitandum se collegerit Virgo, & quid haberet nuntius secum ad explorandum. Atque hæc quidem, quod ita facta sint, quæ subiecit statim Angelus, firmant; enim verò, quia communia quæ sunt, multa secum ferunt, quia nimirum communia sunt, atque multa prospectant, cum aduerteret cogitandi materiam potius, quàm exsultandi Virgini attulisse; statim in promptu habuit, vt communia peculiaria faceret, quidque omninò haberet nuntius eloqueretur. [31] Nè timeas, ait Maria; inuenisti enim gratiam apud Deum. Ac si. Et hec quidem gratia, de qua premisi gratia plenam dicens, & quòd Dominus tecum esse vellet. Et quæ? Ecce concipies,

[25] Euang.

[26] Ex Eu. Maria Domina potuit in se, cum humilitate tamē agnoscere plurima, quibus videri posset digna, aliquo modo sibi, quæ esset mater Dei. Et quæ.

[27] Isai.

Soluitur argumentum ex illis. Turbata est, &c. Maria Domina turbata in sermone, sed non à sermone Angeli. Nimirum à conspectu corporeo forma virili.

[28] Eccl.

[29] Ex D. Ambros. Virginum est pauere ad conspectum, & affatum virorū.

[30] Ex illis Ecc. Iustorum lux crescit vsque ad perfectū diem. Angeli orationis artificia, cum Virginem allocutus est.

[31] Euang. Inuenisti gratiam explicatur.

cipies, & paries filium. Nam quid modò tibi lectum; atque diu, multumque versatum ex Isaia in corde? Ecce Virgo concipiet, & pariet filium? Tu illa Virgo, quæ à Propheta prædicta, atque de te illa prenuntiata. Ecce igitur si vis, atque assentiris, concipies statim, & paries filium, & vocabitur nomen eius Iesus. Que cum ita habeant omnia, Optasse certè videtur Virgo, vt ex se filius Dei nasceretur? Itaque & non optasse, & optasse videtur, atque ita & dispositam desiderio, & vt ex Isaia, preparatam, atque non preparatam, vt mater esset, venisse. Quid ad hec nos dicemus? Equidem ita mihi persuadeo, quod vtrumque prestiterit per ea temporum Virgo, atque vtriusque, preterquam quòd & aliarum simul omnium exhibuisse specimen, formamque virtutis. An animaduertistis aliquando, quę nam prima in scœnam veniens, atque ad sponsam prodiens locutus fit verba? Sponsus, quę manifestum fit, quod sint eius? Equitatui, inquit, meo, siue equę meę in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Et prima quidem sunt verba, quę intus ad Virginem veniens verbum è cęlo, & ex ea carnem assumens, in corde locutum est; siquidem tunc primum venit ad sponsam, cum primum venit in carne. Quorsum illa prima, quę loqueretur habuit sponsus? & quid secum habent mysterij? Sanè laus in illis contenta. Manifestum: Et laus quidem à virtute aliqua. Et id. Enimverò quid verbo cum aliqua alia corporis dote, nisi prius cùm virtute animi sit: Iam verò non à virtute alia laus, quæ scilicet statim predicaretur à sponso, cuique palma daretur, nisi ea, quę plus ceteris placuisset pariter & à sinu Patris, quietè, tranquillèque degentem traxisset in terram? Ita. Age sanè, & altius rem repetentes, atque de virtute hac, siue virtutibus, quę nam fuerint inuestigantes philosophemur. Equitatui, inquit, meo in curribus Pharaonis. Habet equa cum semper pulchritudinem, tum in curru optimo, atque ditissimo, cuius sentiat, nescias qua lege ornamenta, maximam, atque adeò supremam, qua maior nequeat excogitari. Et quæ nam ea? Certè in eo pulchritudo maxima, si extrema simul; vt in musicis fit, coniungantur; nam cum admirationem habent pulchra omnia, tum hæc potissimum, quæ ex extremis compacta sint, atque coniuncta. Hinc homo pulcherrimum, diuinissimūque Dei opus, quia nimirū ex spiritu, & carnę. Hinc assumptio carnis in Deum opus operum, quia nimirum Verbum cum carne coniunctū. Quæ autem his extrema magis, atque inter se disiuncta, & omni ex parte diuersa? Ita tamen factum est à Deo supremo opifice, vt ad omnem pulchritudinem, quę vel Deo ipsi admirationi esset, admirabilissimo artifitio, atque adeò vnico, & singulari coniuncta sint. Hæc cum ita habeant omnia; à pulchritudine vtique laudata Virgo à sponso in illis, tunc cum vbi statim aduenit, laudata est, à qua scilicet se deduci, trahique è cęlo siuisset; Et quidem maxima, idest extremorum coniunctione exstantem, atque enitentem. Et quorum tandem dices? Que in equa generositas, & ad euolandum, nè dum emicandū prompta natura faciat, & per frœna ars, atque lora. Quæque in his in Virgine,

Maria Domina, quòd optasse, & quod non optasse dici possit, vt esset mater Dei. Conclusio.

3. Cant. Equitatui meo in curribus, explicatur.

Equæ pulchritudo in curru maxima. Eiusde

Pulchra, presertim ex extremis composita, mirabiliora.

Homo pulcherrimum Dei opus. Et cur?

Incarnatio opus operum. Et cur?

gine, quę fuerint, significata sint. Euolat dum à natura, qua est generositate equa, & quo minus cancellos, & ipsa suos nè excedat, per artes detinetur, eximium quid ex vtroque, quod inter vtrumque sit exstat, atque emicat; quo excogitari nequeat pulchrius, atque formosius aliud; inflectit siquidem totam se incedens illa, atque curuat, eoque procedit gressu, qui in iucendissima sit moderatione; compositione que extremorum. Et generositas quidem illa equæ in Virgine magnanimitas illa fuit, qua in sublimia honorum, atque adeò suprema, nihil inops ad omnia meriti, semper gestiuit. Ars verò, quæ detineret, humilitas. Ita factum, vt à magno animo Virginis, & humilitate formosissimum quid exstiterit; quo nihil in Dei oculis vmquam fuerit pretiosius, quo scilicet ad assumendam ex ea carnem sit tractus. Itaque & optauit, & destitit optare, vt mater fieret Dei; & magnanimitati, & humilitati satisfecit; Neque omninò in desideria prolabi totam se passa; quam detineret humilitas, neque & detineri humilitate omninò, quam magnanimitas incitaret. Quæ cum ita habeant, disposita vtique Virgo per desideria est accipiendo Deo, & mons ille Isaiæ, vt ceteri, lumini illi magno per studia, ardoresque præparatus. Sed nos hæc in exemplum adducentes, nescio quo pacto fecimus, vt & rem nostram conficeremus; enim verò ita de diuinis moribus comprobauimus, quod probandum initio sumpsimus, vt & de desiderijs Virginis, quibus erga Deum fuerit, vt carnem tandem indueret, latius disseruerimus. Quamquam non de hoc omninò desiderio Virginis institutus nobis sermo, atque susceptus, sed de eo in primis, quo cum gereret, fuerit. Cecidit tamen res omnis, & bellè cecidit; Enim verò si vt sumeret ex se carnē Deus Virgo, exarsit, quo modò non & vt videretur in carne, & nutrimenta lactis in sinum matris vocatus, atque constrictus acciperet? Sed ad rem vtique nostram deueniamus. 33 Et ipse erit, inquit, exspectatio gentium. Exspectatus omnibus aduentus Domini Creatoris; nam si 34 ingemiscit, & parturit nunc omnis creatura, tanquam pro offitio famuli, quomodo non & tunc exspectantes reuelationē non nostram filiorū Dei, sed ipsiusmet Dei? Exspectatus in Adam hominibus; Enim verò ille quid futurum esset, intellexisse iam ex tunc credendus, cum audiuit, 35 Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, atque mulieris semen. Iam verò & à Prophetis, atque Sanctis omnibus, qui vt vnicornium filium, & pluribus vocibus adhuc, atque clamoribus tanquam capiendus, vt daretur, studuere. Quid Angeli? In quem desiderant Angeli prospicere. Et ipsi nimirum colles ad id à Deo preparati iam inde ab initio, cum extitere. Age verò nobilissima vna ex omnibus Virgo, atque omnia continens, & quia homo, creaturas, & quia admirabili constitutione compacta, homines, & quia insigni sanctitate, prophetiæque spiritu singulari præ ceteris, Sanctos simul omnes, atque Prophetas, atque Angelos ipsos, plenissima gratiarum. Ipsa igitur ardere præ ceteris debuit, & hoc presertim tempore vicinior, cum esset solis progressus è thalamo, quem amantissima

Mariæ Dom. magnanimitas in optando maternitatem Dei, cum humilitate coniuncta.

Ipse erit exspectatio gentium, explicatur.

33 *Eccl.*

34 *Ex Paul.*

Maria Domina ardere desiderijs aduentus filij Dei debuit, quia vna omnium sustinens personas, & dignitatem.

35 *Genes.*

ma

ma prȩsentiret, vna omnium scilicet studia continens, atque ardores. Iam verò & exarsit, quȩ propterea vnicornium filiũ meruit in sinum ipsa suum semel exceptum tractare, atque alijs adhuc omnibus Prophetis, quorum fuissent antiquissima studia, & tanquam venationes laboriosæ, dare tractandum.

Vnicornis, idest, Deus in sinũ Virginis venit tandem.

SERMO QVARTVS.

Et cruciabatur, vt pariat.

VIDISTIS ex parte Dei quam expedierit, & decuerit, vt pariat, impleri desiderijs Virginem; & verò etiam quantum, ac quibus, & quando Deo ipso auctore completa sit. Ea nimirum ratione, quòd disponat omnia suauiter Deus, itaque à fine ad finem vsque pertingat. Est & ex parte eadem alia, quam tractemus, ratio. Dei vtique optimi & perficere est; enim verò & eiusdem est, vt ipsius perfecta [1] sint opera. Id quod non ita vtique intelligendum est, quasi omnia, quæcumque aggrediatur Deus facere, & verò etiam faciat initijs ipsis operis, perfecta sint, atque omni perfectione absoluta, sed quòd semper agens aliquid, & moliens Deus curet, tamquam lambens, vt absoluat tandem, perficiatque. Atque hùc tendunt illa. [2] Qui dedit incipere, dabit & perficere; enim vero, neque semper ab initio perficit Deus, neque vnquam nè perficiat, deest. Itaque perficere Dei est. Age verò. Et quid de Eua factum sit, quia Virgo facta est, recum considera. Et Euam, ait, [3] Transfudit in Mariam. Et quid est transfudit? Sumpta à metallis translatio, æreque campano, quæ si non successerint artifitia, finemque suum sit artifex assecutus, noua arte transfundunt, & in similia perfectiora tamen conuertunt; ne amplius deinceps prouidentes, ruinæ periculi timeatur. Et Euam, ait, transfudit in Mariam. Nimirum Euam ipsam perfecit in Maria, confecitque, vt quȩ fuissent in Eua omnia, omnia in Maria, longe tamen, quàm in Eua fuissent, digniora, excellentioraque reperirentur. Atque id ipsum quidem alijs dictum est. [4] A tumultibus Angelorum, & Euæ requieuit Deus in Maria, sibi eam faciens, in qua nihil omnino sibi, vel à leuissima turbatione timeret. Iam verò Filium, quem gestauit primum in vtero possidere foris maximè optauit Euam; cuius rei quidem argumento, quòd vbi euenit res, & iam eò ventum est, vt nasceretur puer, atque in oculos, conspectumque prodiret, exsultauit gaudens Mater, nimiaque affecta lætitia est; aitque. [5] Possedi hominem per

[1] *Sap.*

Dei perfecta sunt opera quo modo intelligendum?

[2] Qui dedit incipere, dabit & perficere exponitur.

[3] *Ex Bern.*
Et Euam transfudit in Mariam exponitur.

[4] *Ex eod. Bern.*
A tumultibus Angelorum, & Euæ requieuit Deus in Maria. Exponitur.

Eua primum Filiũ, quæ gessit, optauit foris habere; ergo & multò magis Maria.

[5] *Gen.*

per Deum. Hæc cum ita habeant, cumque perfecta sint Dei opera; & suis quęque finibus respondentia, si in sinum Euæ ea à Deo recondita, atque accensa videndi Filij desideria; quæ posita in sinum Virginis, credenda flagrantia longè magis, atque flammescentia: quę dictura non illa, sed nouo exemplo alia, atque singularia, esset: Possedi Deum hominem per Deum ipsum, à quo scilicet possessa sim, atque adeò possideat, quemque omnia quæcumque condita sunt parentem optimum, & Dominum agnoscimus? Et [6] Eua quidem lacrymas, id est [7] Caim fratricidam, à quo mors futura esset altera, quę in violētia est, itàque complementum mortis; [8] Maria gaudium, id est Saluatorem, à quo omnis vita, atque salus, portauit. Itaque & à Deo desiderium illud ex parte hac, Sed & à Patre adhuc ipso, alia insuper ratione. Sustinete quæso paulisper dicentem, & rem altius ab origine repetentem. [9] Mulier ait, amicta Sole. Et alius: [10] Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Papæ? quam pulcra, quamque varia ornamenta, & splendentia? Vnum nè hoc vestimentum, atque idem, An verò duo? Certè nisi dicere velimus quòd quia aureus Sol est, visum est porrò videnti, atque procul aurum Sol prophetę illi, duo esse videntur, & alterum quidem ex auro, ex Sole alterum. Alterum nimirum ex effectu Solis, id est auro, alterum ex caussa, id est Sole ipso. Et sanè vt duo videantur facit, quod subditur. Circum amicta varietate. Nec in Sole varietas est, quæ est à Sole, nec non pluribus decorari vestibus, atque ornamentis decuit Reginam Optimam, atque Maximam. Qua in re illud vnum maximè, quod singulare est, atque omnino nouum, aduertendum est de amore, atque beneuolentia Solis erga mulierem hanc, & Reginam, qui vbi prę amore illud dulcissimum habuit, vt aurum, gemmasque, atque ornamenta conderet, & fabricaretur, prima, atque selectissima, rariq. pretij, quibus ornaretur dilecta, illud habuit singulare, & quod in amoris ideam, & admirationem semper omni sæculo, atque omni ætate futurum esset, vt ipsemet ad ornandam, conuestiendamque, & in omnes dandam splendores, lucemque in ipsam prolaberetur. Itaque ex auro, & Sole vestita Virgo. Agite verò. Vnde ipsi hęc dona in ornamenta? Ab habente, haud dubium. A sponso igitur Patre. Certè illi & duo vestimenta, & alterum quidem Solis; sic enim dicitur, quòd incedit [11] amictus lumine, sicut vestimento, & quòd [12] lucē inhabitat inaccessibilem. Et alterum quidem ex auro, vt in [13] Apocalypsi est, cuius quidem ille ita diues, vt dicat, [14] Suadeo tibi emere à me aurum ignitum. Ab illo igitur sponso tanto dona hæc tanta sponsæ, & aurum, & Sol. Sanè Pater, quem ab ęterno gignit sibi Filium vestitus Sole, id est in luce ęternitatis suæ gignit, vnde ait. [15] In splendoribus sanctitatum ex vtero ante Luciferum genui te. Cum vero nobis dat, & mentibus nostris tanquam gignit in auro ignito, id est in caritate maxima dat. Propter quod Ioannes, [16] Videte qualem caritatem dedit nobis Deus. Et hæc quidem ille complacuit sibi, vt Virgini Dominę communicaret; nimirum vt eundem illum & sibi ipsa gigneret,

Maria Domina nato Domino dixit: Possedi Deum hominem per Deum.

[6] *Ex Aug.*

[7] *Gen.*

Eua lacrymas, id est Caim gestauit.

[8] *Ex eodē Aug.*

Maria gaudium, idest Saluatorem.

[9] *Apoc.*

[10] *Psal.*

Sol aureus est.

Mulieris, & Reginæ Mariæ duo vestimenta, Sol, aurum.

Circū amicta varietate. Explicatur.

Mariam Dominā Reginā decuit pluribus vestibus decorari.

Amor Solis erga mulierem nouum, vbi aurum illi fabricauit, & ornamenta cucurrit ipse ad ornandam.

[11] *Psalm.*

[12] *Paul.*

Patris Dei duo vestimenta. Vnum lucis, & Solis, alterum ex auro.

Dei Opt. diuitiæ quantæ.

[13] *Apoc. zona aurea.*

[14] *Ibid.*

Pater Filium gignit vestitus Sole, id est in luce æternitatis suæ.

[15] *Psalm.*

Pater idē Filium nobis dedit in auro vestitus, id est in caritate.

[16] *Ioan.*

gneret, & nobis deinde daret. Hęc propter & vt pro dignitate hæc illa peragerer, simillimaque Patri, quantum fieri posset, appareret in horum exhibitione, & Solarem ei vestitum Pater, & aureum ignitum communicauit. Et Solarem quidem cum concepit, propter quod & ipsa illa eadem vsurpans, ait. [17] In splendoribus Sanctorum. Virginitas hic Sol fuit cum tanta gratiæ copia, vt [18] Angelus gratia plenam dixerit, & salutarit. De qua [19] Ecclesia. Et virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit; enim vero in ipsa virginitatis non lux aliqua, atque fax, vt in ceteris, quę propterea [20] lampas dicitur, sed gloria, & Sol fuit, nè extingui vnquam posset, accensus. Propter quod non in manibus gestauit in operatione scilicet operans, contendensque si à ventris custodiretur, sed in [21] corpore ipso toto, vt à quo cetera lumina essent omnia, id est ceterarum virginitas omnis futura, & quòd quia in cœli sublimibus degeret, in manibus Dei esset, non ventos timeret, id est tentationibus non subiaceret. Itaque virginitas amictus Solis. Hoc amictu exornata, atque pręparata Virgo coniugio æterni Patris, & Filio suscipiendo. Id quod alijs aliter expressum est. Cum ad [22] nubiles, inquiunt, annos peruenit spetiem induit spetiosam. Et species hęc quidem virginitas eadem, quę cum in alijs species, & decor sit, in Virgine Optima, prima scilicet, & in Matrem Dei futura, species spetiosa fuit, nimirum maxima, & qua maior nequiret excogitari; sic siquidem loqui solemus, cum exaggeratum aliquid, & amplificatum volumus, atque summo gradu, locoque intellectum. Et. Amorem amatum, aut amantem. Et. [23] Pulcram pulcritudinem. Et Diuites diuitias, aliaque. Cum ad nubiles igitur annos peruenit, spetiem induit spetiosam à gratia nutrice, & parente Deo, id est eximiam virginitatem, vt à natura puellæ nupturę viris vbi & ipsę eò peruenerint ætatis, vt aptę sint viris, corporis pulchritudinem. Age vero & hoc amictu adhuc Virgo exornata, atque amicta, ita actum egit suum, itàque pariens Deo ipso dante seruiret vt scœnę, & tempori: quod aiunt: factum est, vt æternum lumen effunderet idem, quod Pater veste intaminata, & splendenti, vt admirans Ecclesia, obstupensque inuiteret ad videndum procedentem de Patre Filium; sic enim ait. [24] Venite, & videte procedentem de Patre. Et dices cur ita? Si de Matre? Sanè vt significaret singulari imitatione Patris illud in Matre fuisse factum, vt procederet Filius intacta virginitate, & in splendoribus sanctitatum, vt nihil sit propterea quo magis ratio generationis illius ęternæ, qua sine corruptione paternæ mentis procedit Filius, exprimatur, atque intelligi aliqua ratione possit, generatione hac, qua a Matre processit. Venite, inquit, & videte procedentem de Patre. Hęc de amictu Solis, & lucis. Jam verò & aureum tunc presertim communicauit Matri Pater, cum ab eadem Matre voluit alijs, quibus & fuisset mysterium adhuc peractum, communicatum; enim vero caritatem ardentissimam illi dedit, quę paritura erat Deum hominibus, vt in caritatis studio, atque ardore, feruentissimisque desiderijs deriuare bonum optarit. Et vide ardorem. Vix de

Pater idem Virgini Dominę, quia genitura erat Filium & datura, & amictum lucis, & auri, id est virginitatem, & caritatem communicauit.

Maria Dominŭ in splendoribus Sanctorum genuit & ipsa. & quomodo.

Virginitatis gloria permanente explicatur.

[17] *Psalm.*

[18] *Euang.*

[19] *Ecclesia.*

[20] *Euan.* Aptate vestras lampades.

[21] Amicta Sole.

Virginitas in Maria Domina non lampas fuit, sed Sol.

[22] *Bern.*

Cŭ ad nubiles annos peruenit spetiē induit spetiosam Explicatur.

Virginitas in Domina species maxima.

[23] *Lege Plaut. & Terent.*

Puellæ à natura cum ad annos veniunt nubiles pulchritudinem induunt.

[24] *Euan. in vigil Natiu.*

Ecclesia inuitans ad videndum procedentem de matre ait, Venite, & videte procedentem de Patre. Et cur?

Generationē ęternam Filij de Patre nihil tam exprimit, quā eiusdem generatio temporalis ex Matre propter intactam virginitatem.

Mariæ Dominæ caritas.

25 *Euang.*

de Baptista audiuit in vtero, statimque ardens prosilijt in 25 montana festinatione; intellexit nimirum sibi in sanctificationem mundi datum in vtero sanctum, ideoque ad Baptistam & Elisabeth flammescens statim conscendit. Quæ cum ita habeant omnia à Patre factum est illud, vt sic Virgo pariendi gerens vterum, desiderijs æstuarit. Sed & à Spiritu sancto. 26 Spiritus sanctus, inquit, clamat in nobis gemitibus inenarrabilibus. Et rursum. In quo clamamus Abba Pater. Quid est hoc, quod ait. Clamat in nobis? Et clamamus nos in eo. Ille nè in nobis clamat, an in illo nos? Vtrumque asserit. Certè clamat ille in nobis, quia nimirum clamare nos facit, & supplicare. Clamamus nos in illo, quia illum mouemus clamoribus, & obsecrationibus, vt presto sit. Et qua nam ratione dices hæc fieri possunt? Per vnionem amoris, cuius effectus mutua inhæsio est. Certè amantes nos in illo sumus, & ille in nobis, sicut 27 Ioannes ait. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Mutuę inhæsionis hęc sunt, vt dicebamus, quæ vtique ab amore est. Vt de Spiritu sancto, qui Paraclytus est loquamur. Patronorum hæc sunt, & clientum propter mutuas offitiorum leges, & iura, vt quę aduocatus faciat, facere dicantur clientes, quæque clientes aliàs, Patroni. Ita audias sępè patronus, qui sit dicere se reum si cliens reus sit, & à iudice interrogatum. Contrà & reus qui sit, se adstitisse in iuditio, & aduersario respondisse. Et quidem neque reus aduersario responderit vnquam, cum Patroni muneris illud facere, neque Patronus interrogatus, cum sit Rei. Ita tamen habet, quia mutua offitia sunt, atque vnum idemque studium, ac finis, vt quę vnius sunt alteri tribuantur, & quę alterius vni. Iam vero, & quoniam in caussis maximi momenti plurimi Patroni sunt, vnus vero Princeps, à quo alij melius informentur, atque instituantur, id ipsum in illis fit, vt qui Patronus sit Princeps Patronos alios ad Patrocinandum dicatur mouere, & clamare in illis. Et quidem ordine eos magis, ac vehementius, qui viciniores sint studio rei, atque designatione. Habes iam benè hęc omnia. Nunc ad Virginem veniamus. Eia ergo, ait, Aduocata nostra. Certè cum Patronus Princeps ipse sit Spiritus sanctus, ex creaturis omnibus Patrona Princeps, atque adeò optima nostri, & maxima, à Deo per leges singularis beneficentię, nostri generis cum sit, constituta Virgo est. Quo fit, vt singulari quadam ratione illa ita dicta sint. Eia ergo 28 aduocata nostra. Hæc cum ita habeant omnia; si Patronus Spiritus sanctus clamare Prophetas facit, & ea ratione clamare, vt Prophetarum clamoribus antiquitus, & priusquam veniret iudex clementię, exauditum sit nihil frequentius, ardentiusque; quid fecisse in Aduocata nostra, & post Spiritum sanctum Patrona Principe, atque eximia longè maioris ardoris, atque virtutis, quàm Prophetę simul omnes exstitissent, credendus est? Et præstitit sanè Virgo, quæ de se propterea dicebat. 29 Ego dormio, & cor meum vigilat. Euigilauit id optans semper, deque aduentu hoc, & processu somnians, itàque euigilauit, vt hac fuerit virga illa 30 Ieremię, quam propheta ille vigilantem viderit, virga nimi-

26 *Paul.* Spiritus sanctus clamat in nobis: Et. In quo clamamus. Abba Pater. explicatur.

27 *Io. epist.* In Deo manet, & Deus in eo. explicatur.

Patroni, & clientes ita offitijs coniuncti, vt quod faciat alteruter, alterutri tribuatur.

Patroni cum multi sunt vnius caussæ, qui Princeps est, dicitur alios mouere ad patrocinandum.

28 *Euang.* Maria Domina ex omnibus creaturis singularis aduocata nostra. Vnde magis optauit mota, à Spiritu sancto aduentum nobis Messiæ, quàm cæteri simul omnes Prophetę.

29 *Cantic.* Ego dormio, & cor meum vigilat. explicatur.

30 *Ierem.* Maria Domina virga vigilans. & quo modo?

nimirum, de qua Isaias. Egredietur virga de radice Iesse. Quæ si & Amigdalina fuit propter quod ab effectu vigilans dicta, quia nimirum euigilare alios faciat; & hæc Virgo, [31] induta plurima in flores, eosque candidissimos, id est virginitatem, à quibus tamen certi sperarentur fructus, vt dixerit meritò [32] flores suos fructus honestatis. Euigilare & ipsa fecit alios Prophetas, vt dixerit quidam ore omnium loquens. [33] Propter Syon non tacebo.

Eadem virga de radice Iesse.
[31] *Ex Virg.*
[32] *Sap.*
Maria Domina fecit alios Prophetas vigilare, & clamare.
[33] *Isa.*

SERMO QVINTVS.

Et cruciabatur, vt pariat.

AGITE dum, & ad Virginem ipsam deueniamus, desideriorum mulierem, quia desiderij vnius; enim verò, vt illa omnium mater, quia vnius mater, ita, & omnium desideriorum simul nutrix, atque parens, quia vnius. Et cruciabatur, ait, vt pariat. Ac si. In hoc vno illius omnia studia, atque desideria, quæ tamen & plura, & varij generis, ac rationis esse videntur debuisse in muliere amicta sole. Sed vt ab vno illi omnia, quæ scilicet cum vno sole venissent, ideò meritò in vnius manifestatione, & vt cernatur omnibus, atque adoretur, hæret defixa. Et à sole ipso erat, vt mater esset, quæ scilicet solem gestabat, à sole corona stellarum, à sole luna, à sole omnia. Miraris verò quid sit, quòd in cælum euecta mulier, susceptoque orbis regimine, amicta scilicet sole, quem suis votis obedientem haberet, nimirum quem haberet amictum; ac propter quæ distrahi in plura debuisse videtur; vt magnarum Reginarum, & Imperantium omnium est; in vnius tamen studio tota defixa sit? Grati animi leges fecere. Est id eorum, qui grato animo à natura, à virtute sunt, vt affici [1] beneficijs ab alijs recusent, & quantum fieri possit, tota renuant voluntate; ceterum vbi res effecerit ipsa, vt affecti sint, vt eò conuertant se totos, vt videant, qua ratione recompensent, aut superent; enim verò cum omne genus seruitutis ingratum habent, qui amant dominari, tum hoc in primis, quod in excellentia est benefitij. Et est quidem magni animi adhuc, sed & grati in primis. Hæc cum ita habeant omnia, cumque a sole: vt solis est: fuerint in ipsam plurima bona, atque adeò omnia, meritò mulier amicta sole in vnum omnis defixa est, vt quem gestat solem, & pariat. Et cruciabatur, ait, vt pariat. Sed nos his nescio quo

Maria Domina, mulier desideriorum, quia vnius desiderij. Et quomodo?
Eadem mater omnium, quia mater vnius.

In muliere amicta sole, omnia bona a sole.

Maria Domina optauit videre filium in carne propter gratitudinē animi.
[1] *Ex Eth.*
Grati animi, qui sunt respuunt benefitia. vbi acceperint intenti toti sunt ad compensanda. Et cur?
Dominari collato benefitio optimū.
Mulier amicta sole tota est in partu solis intenta, quia ab illo benefitijs affecta.

pacto nobis ad argumenta reperienda viam fecimus: Vnde nimirum illud factum, vt Virgo ex parte sui illud fieri à se, quod in se factum fuisset, nimirum vt pareret, quem genuerat, vehementer optarit. A grato animo factum est. Habent id, qui grati sunt, aut esse volunt, vt secum semper tamquam concilia ineant de compensatione cum æqualitate, quantum fieri potest, & redundantia adhuc, si possit fieri beneficij. Sed & id cum optent, in illius adhuc sunt perpetuo studio, vt coram, & de facie benefactorem ipsi suum agnoscant. Præsertim si seruator sit, & à quo singularem aliquam sui aliquando salutem, aut carissimæ rei acceperint. [2] Quid retribuam, dicebat ille, Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Et adijciebat de compensatione anxius, & in deliberationem tandem veniens cogitatuum. [3] Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. [4] Tobias videre studuit benefactorem Angelum, & allocutus est. Iam verò [5] Iob. Et in carne, ait, mea videbo Deum Saluatorem meum. Hæc cum ita habeant. Quid interea Virgo fecisse cum benefactore suo putanda est? Videre illum coram, quem iam secum habebat, & præsentem intueri corporis oculis optauit ardentius nemo, atque efficacius; nemo siquidem verius dicere illa potuit. Et in carne mea, quando de carne ipsa sua in vtero suo genuisset. Nam Saluatorem quidem, & habuit singulari ratione, nimirum antequam in captiuitatem veniret, nè scilicet in seruitute degeret vmquam quicquam momenti temporis; & pretiosissimę gemmæ habuit, atque margaritæ, idest virginitatis; enim verò, nec quia Iesus castellum hoc intrauit, iccircò violatum est. Nec mirare; [6] Iesus enim saluat, non violat. Id quod ipsa Virgo non modo obtinuit, verum, & antequam fieret, ita intellexit futurum ab Angelo sapientissimè: vt decebat eum, qui tantam Virginem alloqueretur, insinuante; enim verò cum præmisisset, quòd Iesus [7] dicendus esset Saluator. Spiritus sanctus deinde, ait, superueniet in te, aliaque, conticuit de modo; quo quidem responso de virginitate vnicè sollicitę, atque qua ratione cum maternitate esse posset, diligentissimè interroganti, sapientissimè satisfecit; enim verò deducendum Virgini ipsi reliquit aperto fonte, quam perspicacissimam sciebat, quid futurum virginitati parentis esset, de qua in ministeria salutis caro sumenda esset, & sanguis, ab eo, qui redimere à peccatis veniret. Nam quid futurum esset, nisi quòd ipsa in primis saluaretur, & inde matri ipsi exstarent argumenta futuræ hominum redemptionis, quòd intaminata exstarent claustra virginitatis. Itaque quia grata, videre singularem sibi Saluatorem, & benefactorem in carne, atque oculis singulari meritò exoptauit ardore. Sed & pro officio adhuc optauit. [8] Fictores, atque compositores ciborum dixit quidam olim Oratores. Et dices cur? Fortè quod laboriosa res orare, atque ad populum dicere. Fortè & quod cum alijs laborent, vt gustui sint, & voluptati, nihil ipsi præter laborem solatij, vel exigui capiunt, circa ignem nimirum, atque conquisitionem varietatum, mixturamque, & dispositionem occupati. Crediderim melius

Grati animi, qui sunt coram optãt videre benefactorem, & de facie agnoscere exemplo Tobiæ, Iob, &c.

2 Psal.
3 Psal.
4 Tob.
5 Iob.

Christum Dominum videre in carne nemo, quàm Virgo optauit ardentius.

Christus Dominus Saluator matris singulariter, & quia Saluator virginitatis.

6 Ex Ansel.

Iesus saluat, non violat.

7 Euang.

Angelus respondens Virgini interroganti. Quomodo fiet istud? qua ratione satisfecit?

8 Isocr.

Mariæ Dominæ studia videndi filium in carne ab officijs adhuc, quia sollicita si placeret, quem nobis parasset cibum.

melius propter illud, id dictum; quod vt gustui sint res, quas ministrant, & placeant maximè ex omnibus auent, atque optant. Id quod sæpissimè efficit, vt scire illa enitantur, ac studeant: Quo fit, vt parcendũ Oratoribus propterea sit, si molesti hac in re sint plus æquo, atque graues; enim verò docente natura compensationem, atque iustitiam, quæ in æqualitate est, quas non cœperint antea voluptates, nec capere potuerint intenti defatigationi, vbi rem egerint, capiunt. Itaque vt placeant epulæ maximè student, qui præparant. Lacta ille ait, 9 panem nostrum, Virgo, de cælo venientem. Quid rei, id est? & quis nam hic panis? Ac quid est tandem panem lactare? Ad Gedeonis crediderim ex parte panem allusum, qui ex alto in castra gladius futurus aduenit. Et Verbum quidem æternum (nam illa Gedeonis figura) panis; siquidem in ipso vita erat. Verum quia terribilis Deus, & exercituum, atque occisionis, & cædis, nè dùm minarum, & terroris, gladius peracutissimus; aut, si illa ipsa loqui velimus translatione panis; amarus, vt mors in pane vociferandum sæpè fuerit mortalibus per questus, & acerbitates miseriarum; quia nimirum iustus Deus, & vindictam capiens de sceleribus. Hæc cum ita habeant, Lacta, inquit, ò Virgo, panem nostrum de cælo venientem; nimirum præpara, atque ita compone lacte isto tuo 10 cælesti dono, & suauissimo, vt omninò in ore nostro dulcescat. Fecit Virgo, & multò quidem antea, quam lacte, sanguineo fecit, & carne vestiens, obtinuitque; enim verò vt alijs loquar verbis, nouamque afferam, qua id explicetur melius, translationem, aquam frigidissimam, humidissimamque multò prius ipsa nobis, quam ipsius precibus idem in 11 nuptijs Galilææ fecisset filius; in dulcissimum, pretiosissimumque vinum mutauit; vt quodammodo compensatione beneficij fuerit illud Domino, Domina significante, faciendum. Seu melius, vt non fuerit nouum Saluatori aquam in vinum mutare, cum si translatè loquamur, eodem imperio, eademque ministra fecisset. Et quid fecit Virgo? Quem lactauit panem? Quam in vinum aquam mutauit? Deum exercituum, 12 Deum vltionum, sanguinum Deum, & vindictæ ex terribili, & amaritudinis pleno in suauissimum, dulcissimumque conuertit. O aureum, immò & diuinum 13 aquæductum. O ministram alimenti, atque epularum nostrarum solertissimam, sapientissimamque. O dignitatem humani generis, cui Virgo insignis, atque vnicè singularis in coquariam, in 14 panificam, in vinariam deputata. Sed iam vbi fecisset, vt exhiberet exspectari poterat, & ministraret dulcedinem, & verò, etiam debebat. Omnes experiendi accubuerant solliciti, ipsa in primis de more eorum, qui præpararint. Et quoniam quidem à Patre Deo conuiuij Rege, & tempora, & temporum volumina certa, atque statuta exspectabantur ministerio, hæc propter si breuiora fortè reddi possent, atque vt suo ipsa interea satisfaciat desiderio, 15 cruciabatur, vt Propheta ait, Vt pariat. Itaque & pro offitio optans, atque ardens. Sed & pro offitio adhuc, vt peripatiæ maximæ spectatoribus, & iucundiores acciderent. 16 Venite & videte,

Oratores coqui. Et cur?

Coqui illud maximè curant, vt placeant epulæ.

9 *August.*

Lacta panem nostrum de cęlo venientem, exponitur.

Deus olim panis amarus, quem Virgo Domina lacte suo nobis dulcem reddit.

10 *Ex Virg. cælestia dona.*

Maria Domina nobis aquam suo modo in vinum mutauit, antequã ipsi Filius mutaret in nuptijs. Et quo modo intelligendum.

11 *Euang.*

12 *Psal.*

13 *Sap.* Ego sicut aquæ ductus.

14 *Ex l. Reg. Sumpta verba.*

15 *Apocal.*

16 *Verba Eccl. in vigil. Nat.*

Mariæ Dominæ desiderij aliud caput.

17 *Ex Isai.*

18 *Ioan. epist.* Processio Filij à Patre, nisi filius ipse enarrasset nobis semper fuisset ignota.

19 *Ex ver. Tul. de senect.*

20 *Verba Eccl.* Natura mirante, exponitur.

Maria Domina naturante mirante mirante adorabat.

21 *S. Brigid. reuel.*

Maria Domina nuda pedes deposito calciamento peperit? Et cur? Maria Domina prudentissimè dictum Moysi famulo. Depone calciamentum. Dictum sibi Dominæ, & insinuatum intellexit.

& videte, inquit, procedentem de Patre. Et sensus quidem est de matre; siquidem hunc aduocare debuit Ecclesia ad videndum procedentem de matre, quæ nimirum Virgo esset, & intacta virginitate paritura: siue Ecclesia, siue natura eadem ipsa, quæ & spectatrix esset, fuerit illa, quæ aduocaret. De matre, inquam, est sermo; enim verò [17] generationem eius à Patre, quis est, qui videre vmquam possit, cum ab æterno sit, & non sit, qui viderit vmquam; vnde & potuerit enarrare? Vt nobis propterea iacuisset in tenebris semper, nisi qui [18] in sinu est Patris, ipse enarrasset. Et quid est: quod ait: procedentem de Patre si processurus de matre est? Sanè procedentem de matre, quæ gignens, ac pariens gignentem, & parientem Patrem mirificè tanquam in scœna, atque actione, ac singulariter repræsentet. Age verò dum. Qui spectacula exhibent cum omnia spectaculorum videri, atque teneri optant, tum quæ peripatias continent, sintque maiores propterea admirationes, iucunditatesque habitura. Hęc propter neque [19] Poëtę inertes vmquam videri volunt, vltimi actus contemptores, neque actores, & gestum agentes suum extremis actionibus deseri. Spectatores verò etiam ipsi attentius postremis euigilant. Tu quæ genuisti, ait, [20] natura mirante, tuum sanctum genitorem. Et quid est. Natura mirante? Et cur non potius adorante, & reuerente mysterium? Vtrumque certè præstante, sed illud magis, atque prius; enim verò vbi eò deuetum, vt Virgo pareret, Virgoq; pariens remaneret, id habuit, quod prius ageret tanta in re, natura vt omnipotentiam facientis admiraretur, confiteretur que admiratione, ac tacita secum diceret, non esse vtique virium ipsius, quod fieret, nec spectaculorum artifitia, qui hic degerent fuissent vmquam post omnem hominum memoriam, aliquando videndis assuetos. Hæc natura initi?s mysterij, dum admiraretur. Vbi resoluta in plurima & verba, & signa, vocesque, atque commendationes admiratio est, & conuocationes admiratorum, adoratorum plurimorum dignitates eiusdem, & pulchritudinis: vt admirantium natura est; ad vociferandum, clamandumque conuertit se totam, aitque. Venite, & videte. Et vt pro dignitate loqueretur rei. Procedentem subdidit de Patre. Nimirum vt intelligeretur singularis processionis de matre in tempore vnicum, atque singulare, idque in cælis, & sempiternum exemplar reperiri. Quid interea mater, quæ & actrix eadem, & spectatrix? Natura dixerim admirante. Virgine adorante. Futuri non ignara mysterij posuerat de pedibus suis: vt [21] reuelatione sanctis mulieribus facta accepimus: calciamentum, vt quod in figura dictum fuisset [24] Moysi à Deo olim tunc cum ad rubum videndum vocauit procul degentem, de se intellexisse ipsam, & sibi per prudentiæ leges, quod famulo fuisset præscriptum, fuisse Dominæ, & matri insinuatum, significaret. Ita nudata pedes susceptura cum omni reuerentia bonum, docensque reuerentiam alios, exspectabat. Itaque facta illa omnia cum admiratione naturæ, adoratione parentis. Hæc cum ita habeant omnia; cumque hic vltimus actus, immò & vltima scœna fue-

na fuerit nobilissimi drammatis, & ex omnibus auctore Deo artifitiosissimi; cúmque tam magna, tamque multa admirationum simul, & reuerentiarum, cum exhiberetur, ageretúrque, euenerint; vt se Virgo ipsa actum agens tanta pietate disposuerit, composueritque ad omnem modestiam; quę antecessisse credenda sunt, quibusque actura Virgo eadem actum hunc se desiderijs disposuisse, credenda est? At dices; sciebat Virgo omninò nasciturum, quorsum igitur vota hæc tanta? Immò & hinc magis, atque maiora. 22 Ecce, ait, Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Quod amatur, dum non tenetur, aut: quæ pars possessionis est; non videtur, & si proximum vicinumque sit, non minuit modò, verùm & auget tenendi cupiditatem; enim verò ignis amor est, quò fertur in sublimiora magis, eò vehementius, velociusque raptatur. Et quæ nam illa erant dicentis. Respiciens per fenestras; per cancellos? Aut quo tendebant per intolerantiam amoris, nisi vt omnia de medio auferrentur, vt liber videri posset? Vt 23 videas, inquit, filios filiorum tuorum, pacē super Israel. Quorsum hæc? Videre sibi filios adstantes, quorum delectetur quis aspectu, hos ita offitiosos, vt capiant ex illis, Respublica inprimis vtilitates; id certè in optatis maximè esse solet. Iam verò ad id nata Virgo, vt 24 homo, & homo per ipsam, eiusque ministeria in Ecclesia nasceretur. Ad hæc & vt mater Virginum esset, nouæ vtrique plantationis 25 radix, & sacri 26 germinis parens; sic enim prędictum, futurum aliquando, vt 27 Regi Virgines adducerentur post ipsam. At, vt quod carnale, & prius per Adam, & adiutorium simile factum; siquidem benedictione illa accepta. 28 Crescite: generationibus hominum repletus mundus, completaque omnia filijs Adam: ita & quod spirituale, ac posterius per Mariam, & adiutorium simile, idest Saluatorem, cui diceret mutata vice Domina, & de quo. 29 Nunc os de ossibus meis. Per Mariam, inquit, & Filium Virgines, virginitatísque auctores, atque inuentores, & parentes perficiendum; acceptaque noua benedictione. Nimirum. Crescite, & replete cælum, complenda Virginibus omnia, & replenda cæli subsedilia. Et 30 à generationibus meis adimplemini. Atqui in vtero nouus Adam de cęlo cęlestis cælestium filiorum futurus parens. Nasceretur igitur ardere debuit Virgo, & prodiret in mundum, vt tam mirabilia complerentur, inciperetque ipsa incedere, infinita propè filiorum, filiarumque multitudine circumsepta. Nasceretur, inquam, atque prodiret; enim verò veri solis, veræque lunæ conspectibus, omnia temperatione, atque tempestiuitate accendenda. Id, quod ita factum deinde; enim verò vbi natus Saluator cœpta noua proles multiplicari, & noui filij cælestibus ridere parentibus. Atque hoc frui est, quod optans dicebat. Et deosculer te, & iam me nemo despiciat. Ac si: Nec qui ex carne filios habent, quod & ego te filium habeam, ex me quidem, & si de Spiritu sancto. Nec qui de spiritu, quod virginum mater incedam. Certè qui spiritualem habent prolem despi-

22 *Exod.*
Quod amatur, & si possideatur, si non videtur, incēdit magis æstus videndi.
Ignis motus, quo sublimior, eò velocior.
Respiciens per fenestras exponitur.
23 *Psal.*
Filios pacem super Israel, exponitur.
Filij vtiles Reip. maximè optabiles.
24 *Psal.* Homo, & homo natus est in ea.
25 *Ex Sap.* Radix est, &c.
26 *Verba Cypr.*
Mariæ Dominæ officia, ad quæ nata, optima, & quæ?
27 *Psal.*
28 *Genes.*
29 *Genes.*
Maria Domina dicebat ipsa de filio mutata vice. Os de ossibus, & caro de carne.
Maria Domina & filius auctores virginitatis, quibus dictum. Multiplicamini, & replete cælum.
30 *Sap.*
Christo Domino nato, cœpta multiplicari virginitas.
Et iam me nemo despiciat. Iterum explicatur.

ciunt eos, qui corporalem habent ex sanguine. Contra hi illos. Vna Virgo Dei mater. Vtrumque obtinuit, propter quod meritò dicitur, quod nec [31] similem visus est mundus vmquam ab ortu suo, nec videbitur habere sequentem.

Vna Virgo Domina inter omnes nulli despecta, omnibus iucunda. Et cur?

[31] *Ex Ecclesiæ verbis*.

SERMO SEXTVS.

Et cruciabatur, vt pariat.

IN MEDITATIONE mea, inquit, exardescet ignis. Age verò & quantum exarsit, & in quæ ignis beatæ huius, de qua sermo susceptus est, in meditatione sua, cum de filio suo secum meditaretur, & vt veniret, sæpè rogaret? Vsque adeò vt dicantur à [2] muliere amicta sole, & stellæ conflagrasse. Et stellæ, ait, in capite eius. Mirum autem, quod dum [3] Deus nobiscum fit, & in terras descendit cum Angelis virgo est, & in cęlum quodammodo ascendit. Quid hoc rei est, & vnde hæc offitiorum commutatio? Ab Oeconomia. Certè cum coniugia fiunt non modo bonorum, verum & animorum in bonis, atque in primis fiunt permixstiones. Hinc quæ vineam [4] non habebat sponsa facto coniugio cœpit de vinea differere, & ad illam sponsum ipsum Dominum inuitare. Hæc cum ita haberent omnia per connubiales leges amoris factum est illud, vt veniente Domino in ea, quæ sponsæ essent sponsus, in ea, quæ sponsi essent sponsa immigraret. Atque & per easdem leges, vt dominante hoc in terrena, illa in cęlestia dominaretur. Porrò ignem venit Dominus mittere in terram, misitque statim aduenicns; Enim verò latens quidam, atque intus in animis occultis caussis; vt ea fieri solent, quæ Deum agnoscunt auctorem; sensus quidam salutis, & desiderium gustatum est, vt meritò dictum sit. [5] Et ipse erit exspectatio gentium. Quid mirum igitur si ignem, & Virgo venit ipsa mittere in cælum, & desiderio illo suo nimis accenso, atque ardenti Angelos ipsos ignire? Commutationes vtrique offitiorum, permixtionesque à legibus connubij fuere. Vide verò ignem suum mittentem in cælum, atque Angelos accendentem. [6] Dicite, ait, dilecto meo, quia amore langueo. Et habitatores Hierusalem, idest [7] Angelos alloquebatur. Et putas otiosos Angelos, & precibus hisce nihil commotos? Equidem ardentissimos plus solito exstitisse opinor, Domini aduentum in carne pro

[1] *Psal.*
Mariæ Dominæ ardor videndi filium in carne, quantus, & vnde habemus?

[2] *Apoc.*

[3] *Isai.*
Cóiugia omnium animorum in primis permixstionum causæ.

[4] *Cantic.*
Veni dilecte mi, &c.

Quæ à Deo fiunt in animis, occultis causis fiunt.

[5] *Isai.*
Ipse erit expectatio gentium, explicatur.
Maria Domina ignem misit in cælum, mittente Dom. in terram. Et quo modo.

[6] *Cantic.*
Dicite dilecto meo, quia amore langueo, explicatur.

[7] *Lege expositionem nostram in Cantic.*

pro Virgine patrocinantes. Et hoc fortasse est quod [8] stellæ id conspectu adhuc solis refulgent, quia à sole ipso longe copiosiore, & ardentiore luce succensæ. Placuit pauca hęc intermiscere, vt cum acciderit desiderium Virginis magnum fuisse dicere, qua ratione magnum, ac quantum cuiusque ardoris exstiterit ex his paucis intelligatis. Nunc in viam redeamus, & ad susceptum rationum institutum. [9] Haurietis, inquit, aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Rursum Virgo ipsa. [10] Qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Alij adhuc eadem vtentes translatione. [11] De plenitudine eius omnes accepimus, aiunt. Et rursum. Omne bonum nobis Virgo deriuauit. Quid hæc secum ferunt, & quid habent rei, vt omnes hi sub translatione aquæ de partu Virginis locuti sint? Sanè quia ipsa sic apertius locuta est. [12] Ego sicut aquæductus exiui de paradiso. Nimirum deriuatura non iam aquas de fonte illo, de quo dicitur. [13] Quoniam apud te est fons vitæ, sed fontem ipsum in paradiso fuerat ipso, & vsque ad [14] Patrem ipsum, vt ex illo in se in fontem totum acciperet, itaque accepto de plenitudine, deinde eius omnes acciperemus. Hæc cum ita habeant omnia, nunc ita philosophemur hac de re. Habent certè deducendarum aquarum curæ negotij plurimum in Republica, & rei, vt summi Imperatores non refugiant quicquam in harum procuratione occupari. Legimus quam plurimos, quorum diligentiæ exstant monumenta in magnificentia, in huiusmodi studijs summa cum laude occupatos. Et rei quidem ratio in præstantia est elementi, & damno si accidat, vt desideretur; enim verò flumina lætas reddunt ciuitates, quando & ciuitatem ipsam Dei lætificat [15] fluminis impetus, & si domi sint perpetuę magna ex parte ab hoste reddunt securas. Hęc propter initijs rerum illis summo illi opifici, atque architecto Deo, & si [16] lux, vt quę primas in ędifitijs [17] obtinet, maximè curanda fuit, propter quod statim [18] facta, certè non omissa aquarum cura, quas inter se inuicem [19] diuisit, aliasque in [20] aëre esse voluit, vnde facillimè in omnes opportunitates, vtilitatesque immitti possent. Hęc cum ita haberent, cumque iam in se fontem haberet Virgo ipsum, exspectarenturque tempora, & momenta statuta, vt iuxta consilia [21] sapientię foras posset deriuare, quo anxia fuisse ardore, atque sollicita desiderio existimanda est summa Regina, & Imperatrix eadem; aquas, vt foras deriuaret, à quibus sciret immortalia futura bona, & quas propterea summa siti ab omnibus exspectari. Inde conijce, quod vbi factum est, vt iam effluxerint, fuerintque in oculis, conspectuque statim conclamatum est. [22] Venite ad aquas. Et concursum omni ex parte, vt [23] homines, & iumenta, idest Iudei, & gentiles saturati sint. Et quidem prudentium omnium omni in re est non solum in finem respicere, atque collimare, verum & finem rebus optare, atque vbi dederint, quietem; siquidem in fine quies, tamquam exacto labore, acceptaque operę mercede lętari. Et hoc quidem, & ipsum ad officium spectat. Iam verò & quod adhuc subijciemus. Vnicuique quod

[8] *Apoc. dum dicitur.* Amicta sole. Et stellæ in capite, &c.
[9] *Psal.*
[10] *Sap.*
[11] *Bern.*
De partu Virginis Dominæ omnes loquūtur sub trāslatione aquarū. Et cur?
[12] *Sap.*
[13] *Psal.*
[14] *Ex Gregor.* Vsque ad soliū deitatis.
Maria Domina deriuatura nobis fontem è paradiso fuit in paradiso.
Deducendarum aquarum curæ in Republica munus Imperatorium.
Aquæ præstantia, & vtilitas.
[15] *Psal.*
Dei optimi cura in initijs aquarum, &c.
[16] *Gen.*
[17] *Lege D. Basil. ibi.*
[18] *Gen.* Primo die fiat lux.
[19] *Gen.* Et diuisit aquas ab aquis.
[20] *Ex expositione aliquorū.*
[21] *Sap.*
Mariæ Dominæ ardor pariendi ex eo, quia ipsa aquęductus.
Christi Domini statim nati vtilitates in mundum.
[22] *Isai.*
[23] *Ex Genes.* Bibe tu, & cameli.
Prudentis est in finem respicere,

suum est date, [24] iustitię est omnis. Distributiuę verò cum personarum ratione. Et distributio quidem, vt recta fiat, atque suum vnicuique à iustitia sit, non curant modò illi ipsi, quorum interest, vt dicant. [25] Vindica Domine sanguinem nostrum, verum & alij adhuc, tanquam ex parte Scœnæ, quibus sit præsertim in re pars aliqua, quorumque intersit aliqua ratione, propterea quod ament. Vt dicat meritò Ecclesia illud ipsum agens, quod sancti. [26] Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum; enim verò, vt in Oeconomijs fit hac in re, vt non solum sibi filij à patribus, verum & pro filijs matres postulent, atque vt in humano corpore, vt non solum, quod langueat membrum ipsum sibi medicinam roget, verum & alia ipsi, præsertim quæ principem obtineant locum. Age verò caussa Virginis quacumque, multa, atque adeò plurima, & omninò ea, in quo summi martyrij summa fuisset, passus fuerat sanctissimus vir Ioseph (parum abfuit Iob dicerem) in [27] suspitione illa, quam prægnans vterus, & tumidus ingessisset. Vsque adeò vt cum passionis martyrium Dominus, compassionis Virgo, suspitionis pertulerit Ioseph, parumque affuerit præ dolore vitam finierit. Hæc cum ita habuerint consolandus vtique fuit à Deo Ioseph, & quidem [28] secundum multitudinem dolorum consolandus. Atque ita factum, & in eodem. Et in quo? vt nimirum qui caussa Virginis sponsę fuisset passus, caussa, & eiusdem caperet lętitię voluptates; Cuiq. fuissent ab vtero pręgnante martyria, essent à pariente coronæ. Et factum; enim verò vt [29] natura mirante peperit Virgo, [30] Virgine ipsa adorante, [31] cantantibus interea Angelis, tamquam in scœna [32] choro, atque omnia decorantibus, Ioseph lętante peperit, & exsultante. Atque hæ partes optimæ, ei, qui sustinuisset antea, [33] cecidere per prouidentes Dei leges commiserationis, atque iustitiam. Iam cuius interea precibus, supplicationeque, & vt res certissimè fiat, desiderijs? Virginis optimæ, cuius in scientia condita hæc omnia, atque meditatione. Hæc propter quàm diu fierent cruciata illa est [34] mulier amicta sole. Et quoniam quidem facienda in partu suo certò sciebat, vt pariat, cruciata. Vt secundum multitudinem dolorum consolationes Dei lætificent animam Ioseph. At [35] Angelus dices; affuerat præsto Ioseph, omnemque mœroris nubem in tenebris illis allatam cælesti luce disijcerat? Sanè. Sed non pro iustitia fecerat satis. Faciendum prædixerat, propter quod illa [36] Pariet Filium, & vocabis. Itaque in partum reiecta, quæ per iustitiam tribulationem æquaret, consolatio. Et propter hoc in partu ipsa suo Virgo præsentem sponsum voluit, iussitque: quantum precibus, & auctoritate valuit presentiam, præter morem aliarum, quę absentes viros, nè patientibus compatiantur, ferunt; vt exorientem ille [37] A summo celo suo solem primus videret, adoraretque matutinus, & primos ignes acciperet. Itaque offitiosa viro, vt pariat Virgo exoptauit. Iam & eidem, & sibi, & Deo ipsi propter manifestationem nouissimæ rei, nimirum noui fructus noui coniugij. Habet nouissimorum permixtio, vt nouum: haud dubium, effectum, ita & experientiæ

& illum optare, vt assequatur.
[24] Esth.
[25] Apoc.
[26] Verba Ecclesiæ.
Iustus non solum sibi, verum, & alijs iusta petit, & procurat.
[27] Eccl.
Ioseph martyria in suspitione.
[28] Psal.
[29] Ecclesia.
[30] Ex S. Brig.
[31] Eccl.
[32] Cantic.
[33] Ex illis Psal. Ceciderunt mihi in præclaris.
Ioseph partes in natiuitate Domini lætari Virginis intercessione.
[34] Apoc.
[35] Euang.
[36] Euang.
Tribulationi Ioseph omnia factum fuit consolatione allata ab Angelo in somnis, sed in quantum prædixit verum, quæ futura esset in partu Virginis consolatione.
[37] Psal.
Ioseph, cur præsens natiuitati Domini adesset, fas fuit.
Mariæ Dominæ ardor pariendi Ioseph caussa.

rientiæ cupiditatem; vt qui scilicet exstet, ac surgat ex nouis, videatur, & in experimento sit. Hac propter inuitatos olim crediderim illos á sponso ad gustum vini cum [38] lacte permixsti. Miscui, ait, vinum meum cum lacte meo. Nec dubium quin nouis elementis, nouaque compositione, vt noua potio exstaret, futurum erat, nouique saporis, & inauditi. Et quidem factum alijs, & olim reperio miscellaniam apud [39] poëtas, sed rarò, vt is sim propterea, qui facilè ad credendū inducar, inductum in eo diuino dramate sponsum, qui non tam ad consuetam potionem, quam ad nouam inuitaret, Sollicitos, & respondentes, vt faceret, quàm ipse scilicet adinuenisset. Itaque optati noui fructus nouarum arborum, & quæ nusquam sint visæ. Age dum. [40] Nouum coniugium adinuenerat Dominus, quod tamen verissimum, & si singulare esset vnum, ex virginibus scilicet, quod constaret. Virgine ex sponsa, Virgine & ex sponso. In optatis igitur maximi noui coniugij fructus, qui præsertim in vtero esset, vt cum admiratione naturę coram esse posset, & ab arbore procul, in oculis, conspectuque, atque degustari; esse debuit in primis Virgini, quæ odores secum haberet, saporesque adhuc gustasset; Enim verò ille, qui semper [41] fructus numquam flos fuit, perfectissimus scilicet, vndequaque quia [42] à Spiritu sancto, [43] Terram nostram, & suam, quam dulcedini ipse suæ, & saporibus elegisset, non solum ornamentis, verum & suauitate repleuerat. At natus, quia communis Virgini matri cum Patre Virgine, longè maiori, & dulciori gustui fuit, & odori; [44] Dies dici; quod eructasset verbum à die gaudebat repetere. Ita nodus; atque vinculum singulare animorum, & inauditum semper exstitit filius singularis, idest Deus, singulari ex coniugio, matrimonioque susceptus. Propterea igitur & meritò antequam prodiret, futurus tantę dulcedini primæ illi familiæ, & aliarum exemplari, fuit in votis. Et cruciabatur, vt pariat. Numquid igitur pastus ipse solummodo [45] in lilijs agnus? Et lilia ipse pauit. Et quidem semper, quàm diù aspirauit Ioseph vita, & inclinatæ sunt vmbræ. Ad hæc [46] Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem, Dei Genitrix, intercede pro nobis. Ecclesiæ sanè sunt hęc, pro se, suisque precantis, & cum dignitate supplicantis, atque prudentia. Et in quo prudentia supplicantis, dignitas supplicationis? Sanè in eo, quod tempus, locus, occasio, omnia in considerationem venere, simulque concurrerent supplicationi obseruatum; enim verò periculosissima res precari, multaque propterea prudenti tenenda, vt obtineat. [47] Verum tamen ait, in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Iam verò quid prudentius, quàm tunc ad supplicandum Virgini accedere, cum à Deo [48] magna, & sancto nomine eius, itàque magna, vt & alij admirentur, atque ipsamet magna cum laude confiteatur, acceperit? Conseruatam, ait, agnouimus, aliaque. Ac si. Et quidem respice, quę respecta es; da quæ & accepisti. Plenaque gratijs omnibus, & singulari priuilegio dilectionis exornata, nimirum seruatę in conceptu virginitatis,

Idem vt noui cōiugij nouus fructus appareret.

Effectus permixstionis nouæ omnes optamus sit omnibus experimento.

38 *Cantic.*

39 *Eurip. vide sensum verbalē nostrum in Cāt. in illa*, Miscui vinum meum, &c.

40 *Ex D. Hier.*

41 *Ex illis Sap.* Et flores mei fructus, &c.

42 *Euang.*

43 *Ex Psal.*

Christus Dominus semper fructus fuit, nūquā flos, idest perfectissimus.

44 *Ex Psal.*

Christus Dominus Mariæ, & Ioseph singulare vinculum.

45 *Cant. Rup. per lilia intelligit Mariam, & Ioseph.*

46 *Eccl. verba.*

Ecclesiæ prudentia in supplicando illis. Rubum, quē viderat, &c. Et quæ?

Precari sine lege res plena periculi.

47 *Psal.*

48 *Eccl.* Quia fecit mihi magna, &c.

ginitatis, redunda in alios, atque serua; siquidem potes. Opportunè sanè Ecclesia; & cui propterea plurimum patronę, scilicet optimę debeamus. An verò preuenit Ecclesia Virginem, nihilque illam hac dere, & de dono dando in hominibus è summo cęlo, quò amicta sole illo suo fulgentissimo per dignitatem, conscendisset, cogitantem inuenit? Et cogitantem, & quę nondum supplicata ipsa ab Ecclesia statim effecta dignior supplicasset per ea, per quę efficacissimè animos commouisset. 49 Soror nostra paruula est. Quid faciemus sorori nostrę; enim verò vbi cum virtute redundantia bonorum est, atque affluentia ibi eadem faciente 50 Virtute longè ardentiores dandi ęstuăt, quàm accipiendi cupiditates. Sed num statim confecta omnia, & obtenta petita? significata quidem voluntas statim, verum dilata ad maturationem spes. Nasceret Dominus exspectabatur, qui coram ageret, votisque pręsentia satisfaceret. Hęc, propter quę & rogauerat, rogabat semper, & cruciabatur, vt pariat, aduentanteque magis, magisque in momenta maturatione spei, exscrescebant in ipsa vota, consideratione rei. 51 Adducet, inquit, Dominus vindictam retributionis. Quę noua forma iuditij? Vindicta in retributionem, vt à mutatione dexterę excelsi sit, vt ex quibus capienda vindicta foret, ijs tamquam Domino laborarint, euigilarintque suo, & pro eo steterint, pugnantes, retributio, atque pręmia sint? O mutationem dexterę excelsi. 52 O altitudinem scientię, & sapientię eius. Iam quando hęc erunt? Quando 53 noua faciet Dominus omnia, quia 54 nouum faciet super terram. Quando mulier circundabit virum. Currite tempora, & quę in tempora estis cęli, orbes hos, circulosque quam citissimè, festinantissimèque conficite. Iuditium igitur nouum erit? Nouum. Clementię? Pro re, atque iudice. 55 Accedamus igitur ad thronum clementię eius? Meritò. Erunt pro satellitibus 56 animantes mansuetę, atque tractabiles. Pro fascibus fascię. Pro Regia Stabulum? Quid pro sede? ò dulcitudinem, ò suauitudinem maximam. Pro sede mater ipsa nostri generis ad omnem clementiam, & commiserationem data. Age verò optabile satis veniant dies hi tanto spectaculo, & permutationi parati. Nulli magis, quàm matri ipsi; siquidem ipsa in thronum futura. Ab ipsa permutationes hę, ipsiusque 57 reuerentia, quę mater scilicet generis sit. 58 Mulier clemens seuero data est per prouidentiam fauentem, vt in clementem, & ipse vir seuerus mutetur. Et factum est. Et 59 manè videbitis gloriam eius. 60 Intende prosperè, procede, & regna. Intende verò, tu & mater, votis tuis atque precibus, vt citò veniat, qui 61 venturus est, quę in magnam horum partem futura es. Itaque pro offitio sedula Virgo, atque ardens ęstu desiderij fuit: vt pariat. Vt aduocata iudicem mutatum à se, vt mater Filium, vt ministra cibum, vt aquęductus aquam ostendat. Gratię interea illi pro desiderio hoc, cui & pro effectu futurę. Amen.

49 *Cant.*

50 *Ex Esh.* Virtus magis prona ad dandum, quàm ad accipiendum.

51 *Isai.* Adducet Dominus vindictam retributionis exponitur.

52 *Ex Paul.*

53 *Ap.* Ecce noua facio omnia.

54 *Ierem.* Iuditij clementiæ in natiuitate Domini, Forma noua, & amabilis.

55 *Ex Paul.*

56 *Eccl.* Mariæ Dominæ pariendi studium, vt aduocatæ noua ratio.

57 *Ex Bern.* Et exaudita est pro sui reuerentia.

58 *Ex Paul.* Vt per mulierē fidelem, &c.

59 *Verba Eccl. in vigil. Nat.*

60 *Psal.*

61 *Ex Isai.*

SERMO

SERMO SEPTIMVS.

Et cruciabatur, vt pariat.

GRATAM, & offitiosam hactenus considerauimus sponsam, vt quid agere debuerit, quidve optare, melius acciperemus; itaque, & in [1] meditatione nostra adhuc exẽplo parentis exardesceret ignis. Agite verò & ad finem properantes, tamquam mobiliores, & accensi igni ipsi magis, consideremus amantem. Certè ab amore in primis in illa, ardoris semina, & ex ea, qua erat erga filium dilectione. [2] Amantes similitudinem in amatis, bona, pulchra amant, atque formosa. Et hæc quidem plus ceteris singularis amans in exemplar dignissimi amoris posita, dilexit in dilecto. Et similitudinem quidem; si quidem simillimus matri filius, vt lacti lac. Hæc propter illa dicta Amabaeo carmine, atque redicta, data, & resignata. [3] Ecce tu pulchra es. Ecce tu pulcher es. Aliaque; Enim verò cum se varijs, diuersisque appetere consuerint homines in vtramque partem, modò laudantes, modò & vituperantes, vt cum alius modestum quem dixerit, dicat alius prudentem, atque cum hic iustum, ille temperatum; quid est, quod sibi eadem nouo exemplo sibi hi resignarint amici, atque ab ijsdem laudarint? nisi quod cum simillimi exstiterint, habuerintque propterea simillimi eadem, quæ mutua inuicem sibi commendatione extulerint; arserintq. verò etiam inuicem; vt alijs similitudo hæc tanta innotesceret in omne æuum. Non similitudò modò corporum, & faciei ex illis fit, verum, & constitutionum, & animorum, & voluntatum eadem cogitantium eodem tempore, atque studentium. [4] Nobilitas ille ait, nascentis Virginitas est parientis. Nobilitas parientis diuinitas est nascentis. Simillimos dicere is voluit vtique, & faciei fermè eiusdem, qui sic dixit. Enim verò cum honor in honorante sit, qui quidem honor à nobilitate est; quomodò nascenti à Virginitate matris potuit esse honos nobilitatis, & matri à diuinitate filij; nisi per similitudine eximiam, qua inter se essent, & qua à spectatoribus, qui essent; nimirum, quod hic filius illa mater, dignoscerentur? Certè Virgo de facie, quod Virgo esset. Rursum & de facie puer quod Deus esset, in facie fulgente Maiestate, & renidente (enim verò [5] Verbum caro factum est, & refulsit in habitaculo) agnosci poterat. Ceterum interea, & quod hic filius esset illius matris, illa mater huius filij certissimum ijs, qui inspicerent, & ipsum videbatur ex similitudine. Hinc igitur fiebat: vt quoniam est filijs à parentibus [6] gloria, à filijs paren-

[1] *Psalm.*

Mariæ Dominæ amantis studia pariendi.

[2] *Lege preceptorem. 1.2. vbi de amore.*

Obiecta amoris, quæ.

Maria Domina Christi Domini filij amans propter similitudinẽ.

[3] *Cant.*

Similitudo Christi Domini, & Mariæ Dominæ, & quæ?

Homines à diuersis mutuò se laudant.

Maria Domina, & Christus Dominus eadem sibi resignant laudantes. Et cur?

[4] *Aug. in Epiph.*

Nobilitas nascentis virginitas est parientis. Nobilitas parientis diuinitas est nascentis, exponitur.

[5] *Eu.*

[6] *Sap.*

parentibus; vt Virginitas matris filio summo honori esset; propterea quod appareret filius Virginis; Diuinitas vero filij summo honori matri, propterea quod mater Dei. Omnium autem ratio, atque causa in similitudine, per quam fundamenta quæ essent, nobilitatis dignoscerentur. Itaque simillimus filius matri. Si igitur [7] similitudo causa amoris, amor præsentiam optat simillimum certè sui Virgo filium, vt cerni posset, vt spectari oculis, vt præsens adesset, maximè quod optarit, & in primis dicenda est. At non dum viderat, inquies, filium mater, vt optaret? Sanè, quem habebat in vtero; verum quod simillimus futurus esset, sciebat. Et vnde, inquies? Ex multis. Ex philosophia. Ex Theologia. Ex Prophetia. Ex amore. Omnia scilicet in vnam concurrerant bona, in quam [8] bonum vnum venisset. Sciebat scilicet illa effectum à natura causæ suæ persimillimum fore, ni impediatur. Iam verò filios communiter hominum, si accidat, vt parentibus similes non sint, inde fieri, quod permixstio causarum sit, & parentum dissimillium; vt per summa fiat artifitia naturæ persæpe, vt quia similis nascatur filius vtrique, neutri simillimus fiat. Iam verò hominis, idest vnius, & Virginis filius hic Dei est, quem gero, simillimus igitur præ ceteris vnus hic filius matri suæ, idest mihi futurus est. Et hæc Virgo sæpè secum. Age verò & [9] Dei perfecta sunt opera. Et in eo adhuc rei perfectio cuiuscumque est, vt simillima suæ causæ sit; perfectissimum igitur cum sit, quod gero, quia à Deo cum sit, [10] Sanctum est, simillimum mihi sit necesse habet, ex qua [11] Spiritu sancto opifice sumptum est, vnde fieret. Iam & [12] adiutorium Adam simile ipsi ad amorem datum est, qui tamen in corporales generationes positus est. Cur non igitur & mihi simile detur adiutorium [13] os de osse, atque de carne caro, si in cœlestes, atque diuinas generationes cum filio meo positi sumus? Sed & amor, quem dixere pictorem meritò ipsissimum optanti depingebat in mente: nescias quibus artibus, quo diuino penicillo, atque coloribus, cum diuinus esset in Virgine, qui futurus erat. Vt interrogata quem non vidisset, retulerit. [14] Dilectus meus candidus, & rubicundus. Equidem ita mihi persuadeo, vt omnia percalluit vna, omnes disciplinas, atque artes, si expressura fuisset vmquam per pingendi artes eum, quem in mente gestabat filium, quia gestabat in ventre, ita expressuram ad viuum, vt esset. Fortè & expressit aliquando; ad meditationem accendendam; & Ioseph ad spei pabula, & desiderij nutrimenta spectandum non semel dedit, quia non semel amatum voluit pro virili. Itaque non [15] carum modo nomen, atque amatum mille modis scripsit, verum & carissimum vultum, atque os mille adhuc figuris, ac mille tabulis descripsit. Itaque ex multis simillimum futurum multò ante prævidit; præuisum, vt præsens adesset optauit, viderenturque simul in [16] decore quisque suo, idest, relata ad alium pulchritudine, ex similitudine exstante, gratissima propterea futura, atque iucundissima propter duo bona in vno, propter quod & [17] translatio grata; & [18] musica si verba exprimantur. Age verò

&aman-

[7] *Ibid.* 1. 2.
Mariæ Dominæ ardor videndi filium, quem gerebat, ex similitudine.
Maria Domina sciebat filium, quem gestabat in vtero sibi simillimum futurum. Et vnde?
[8] *Ex illis Sap.* Venerunt mihi omnia bona pariter, &c.
Filij, quod non sint parētibus similes aliquando, vnde sit?
[9] *Sap.*
Perfectio effectus est, vt sit simillimus suæ caussæ.
[10] *En. quod nascetur ex te sanctum.*
[11] *En.*
[12] *Gen.*
[13] *Ibid.*
Amor Mariæ Dominæ filium in vtero, qua futurus esset facie pingebat in mente. Et vnde?
[14] *Cant.*
Maria Domina omnia percalluit, & disciplinas omnes, & artes.
Maria Domina, si depinxisset filiū, quem gestabat in vtero, prout ab amore depictum menti gestabat, ad viuū expressisset. Et credibile Iosepho aliquãdo expressisse.
[15] *Ex vulgari illo.* Scrisse l'amato nome in mille guise.
[16] *Ex illo Psal* Videbunt Regē in decore suo.

& amantem boni considera. [19] Ibi, inquit, dabo tibi vbera mea. Virginis sponsæ sunt hæc. Quid sponsus? [20] Veni coronaberis. Alia sponsa, alia sponsus sponsæ pollicentur, & quæ deceant vnumquemque. Quid polliceatur filio mater, nisi vbera. Quid filius Dominus gloriæ matri, nisi coronam? Iam quando promissiones hæ factę? Et cur, siue vnde? Cum in vtero certè degeret matris filius, mater haberet. Et vnde? A beneficentia, siue amore boni. Natura ea est, ille ait, [21] Auarorum, vt vix aliquando mutetur. [22] Superueniente ætate, ea, quæ in retinendo est, & tenax accepti, immedicabilis est. An igitur, dicet aliquis, quicquam morbo remedij esse poterit vmquàm, & malo medicinæ? Nullum, nisi desuper detur, responderent multi. Equidem illud vnum repererim, vt pauca ex auaro, non multa statim petantur. Et cur ita? Non vt assuescat modò virtuti; quamquam id maximum est; est enim in principio ad habitum multum, in quo vno [23] virtutum sunt omnia: Verum & vt videat nouum ex se tamquam opus aliquod, & tabulam, aut statuam exstare quodcumque, & si informe, itaque ad perficiendum, absoluendumque omni ex parte, tamquam artifex, & statuarius moueatur; enim verò & hominum creaturæ: vt vulgò loquimur: initium aliquod esse incipimus tunc, cum incipimus per beneficia aliqua in re, aut scientia perfici. Ceterum ad perficiendum, quod quisque semel cœperit, præsertim si beneficentiæ opus sit, à natura quisque mirabili quodam impetu, atque diuino fertur, à Deo: haud dubium: [24] cuius perfecta sunt opera, quique cum causas magis, quam effectus producere [25] beneficentissimus delectetur, propterea quod causæ sui similiores, plus scilicet accipientes boni, quia & dare, atque communicare alijs, & impertiri potentes; sui simillimos cupit, perficereque sua non modo, verum & suis, idest per ministeria nostra, qui sui sumus, vt sic duplici bono lætetur, eo quod à se sit, & alio quidem, quod in effectu sit, alio quod in nobis, qui cum causæ simus, effectus simus eius nobiliores, magisque decentes nobilissimam causam, idest ipsum. Ex his omnibus id teneatur. Quod cœpit quisque opus, siue creaturam suo modo, hæc à natura, à Deo habet, vt perficere omni studeat ratione si possit, optet si non possit, quamdiu per vires, & impedimentorum possit subtractiones. Hæc propter sæpè [26] Dauid. Vbi meminit acceptorum, ad noua conferenda prouocat Deum. Cum inuocarem exaudiuit. Miserere mei, & exaudi. Eo nimirum artificio, quod intelligant homines, vt moneat, vt quod cœperit. Semel, perficiat. Hæc cum ita habeant omnia. In Virgine desideria partus, non ab ipsamet modò erant, verum & à partu adhuc ipso, & filio, vt à partu eodem in alijs dolores. Enim verò filius, & ipse propter easdem met beneficentiæ leges, & perficiendi cœptorum ardorem, id ipsum maximè optabat. Itaque & in hoc cucurrerunt in siti ambo, eodemque ambo gressu, atque progressu. Certè filius cum cœpisset, iam multò ante sibi matrem fabricari, atque nobilissimè architectatus cum fuisset, perficere, iamque multa ex parte perfecisset singulare

[17] *Ex Arist. in Rhet.*

[18] *Ex eodem in in Problem.*

[19] *Cantic.*

[20] *Ibid. in Cant.*

Mariç Dominç ardor pariendi ex consideratione boni.

[21] *Ethic.*

[22] *Ibid. vbi de auarit. & liber.*

Natura auarorum vix mutatur, & superueniente ætate immedicabilis.

Auarus, vt fiat liberalis vnum, ac singulare remedium, ac quod?

[23] *Ibid. Ethic.*

Omnia virtutũ sunt in habitu.

Vnusquisq; ad perficiendum, quod semel cœperit, diuino quodam impetu fertur.

[24] *Sap.*

[25] *Lege I. p. in I q I.*

Dei Opt. maiores in producẽdis causis, quam effectibus studia, & cur?

[26] *Psalm.*

Mariæ Dominæ studia pariendi à partu ipso. Et quę?

Christus Dominus Filius Matri coronam, idest, vt Regina adoraretur, optauit.

gulare opus, singularibus multis in vnam tamquam aduocatis ex diuersis partibus, atque congestis, perficere omni ex parte, eique vltimam: quam aiunt: manum imponere optauit. Ecquæ deerant, aut deesse poterant iam effectæ in matrem Dei? Coronis, operi, siue corona Matri; nimirum vt quæ mater esset, agnosceretur ab omnibus, & verò etiam à regibus ipsis Regina Regum adoraretur. Quò fit, vt pro optatis euenerint illa Saluatori, vt [27] Reges venerint è longinquo, in honorem scilicet matris, atque non abs re dictum sit ab Euangelista, quod inuenerint puerum cum Matre, Matre eius; nam quia Reginam [28] adstantem à dextris pueri Regis videre Reges, & Regem, & Reginam, quos in [29] decore suo videre, adorarunt. Quid interea Virgo? Et ipsa, quod cœperat opus suum optabat perficere. Et quod per ministeria carnis, & sanguinis [30] corpus filio Dei in redemptionem aptauerat. Itaque & cui carnem, & sanguinem communicasset in vtero, vt & foris cum esset, & iam adhuc cõmunicaret, natus lac cõmunicaret, vt cresceret, & iuxta [31] prophetiam mel, texeretque manu sua telam in indumenta, vt sic in plenitudinem eam deueniret ætatis, in qua fieret, quæ prædicta esset, redemptio. Atque hoc antea fuerat, quod vbera mater filio, filius coronam pollicebatur. Ita factum, vt vbera ministrare hæc optauerit, ille coronas. O matrem. O Filium. O coronas. O vbera. O vtriusque flammas, atque amores. [32] Fasciculus myrrhæ dilectus tuus tibi, ò Virgo incorruptionis, Virginitatis. Inter vbera tua tempus erit, nec longè abest, commorabitur. Solare intera animum spe, quæ in spei solatia omnibus, totique orbi meritò posita es. Amen.

[27] *Eu.*

[28] *Psalm.*

[29] *Ex Psalm.*

[30] *Ex Psalm.* Corpus autem perfecisti. Adaptasti mihi.

Maria Domina Filio lac, & perfectionem ætatis optauit.

[31] *Is.*

[32] *Cant.* Fasciculus myrrhæ exponitur.

SERMO OCTAVVS.

Et cruciabatur, vt pariat.

AN putatis, dilectissimi, vobis multos amicos esse? Multos dicetis. Equidem, aut neminem, aut vix aliquem, puto. Nec vxores viris, neque viros vxoribus, nec filios. Et vnde id habes dicetis? Ex [1] eo, qui moriens more sapientum; nimirum sententiæ prolatione, cum circundatum se pluribus videretur, qui amicitię causa accurrisse videbantur, id habuit, quod postremum diceret, cuiusque ditissimi dicti relinqueret hæredes. O amici, amicus nemo. Et cur ita? vsque adeo sublimis res, atque singularis amicitia, vt vix

[1] *Arist. in vita.*

Amicus rarus, atque adeò nemo.

vt vix quibuscumque sæculis par, nè dicam paria reperias amicorum; enim verò quę vera amicitia est, preterquam quod in virtute est, vt inter eos reperiri non possit, qui offitiosi non sint, accedit adhuc, quod is, quo amatur amicus, amor honestatis amor necesse habet sit, nihil concupiscentię, vt nimirum sui ipsius causa, qui amatur, ametur amicus, eique bona & optentur, & quærantur, si fieri possit, non eius, qui amat. Hęc cum ita habeant. Putasnè incassum dicta; Ea in Canticis, quæ de amicitia continetur inter sponsum, & sponsam? [2] Amica mea, formosa mea? An non compellatio sponsæ satis, superque esse potuit? Sanè nihil est amicitia dulcius, nihil firmius. Vt intelligeretur igitur, & in exemplar veræ amicitię positos fuisse Virginem, & Iesum Dominum, iccirco illa dicta sunt. Et quid mirum si in exemplar veræ amicitię extitere, qui extitere in exemplar veri amoris? Amica mea, inquit, formosa mea. Ad obiecta percurrenda deuenimus veri amoris, vt hinc nobis argumenta ad intelligendum de desiderio Virginis Dominæ quod, ac quantum extiterit, vt filius nascerètur, caperemus. Et quoniam quidem de similitudine diximus, de bono arguentes dicamus. Certè bonum obiectum amoris. Et quod? quod amici sit, siue quod amico ipsius causa, non nostri esse possit. Habent nimirum id [3] amici, qui veri sint, atque probati, vt bonum amici optent, quod illi sit, non sibi in amico. Hęc propter [4] Venite exultemus Domino, ait. Iubilemus Deo salutari nostro. Et: [5] Tibi dixit cor meum. Hęc cum ita habeant: Manifestationem gloriæ filij, quem sciret Deum hominem, cuiusque esse omnem gloriam; atque cui deberi, maximè optauit mater. Hæc propter fortassè illa dicta in Euangelio. [6] Et manifestauit gloriam suam; nimirum vt significaretur eò tetendisse omnia Virginis in petitione illa primi miraculi, de quo peculiari ratione illud dictum, quod [7] initium illud fuit miraculorum Iesu; vt intelligeretur non fuisse initia data à Saluatore miraculis, antea, quam ea postularet, Virgo, in qua, & ex qua miraculorum maximum, atque adeò [8] supremum factum fuisset. Eò, inquam, tetendisse omnia Virginis, vt gloria filij manifestaretur. Ac si. Poscente matre, & miraculum factum est mutationis aquæ in vinum, & manifestata insuper gloria filij, quod nimirum Deus esset, qui postulantis eiusdem miraculum, finis fuisset. An verò consequi miraculi effectionem manifestatio gloriæ facientis potuit, illam anteuertere cogitando, atque in eam intendere, & optare: vt par erat: Virgo non potuit? Equidem de vino [9] in nuptijs sollicitam cum lego Virginem optimam, atque selectissimam, cuique in aqua delitiæ essent propter id, quod erat Virginibus suis, quas ipsa sibi instituerat, & informarauerat mater Virginitatis, relictura hæreditatem exemplum; nihil minus, quam de vino sollicitam intelligo. [10] Numquid enim Deo, ait, cura est de Bobus? Alio eius tendebant cogitatus, secumque amicissima Filij Virgo alia, quæ longè maioris ponderis, atque momenti essent, meditabatur. Ecquid tandem? Ecquid quod Virgine matre dignius esset, nisi quod

& es-

Amicitia res singularis, & ideo rara. Amicitia nonnisi inter officiosos.

[2] Cant. Amica mea, sponsa mea, exponitur. Christus Dominus & natura in exemplar amicitiæ positi.

[3] Ethic. & 2 2. Amici veri amant bonum amici.

[4] Psalm.

[5] Psalm.

Maria Domina optauit manifestationem gloriæ Filij.

[6] Eu.

[7] Ibid. Christus Dominus non prius aggressus est miracula facere, quam posceret ea, in qua factum fuisset maximum miraculū.

[8] Lege 3 p. Marię Dominæ finis in petitione miraculi in Cana, manifestatio gloriæ Filij.

[9] Eu. Maria Domina in sollicitudine vini, nihil minus, quam de vino sollicita.

[10] Paul.

11 *Paul.*

12 *Esa.*

Christus Dominus amantissimus manifestationis gloriæ matris.

13 *Eu.*

& esset Domini filij. Certè si [11] Virginum est cogitare, quæ Domini sunt, matris Domini Virginis cogitare, quæ Domini filij essent, vtiq; esse debuit. Nihil autem tàm Domini, quàm gloria eius, est, qui ait. Gloriam [12] meam alteri non dabo. Itaque amantissima Gloriæ Filij amica mater, & Virgo. Et meritò cuius contrà gloriæ filius manifestandæ amantissimus & ipse amicissimus scilicet exstitisset, qui propterea & agnoscendam dederit [13] Elisabeth, & sanctificatione ipsa Ioanni, adhuc exstanti in vtero venerandam. Hæc propter & grata, & amans insuper (antiquiores enim in ipsa hi manifestandæ gloriæ filij amores, quam vt primò in nuptijs Canæ Galileæ exstiterint, atq; prodierint, qui cum ipsa creuere, cum qua & creuere virtutes aliæ omnes) cruciabatur, vt pariat amicta sole cum esset; nimirum vt ipsum solem pariat, itàque & spectetur, qui sol est, atque exortus innotescat, & adoretur. Apertius vt innotescat quòd dicimus. Cruciabatur, maximoque angebatur desiderio, vt pariat, & videatur filius, & si mulieris filius, atque carne indutus, quod Deus sit. Neuè quicquam in suspitionem vllius cadat, vel minimam, atq; quamcumque, vt quia homo sit Deus propterea non sit, tamquam: quod in naturalium mutationibus fit: [14] desierit esse, quod erat, quia quod non erat assumpsit. Magis quod veritas haberet; nimirum quod & quod non erat assumpsit, atque quod erat remansit. Et grata, inquam, prætterquam quod amans, id exoptauit; enim verò ille semper Deus, suique semper similis, & vestigijs suis quibuscumque, semper veritatem, quæ habeant, loquens: Huius rei, atque veritatis statim veniens, & in Virgine accumbens Virgini ipsi, non sine magno adhuc eius bono, atque dignitate, amplissima dedit argumenta, atque reliquit, vt vel ex hoc vno Virgo potuerit: vt fecit: qui venisset, accubuissetque, dignoscere. Nimirum & Virginem seruauit, & matrem esse dedit, itàque & quod non erat esse, idest matrem, & eius quod antea erat, optabatque adhuc esse, idest Virginis, nihil dimittere. Qua in re illud maximè aduertendum, pariter & summa animi veneratione excipiendum, in laudem Virginitatis Dominæ, quod vnicè faciat, atque singulari predicetur ratione. Nimirum, quod diuinitatis loco Virginitas in ea fuit; si quidem id fuit, quod cum quod non erat, assumpsisset, non dimisit, atque in hoc nihil detrimenti passa est. Et iure, quæ [15] lux est, & [16] incorruptio corporis, mentisque, quæque ad cœlos euexit, & simillimam Patri fecit, vt sicut ille sine corruptione mentis, Virginitatis hæc gloria permanente æternum mundo lumen effunderet. Itaque vt pariat, id ad gloriam filij ipsius fuit, vt arderet cupiditate. Et dices. Quo modò ad gloriam, si gloria lux est, & Dominus Sol nube tectus, idest tenebris, atque velamine carnis, vt appareret, futurum erat. Quod deinde, & circuncisio, & labores, atque sudores, & deinde cum ignominia cruciatus secuturi erant? Sanè quia hæc ipsa ad opportuniorem manifestationem lucis eiusdem consecutura; enim verò nitidissimus ille sol, atque fulgentissimus videri aliqua ex parte non poterat, nisi nubibus, tenebrisque contegeretur; nam vt tabulæ quædam

Mariæ Dominæ ardor pariendi, vt filius agnosceretur, qui esset, nimirum Deus.

14 *Symbol.*

Maria Domina, quod Deus esset, quem gerebat in vtero, ex eo agnouit, quod seruasset veniens Virginē. Virginitas in Domina Diuinitatis locò quodammodò fuit.

15 *Lege.* 2. 2.
16 *Ex Aug.*

In gloria lux est. Sol nube tectus. Exponitur.

quædam luminibus frequentes, colorum, atque exstantes, nonnisi vmbris, & in tenebris melius cerni possunt, viderique quæ sint, ita & fulgor ille Maiestatis Diuinæ in corpore, & eorum tolerantia, quæ hominum sunt, opportunius excipiendus, atque adorandus hominibus ipsis refulsit. Et vide, quam verum hoc, vt in gloria ipsa [17] Tabor præter vocem Patris filium commendantis, & aperientis quis esset, ab Apostolis ipsis exauditum sit confessionis nihil, nisi cupidum illud, & in gloria terreni sapiens. Faciamus hic tria tabernacula; cum in [18] tenebris crucis, & nocte, reuersi sint plurimi pectora percutientes sua, exauditumque Centurionis illud nimis sapidum, atque diuinum. Verè filius Dei erat iste. Quæ cum ita habeant, gloriam vtique filij ardebat, mater, quæ in carnis nube, atque tenebris vitæ mortalis, vt ille appareret, ardebat. Itaque propter bonum amici cruciabatur, vt pariat. Sed & suum ipsius adhuc, vt quæ arram beatitudinis animę acceperat in conceptione filij, beata, & ipsa per transennam effecta; accipiensque diuinitatem eius ad tempora, cui carne subministrasset; & arram beatitudinis corporis adhuc aliquam in transitu Domini per Orientalem portam, idest in ortu eius, acciperet. Id, quod vt futurum erat, ita multò ante Prophetarum Princeps sciebat, sciebat enim & terra futurum esse, vt in splendoribus esset à [19] Maiestate prætereuntis; enim vero si filij Adam, qui sint in portis venientes matribus ipsis loquuntur, & à quo sint, & vnde veniatur, ac quò vadant; nimirum, quod à Parentibus peccatoribus in hanc lacrymarum vallem; quomodo & filius Dei ipse, qui esset, & de quo Matri non sit locuturus; nimirum quod Deus de Deo, & in hanc quidem eandem lacrymarum vallem, vt ceteri, sumpturus miserias, & experturus, non quidem vt addat ceteris, sed vt auferat à ceteris, lætitiamque ministret. Itaque illorum in dolore transitus, hic in omni lætitię voluptate. Sicut dicitur. [20] Confortasse seras portarum eius. Itaque & propter hoc adhuc bonum. Sed ad pulchritudinem tandem deueniamus. In coniunctione extremorum maxima, maxima est pulchritudo. Iam & Platonicis in alio adhuc est; nimirum in terminis, & finitudine rerum, & quidem quia infinita materia deformis, quia ratio termini forma, pulchritudo, atque adeò forma. [21] Verbum, inquit, caro factum est. En igitur extremorum coniunctio, maximorum, quibusque, quæ magis inter se differant, atque distent, non alia vtique reperiantur. En igitur summam pulchritudinem. Et. [22] Verbum abbreuiatum fecit Dominus. En igitur terminos immensi, & finitudinem infiniti. En igitur & ex hac parte adhuc pulchritudinem immensam, atque infinitam. Hæc amatura olim præsens Virgo, atque coram, & oculis cernens ipsa suis, vt quam citissimè iam facta, apparerent studebat per desideria, sollicitans prece Deum, atque ad spectacula vocans. Et quidem si de pulchritudine sermo sit, quę in finitudine est, hac potissimum, & longè iucundius, quam valeat ęstimare mens nostra, capta Virgo est, & in nato filio admirata; dum immensitatem Dei corpusculo terminatam videbat, Aeternitatem itinerum eius pedibus,

atque

Christus Dominus Deus in carne, & tenebris hominibus melius visus est. Et cur?

[17] *Eu.*

Christus Dominus in Caluario magis, quam in Thabor manifestatus Deus.

[18] *Eu.*

Maria Domina cruciabatur, vt pariat, vel propter suum ipsius bonū, & quod?

[19] *Ezech. verba* Et terra splendebat à maiestate eius.

[20] *Psalm.*

Marię Dominę studia pariendi propter amorem pulchritudinis. & cuius?

[21] *Io.*

Verbum caro factum pulchritudo. & quomodo?

[22] *Io.*

atque plantis tenerrimis, quibus nondum terrę institisset. Iam vero omnipotentia manibus, hisque, quas premerent fascię, & circum detinerent ligatum. Prouidentiam dulci supercilio, & pulchritudinis adhuc illam inexhaustam, atque incomprehensam magnitudinem, paruo oris orbe, & exiguo. Hęc & nos, dilectissimi, Meditemur considerantes, & exhortemur. Superessent duo tractanda eorum, quę proposuimus initijs, si meministis. Agentes, & differentes circa id, quod primum est temporis angustię oppressere. Iam Finis sit. Circa id verò, quod alterum erat vnum, si attigerimus contenti simus. Vulnerasti, 23 inquit, cor meum in vno crine, in vno oculorum. Vsq; adeò quę Virginis sunt, quę hominibus, atque Angelis simul celebrentur digna sunt, summoque in honore habeantur omnia, & verò etiam plenissimo ore predicentur; vt vel minimum quod sit eius, suspirium, lacryma, desiderium, longè digniore pietate, atque religione sint, quod ceterorum simul omnium Sanctorum, Sanctarum, & ortus, & ducta in omni sanctitate vita, & martyria ipsa colenda; Enim verò Sanctorum omnium, quę Princeps fuit, atque sanctissima in eo, vel ab initio primis institit plantis vertice sanctitatis, atque cacumine altissimo, celsissimoque, vt simul res, & quotquot exstitissent, quotque futurum esset, vt exstarent per omnem ętatem facillimè anteierit. Quò fit, vt cum mensura promeritorum gratia sit, fieri possit, cuius promeriti fuerint opera eius, & eorum quęcumque, vel perexigua. Meritò igitur ait, se in vno crine sponsę vulneratum, atque telo acutissimo transuerberatum. Quę cum ita habeant, dilectissimi, Agite, & desideria hęc Virginis Dominę, colite, & per hęc, & per omnia, quę ventura sint, atque his successura tempora, maiore, quo potestis contendentes cultu religionis. Neque verò his luminibus, quę aspectantur oculis, altaribusque, & laudibus contenti sitis, verum quibus illa magis delectetur, immortalia in cordibus vestris erigite; ipsamet prestante, & largiente (neque enim sine ipsa à nobis ipsimet quicquam esse boni potest, & laudis) quę viuit, & regnat in sęcula sęculorum. Amen.

23 *Cantic.*
Vulnerasti in vno crine, In vno oculorum. Exponitur.
Marię Dominę, vel minima, quęcumque, dignissima omni cultu. & cur?
Maria Domina ab initijs suis Superior simul omnibus gratia, & sanctitate.
Gratia mensura meritorum.
Maria Domina, quo potissimum cultu colenda.

FINIS.